GEORGII TRAPEZUNTII RHETORICORUM LIBRI QUINQUE. INDICEM...

Georgius : Trapezuntius

Digitized by Google

6
8-1
9

6-8-a-9

BIBLIOTECA NA[...] VITTORIO
6
2 F
31

Digitized by Google

A

GEORGII TRAPEZVNTII RHETORICORVM LIBRI QVINQVE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Indicem capitum, ac rerum in hoc opere contentarum, in calcem operis reiecimus.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA NAZ. ROMA

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM.
1547.

Metelli Caristoliti, et amic. suo.

6. 2. F. 31

Digitized by Google

GEORGII TRAPEZVNTII RHETORICORVM LIBER PRIMVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRAEFATIO.

CVM *mihi in mentem uenit, quanta oratoriæ facultatis tum utilitas tum dignitas ſit, non poſſum non uehementer dolere, quòd his noſtris temporibus nulla ferè bonarum artium tam abiecta atque contempta habeatur. Nam etſi nonnullæ liberalium artium, ut* Geometria, *ut* Arithmetica, *& quæ huius generis ſunt, omnino ab uſu ceciderunt, ne non multum eas ad humanitatem pertinere dicam, non ſumus tamen in ipſis tantam paßi iacturam, quantam in hac humanitatis artium præclarißima, maximeq; neceſſaria.* Nam *in illis quidem ita integra ſubtilißimorum ſcriptorum opera uſque ad præſen extant, ut nihil ei deſit qui proficere in eis deſideret, niſ ſtudium ac diligentia.* In *hac uerò dicendi copia quantò plures ſcriptorum elegantißimi libri à maioribus noſtris tu* Latinis, *quàm* Græcis *relicti ſunt, tantò pauciores, uel potius nulli his perditis temporibus noſtris reperiuntur. Quo ſiue negligentia omnium, ſiue eorum qui docent, quiq; orationis copiam profitentur, ignorantia quadam, aut perfidia factum ſit, unuſquiſque per ſeipſum conſideret.* Ego *id exi-*

Bertolinus Alanus.

ſtimo, niſi Bertolini, Alani, aliorumq́; huiuſmodi libros, neſcio an ſatis utiles, tranſcribere ab his qui docent, coacta eſſet poſteritas, aut loco harum nugarum bonorum autorum opera inuenirentur, aut ſaltem auditores non imbuti his delirationibus, nudos animos ad humanitatis doctrinas facilius applicarent, quibus nihil unquam utilius, nihil dignius homini à patre hominumq́; deorumq; tributum eſt. Nam philoſophia quidem qua omnes liberales artes continentur, ſi dicendi ſuauitate priuata ſit, omnem orationis grauitatem infringit atque concidit, totumq́; ingenij ſuccum aſperitate imbibit nimia. Quòd ſi omnes mutum eſſe ſummum incommodum arbitrantur (carere enim omni humanitate profectò uidetur qui loqui non poteſt) certe & male loqui, id uerò ſummo incommodo humanitatisq́; priuationi proximum eſt. Quare poſſe temporibus, locis, perſonis, cauſis, rebus, ornate, diſtincte, copiosè, atque prudenter orationem accommodare, quod huius artis officium eſt, non paruæ felicitatis exiſtimauerim. Quantus uerò honor, laus, dignitas in eos qui copiam dicendi adepti ſunt confluat, quæ emolumenta, quæ commoda homines eloquentia conſequantur, nemo facilè poterit explicare. Nam & patriam fundare legibus, tutari conſilijs, ſententijsq́; ſuis amplificare disertus poterit, & amicis præſidio, & ſuis ornamento futurus eſt, præterea inimicis timorem, hoſtibus terrorem incutiet. Quod Macedonum reges, quum clariſſimos oratores ab Athenienſibus peterent, ut facilius denudatam cuſtodibus urbem opprimere poſſent, ita eſſe declararunt. Neque nos terret quod à nonnullis ignorantia dicitur, orationis copiam, quòd obfuiſſet nonnunquàm ciuitatibus, ab omni bene inſtituta rep. exterminandam uideri. Nec enim ullam

artem

artem inuenies, qua quibuſcum uerſamur detrimentum aſferre non poßimus. Quis ignorat quanto facilius cæteris atque cautius ſalutem hominis medicus oppugnare poßit? Quis neſcit iuriſconſultum, acuta nimium interpretatione legum, ſummum ius in ſummam iniuriam poſſe conuertere? At nemo eſt qui aut legum ſcientiam, aut medicinæ doctrinam exterminet, tanto magis amplectuntur, quanto ciuitatum ægritudines eadem arte, qua illatæ ſunt curari etiam ſolent. Præterea eloquentia expulſa (niſi mutus eſſe malis, quod omnem ſocietatem coniunctionemq́; hominum, totamq́; remp. funditus euertit) & in iudicijs & in ſenatu, & apud populum tibi nonnunquam dicendum eſt, ubi niſi dicendi copia ualeas, à malis & loquacibus uiris ſimul cum rep. euertere. Non igitur obſunt rebuſp. hæc dicendi ſtudia, ſed proſunt: non comprimunt, ſed conſtituunt: non euertunt, ſed erigunt: nam ſi nulla eſſent, nihilominus improbi peruerſiq́; homines, ac tanto magis quanto minus ſe tueri oratione boni non poſſent, rebus nocerent. Quare ut non medicina, ſed perditi medici: ut non ius, ſed improbi iuriſconſulti expellendi ſunt, ſic nec eloquentia eijcienda uidetur, ſed hi qui quum diſerti ſint, improbi ſunt. Ac multo magis medicina & cæteris artibus eloquentia eſt retinenda. Nam neque gubernari ſine oratione reſp. poterit, nec improbos ciues arcebit, & à gubernaculis ciuitatis depellet, niſi uis eloquentiæ. Huius ergo tam præclaræ rerum publicarum tutricis ſtudia tanto nobis ardentiore animo ſuſcipienda illuſtrandaq́; uidentur, quanto diutius iacuerunt. Solet enim præclariſsimarum artium iactura, niſi quis ciuis ſuccurrat, non ſufferendas calamitates, & publicas & priuatas inuehere. Quare his libris, quum quæ ab alijs bene dicta iudicaui-

Abuſus artis.

Vtilis eloquentiæ.

mus,tum quæ ipſi legendis ſummi oratoris orationibus intelleximus, quàm breuiter pro multitudine rerum fieri potuerit explicare conſtituimus. Qua in re omnes ſummopere rogamus atque obteſtamur, ne prius quàm omnia perlegerint, de labore noſtro iudicium efferant. Sic enim facilè ſperamus quicquid laboris huius rei gratia ſumpſerimus,neminem fortaßis improbaturum.

RHETORICAE FINITIO, PARTES, QVAE CAV*ſarum genera,& alia quædam ad* R*hetoricen præludia.*

RHETORICA, *eſt ciuilis ſcientia, qua cum aſſenſione auditorum quoad eius fieri poteſt, in ciuilibus quæſtionibus dicimus.* Huius *facultatis materiam, ſicuti ferè omnes, in tria genera cauſarum diuidimus, quæ quoniam genera ciuilium quæſtionum appellamus, de uæſtione pauca dicamus. Quæſtio eſt inquirendæ rei bia propoſitio, ut ſint ne plures mundi, ſit'ne ab* Athe*nſibus indicendum bellum* L*acedæmonijs. Quæſtionem infinitionem & cauſam diuidimus. Infinitio eſt rei alius non implicita circunſtantijs quæſtio. Infinitionum alias iles, alias ſpeculatiuas appellamus.* Speculatiua, *cum ad ritatem ſolum pertineat, his relinquatur qui rerum cauas ſubtilius rimantur.* Ciuilis, *hoc eſt, quæ ad ciuitatem ertinet, oratori ſubiecta eſt: ea eſt huiuſmodi,* Sit'ne *magnum*

gnum

Digitized by Google

gnum ſtudium, multaq́; opera liberalibus artibus tribuenda, an homo qui occiſus inuentus eſt, ſepeliendus ſit. Cauſa eſt rei alicuius implicita circumſtantijs quæſtio, hoc pacto, ſit'ne ducenda uxor Platoni, an Aiacem Vlyſſes occiderit. Sit'ne laudi Ciceroni, quòd in conſulatu coniuratores occiderit. Hæc cauſa, quam & ciuilem quæſtionem dicimus, quamuis re infinitione contineatur, in dicendo tamen infinitionem amplectitur. Hanc igitur cauſam in tria genera diuidimus, demonſtratiuum, deliberatiuum, & iudiciale. Nam cum tria ſint auditorum genera, unum quod delectationem requirat, alterum quod conſilium capiat, tertium quod iudicium exercitet, tria etiam cauſarum genera eſſe neceſſe eſt. Deinde omnis res, quæ ab oratore aut agitur, aut dicitur, uel in iudicio uel extra iudicium uerſatur. Idq́; poſtremum iterum dupliciter partimur, nam aut honeſtum ſolum, ex quo demonſtratiuum oritur genus, uel honeſtum ſimul cum utili reſpicit, ex quo tota deliberatio confluere uidetur. Præterea cum tria tempora ſint, ac unicuique unum genus cauſæ accommodatum ſit, tria non eſſe genera cauſarum non poſſunt: nam Iudiciale præterito, Deliberatiuum conſequenti, Demonſtratiuum inſtanti tempori attribuitur. Nam etſi ex tranſacto tempore in demonſtratiuo, ſicut in deliberatiuo plerunque rationes acquiruntur, non tamen a eo quod probat, ſed ab eo quod probatur cauſæ denominadæ ſunt. Poſtremò quicquid in diſceptatione ciuili conſideratur, aut certum eſt, & ut cuiuſque animus fert, laudat, aut culpat: aut dubium. Cuius rei dubiæ ſi poteſtas eſt in nobis deliberatiuum: ſi in alijs, iudiciale conſtari genus perſpicuum eſt. Demonſtratiuum eſt, quod attribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem uel uituperationem cum amplificatione.

Cauſa.

Cauſarum genera.

ne. Eius duæ ſunt partes, laus & uituperatio. Laus eſt oratio amplificatiua rerum bonarum, quas certæ perſonæ ineſſe dicimus. Vituperatio eſt oratio amplificatiua malarum rerum, quas certæ perſonæ ineſſe dicimus.

Deliberatiuũ.

Deliberatiuum eſt quod in conſultatione poſitum habet ſententiæ dictionem. Eius duæ ſunt partes, ſuaſio, & diſſuaſio. Suaſio eſt oratio deliberatiua, quæ primo in conſultatione, quid faciendum ſit, oſtendit. Diſſuaſio eſt oratio deliberatiua, qua auditoribus aliam partem, ac ſuaſione oſtenſum eſt, perſuadere conamur.

Iudiciale.

Iudiciale eſt quod poſitum in controuerſia habet accuſationem & defenſionem. Eius partes ſunt duæ, accuſatio & defenſio. Accuſatio eſt oratio iudicialis, qua aut in crimen, aut in debitum rapimus aduerſarium. Defenſio eſt oratio iudicialis, qua aut crimen, aut debitum à nobis repellimus. In iudiciali genere finis eſt æquitas: auditoris officium abſoluere uel damnare. In demonſtratiuo finis eſt honeſtas: auditoris officium, laude ne dignus ſit, an uituperatione is, de quo dicitur, exiſtimare. In deliberatiuo finis eſt honeſta utilitas: auditoris officium, alteram partem deliberationis complecti. Officia oratoris, quas nonnulli rhetoricæ partes dixerunt, ut apud omnes apertiſſime patet, quinq; ſunt, Inuentio, diſpoſitio, elocutio, pronunciatio, memoria. Nam quum omnis dicendi copia rebus ac uerbis contineatur, & res quidem diſponere, uerba uerò pronunciare neceſſe ſit, quatuor hinc oriri partes neceſſe eſt, Inuentionem cui diſpoſitionem, & elocutionem cui pronunciationem adiunctam eſſe putamus. Memoria uerò etſi in omnibus requiratur liberalibus artibus, tamen quòd difficillimum ſit, in conſpectu multorum cunctis audientibus memoriter pronunciare, huic, excellentiſſimæ orationis commoditati potiſſimum attribuatur.*

a aut cri ut de- alicui imus.

Inuentio

Inuentio eſt excogitatio rerum uerarum, aut ueriſimilium, quæ cauſam probabilem reddunt. Diſpoſitio eſt rerum inuentarum in commodiſsimus locis diſtributio. Elocutio eſt idoneorum dicendi generum ad inuentionem accommodatio. *Inuentio.* *Diſpoſitio.* *Elocutio.*

*Pronunciatio eſt uocis, uultus, geſtus moderatio, cum uenuſtate. Memoria eſt firma animi rerum & uerborum & diſpoſitionis perceptio. Hæc omnia tribus poſſumus aſſequi rebus, natura, arte, & exercitatione. Nam etſi naturæ acumine omnis acquiratur doctrina, tamen tum uocem, tum latera, ac geſtum corporis, tum etiam copiam dicendi, & uolubilitatem linguæ, & quandam poſtremò facilitatem partim ad inueniendum, partim ad explicanda, atque exornanda ea quæ inuenta ſunt, potiſsimum arte & exercitatione acquiri, * confirmariq; Demoſthenis commoti exemplo non dubitamus. Naturæ enim commoditas, niſi arte illuſtretur, exercitationeq; confirmetur, tanquam ager natura fertilis, uerùm incultus, nihil fructus, multa fœda atque aſpera producere in dicendo ſolet. Natura enim eſt inſita ad dicendum commoditas. Ars eſt quæ dat certam uiam, rationemq; dicendi, ſub qua imitationem poni tunc clarius uidebitur, quum de generibus dicendi tractabimus. Exercitatio eſt aſsiduus uſus, conſuetudoq; dicendi.* *Pronunciatio.* *Memoria.* ** confer*

DE ORATIONIS PARTIBVS.

CVm hæc ita ſint, de inuentione prius, & ea potiſsimum quæ iudiciali generi attribuitur, quàm breuiſsimè & clariſsimè potero, dicere conſtitui. Ac ut omnia ordine proſequar, ad orationis eam partes accommodabo. Orationis quatuor ſunt partes, exordium, narratio, contẽtio, & peroratio.

tio. Nam qui diuiſionem, confirmationem, ac confutationem, orationis partes dicit, is certe mihi uidetur, aut id quod unius partis locum obtinet, tripartito diuidere, & ea quæ particulæ potius orationis ſunt, partes nominare: aut diuiſionem, & confutationem, confirmationi ſic admiſtas ut ſimul cum ea nihil aliud niſi confirmationem conficiant, ſeparare. Etenim nunquam reconfirmatio erit, ſi qua confutanda reſtant, & diuiſionem cuncta diligenter amplecti confirmationis membra, per totamq; confirmationem diſperſam eſſe neceſſe eſt. Quare non alia pars erit diuiſio, alia confirmatio, cui adiunctam confutationem putamus.

DE EXORDIO.

EXordium eſt oratio quæ animum auditoris præparat ad audiendum, cuius duæ ſunt partes, principium, & inſinuatio. Principium eſt oratio, quæ ſtatim apertis rationibus animum auditoris ad audiendum conſtituit. Inſinuatio eſt oratio, quæ per diſsimulationem animum auditoris ſubiens parat ad audiendum. Verum quoniam per exordium beneuolos, dociles attentos, auditores facere debemus, ut unumquodque eorum certa quadam uia conficere poſsimus, genera cauſarum, quæ maxime pro exordio conſiderantur, rius explicanda uidentur. Genera cauſarum ſunt quin-e, honeſtum, turpe, dubium, humile, & obſcurum. Ho-ſtum, eſt quod ab omnibus ſuſcipiendum putatur. Tur- eſt, quod ab omnibus oppugnandum uidetur. Hinc etiam mirabile adiungendum eſſe putamus, quod eſt, quum res udita auditorum animos à nobis alienat. Dubium eſt, um habet in ſe cauſa, honeſtatis & turpitudinis par-m. Humile genus cauſæ eſt, quum contempta res ante-rtur. Obſcurum, quod niſi tardius auditores intelligere poſſunt.

nium.

*poſſunt. Verum quoniam & humile & obſcurum facilia intellectu ſunt, de honeſto & turpi, quibus modis recte percipi poſſunt, dicendum uidetur. Quamuis ergo honeſtas & turpitudo cauſæ ex omnibus circunſtantijs haberi poßit, tribus tamen * modis maxime comprehenditur, perſona, re, loco. Perſona, quum uir grauis & magnæ autoritatis accuſat aut defendit. Nam huiuſmodi uiri & oppugnatio defenſori turpem cauſam facit, & defenſio minus honeſtam accuſationem reddit. Præterea omnis qualitas accuſatorum defenſorumq; conſideranda eſt. Nam parentem, fratrem, aut omnino propinquum, uel amicum, ut oppugnare niſi reipublicæ cauſa, turpe, *ſic defendere honeſtum dixerim. Re uerò aliud alio obſcœnius uel laudabilius eſt, ut parricidium, proditio, ſtuprũ. In quibus defenſio tanto deprimitur, quãto extollitur accuſatio. At hæc quidem omnibus cauſis communia ſunt, illud proprium, quòd ex loco uniuſcuiuſq; conſtitutionis firmißimo naſcitur. Nam quum cauſam & locos eius intellexeris, ut in ſecundo dicetur, firmißimum illius ſtatus locum, qualiſnam in ea re ſit diligenter examinabimus: qui ſi reo optimus eſt, ei honeſtiorem cauſam reddit: Sin opprimit, hoc eſt, ſi uis firmißima defenſionis, locis accuſationis firmißimis depelli poßit, accuſatoris cauſa facilior: ut uerbi gratia, In coniecturali quanto firmior inuerſio eſt, tanto totam defenſoris cauſam honeſtiorem efficit: quanto infirmior, tanto accuſatoris criminatio ſuſpicioſior, & rei cauſa turpior. Quum hæc ita ſint, conuenit exordiorum rationem ad cauſæ genus accommodari. Itaq; ſi honeſtum genus cauſæ erit, aut omnino ſuperſedendum exordio, aut breuiter per principiũ oſtendendũ eſt quare cauſa ſit honeſta. Si turpe erit, inſinuatione utendum eſt, a-*

Honeſtum
Turpe.
** rebus*
**ſit,*

que

qua dicemus poſterius. Sin dubium, ne quid turpitudinis pars nobis obeſſe poßit, à beneuolentia principium conſtituemus.

Docilis. *In humili genere attentos, in obſcuro dociles faciemus. Dociles auditores facere poterimus, ſi ſummam cauſæ breuiter exponemus, hoc eſt, id in quo conſiſtit controuerſia de qua dicturi ſumus. Quod poëtæ tum docilitatis, tũ attentionis gratia ab* Homero *acceptum, diligentißime ſeruant: hac enim ratione tam in Georgicis quàm in Aeneide apud Vergilium, itemq; apud Ouidium in libro Metamorphoſeos, & alios ferè omnes exordium compoſitum eſt: & ſic attentos faciemus. Nam docilis eſt qui attente uult audire.*

Attentus. *Attentos faciemus, ſi demonſtrabimus ea, de quibus dicturi ſumus, aut magna aut noua eſſe, & ſimul dicemus aut ad religionem pertinere, aut ad rempublicam, aut ad eos ipſos qui audiũt, aut ad alios, quos charos habeant, aut ad illuſtres uiros, & ſi iudicationem aperiemus, & ſi rogabimus ut attente audiant.*

Beneuolus. *Beneuolos duobus locis maximè faciemus, à perſona & à cauſa, hoc eſt, ab ipſa re: à perſona aut noſtra, aut aduerſariorum, aut iudicum, & eorum nonnunquam qui extra cauſam ſunt: A noſtra perſona, ſi officium noſtrum ſine arrogantia laudabimus, hoc eſt, ſi quales in rempublicam, aut in parẽtes, aut in amicos, aut in eos ipſos qui audiunt fuerimus, oſtendemus, dum hæc omnia quæ noſtro officio facta commemoramus, ad cauſam pertineant. Vt pro L. Flacco: Quum in maximis periculis huius urbis atque imperij, grauißimo atque acerbißimo reipublicæ caſu, ſocio atque adiutore conſiliorum periculorumq; meorum L. Flacco, cædem à uobis, coniugibus, liberis ueſtris: uaſtitatem à templis, delubris, urbe, Italia depellebam, ſperabam iudices honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quàm miſeriarum deprecatorem. Quod*

enim

enim eſſe præmium dignitatis, quod P.Ro.cum huius maioribus ſemper detuliſſet, huic denegaret? Hic illud dicendum uidetur, ne quis dubitaret nos, patroni & eius de quo dicitur, perſonam unam putare. Nam & inuentio eadem ferè eſt iiſdemq; locis utendum, ſiue à patroni, ſiue ab eius de quo dicitur perſona exordiorum ſententiam excogitare uelis. Item ſi reipublicæ cauſa, aut non mediocris alicuius rei, quæ noſtri officij interſit, magna atque honeſta ratione, aut etiam neceßitate commotos ad hanc cauſam acceßiſſe dicemus, ut pro C. Rabirio. Etſi Quirites non eſt meæ conſuetudinis, initiò dicendi rationem reddere qua de cauſa quenquam defendam, propterea quòd cum omnibus ciuibus in eorum periculis ſemper ſatis mihi iuſtam cauſam neceßitudinis eſſe duxi, tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarumq; omnium C. Rabirij proponenda ratio uidetur officij mei, propterea quòd quæ iuſtißima cauſa mihi ad hunc hominem defendendum eſſe uiſa eſt, eadem uobis ad ſoluendum uideri debet. Nam metum amicitiæ uetuſtas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum uitæ meæ perpetua conſuetudo ad C. Rabir. defendendum eſt adhortata. At uerò ut id ſtudioſißime facerem, ſalus reipublic. conſulare officium, conſulatus denique ipſe mihi unà uobiſcum cum ſalute reipub. commendatus coëgit. Deinde ſi noſtra incommoda proferemus, ſolitudinem, inopiam, calamitatem, & cætera huiuſmodi quibus per commiſerationem beneuolentia captatur, aperiemus. Quam rem tamen ita faciemus, ut ſine nimia amplificatione omnia dicamus. Nam in hoc maximè à peroratione differt exordium, quòd ea quæ in exordio deguſtanda ſunt, in peroratione amplißime ſumuntur: huiuſmodi Pro C. Rabirio.

Pro Sylla. *huiuſmodi exordium pro* P. *Sylla his uerbis aſſumpſit* Cicero, Maxime *uellem iudices, ut* P. *Sylla & antea dignitatis ſuæ ſplendorem obtinuiſſet, & poſt calamitatem acceptam modeſtiæ fructum aliquem potuiſſet percipere: ſed quoniam ita tulit caſus infeſtus, ut ampliſsimo in honore, tum communi ambitionis inuidia, tum ſingulari* Antonij *odio euerteretur, & in his priſtinæ fortunæ reliquijs miſeris, & afflictis, tamen haberet quoſdam, quorum animos ne ſupplicio quidem ſuo ſatiare poſſet, quanquàm ex huius incommodis magnam animo moleſtiam capio, tamen in cæteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni uiri lenitatem, miſericordiamq́; notam omnibus quondam, nunc quaſi intermiſſam agnoſcerent.* Hic *& infirmitas multum ualet, ſexus, ætas, liberi, pupilli, parentes, coniuges, & omnia quæ ſunt ad commiſerationem accommodata.* Nam *omnibus commiſerationis locis in exordio uti licere, cum in multis, tum maxime in elegantiſsima pro* Milone *oratione oſtendit* Cicero, *qui remoto metu, in commiſerationem hoc pacto deſcendit.* Hoc *profectò tempore eam poteſtatem omnem uos habetis, ut ſtatuatis utrum nos qui ſemper autoritati ueſtræ dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus, an diu uexati à perditiſsimis ciuibus, aliquando per uos ac per ueſtram fidem, uirtutem, ſapientiamq́; recreemur.* Quid *enim nobis duobus laborioſius?* Quid *magis ſolicitum magis exercitum dici aut fingi poteſt, qui ſpe amplißimorum præmiorum ad rempublicam ducti, metu crudeliſsimorum ſuppliciorum carere non poſſumus? & quidem cæteras tempeſtates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putaui* Miloni *eſſe ſubeundas, quòd ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat, in iudicio uerò, & in eo*

in eo conſilio &c. Nonnunquam etiam ſi diluemus (prout in exordio licet) illata nobis ab aduerſarijs crimina, & ea maxime quæ in exordio ab ipſis dicta ſunt, quæ res etiam multum gratiæ affert exordio. Quum enim ab his quæ ab aduerſario dicta ſunt, materiam trahat, omnem præmeditationis ſuſpicionem facillime tollit. Extremò ſi rogabimus, ut nobis breuiter dicturis fauere placeat. Ac primi quidem duo à noſtra perſona loci, qui partim ab officio noſtro, partim ab incommodis trahuntur, etſi primus magis ad accuſatorem, alter ad defenſionem pertineat, tamen communes, id eſt, tam defenſoris quàm accuſatoris inueniri poſſunt. Accuſatorem autem nonnunquam, aut odij, aut inuidiæ, aut ambitionis ſuſpicio ſequitur. Inuidiam ac ambitionem ſemper negabimus: Odium uerò aut negabimus, ſi eos uiros in iudicium trahimus, quorum authoritas nos offendit, & dicemus uel reipub. uel eorum etiam ipſorum quos accuſamus commodo commoueri, ne licentia ita efferantur ut ſe ac exiſtimationem ſuam perditum eant: aut confirmabimus, ſi ab ipſis prius affecti iniuria uindictam quærimus, ut Cicero in Vatinium teſtem, quum aduerſariũ in odium rapiat, odium quoq; ſuum, quo merito in eum incitabatur his uerbis exclamat: Si tua tantummodo Vatini quod indignitas poſtularet ſpectare uoluiſſem, feciſſem id quod his uehementer placebat, ut te cuius teſtimoniũ propter turpitudinem uitæ, ſordeſq; domeſticas nullius momenti putaretur, tacitus dimitterẽ: nemi enim horũ ita te refutandum ut grauem aduerſariũ, aut ita rogandũ ut religioſum teſtem arbitrabatur: Sed fui paulo in te intemperãtior fortaſſe quàm debui: odio enim tui, in quo etſi omnes propter tuũ in me ſcelus ſuperare debeã, tamẽ ab omnibus penè uincor, ſic ſum irritatus, ut quũ te nõ minus contem-

nerem

*nerem, quàm odiſſem, tamen uexatum potius, quàm deſpe-ctum uellem dimittere. Defenſorem, ac aduocatum, cum lu-cri ſuſpicio, tum quòd officio cognationis, aut amicitiæ faciat conſequitur: id ultimum quòd beneuolentia faciat cognatio-niſq; neceßitudine, exordio confirmabit: nulla cauſa lucri facere dicat, niſi lucrum, amicorum ſalutem appellaret. A perſona uerò ipſius qui accuſatur, ſi bonam exiſtima-tionem habere uidebitur, ea à nobis diluetur ſi accuſabi-mus, confirmabitur ſi defendemus: ſin contrà, nobis quoque contra faciendum eſt. Ab aduerſariorum perſona tribus modis beneuolos auditores faciemus. Nam ſi potentes ſunt, in inuidiam rapiemus. Hic nos ſimplices, infirmos, impares fortunis, corpore, cautionibus, à cautis, potentibus, elo-quentibus aduerſarijs circumueniri dicemus non oportere, ut pro P. Quintio, Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſ-ſunt, hæ contra nos ambæ faciunt hoc tempore, ſumma gra-tia & eloquentia, quarum alteram C. Aquili uereor, alteram metuo: eloquentia Q. Hortenſij ne me in dicendo impe-diat, nonnihil commoueor, gratia Sex. Neuij ne Quin-tio noceat, id uerò non mediocriter pertimeſco. Nec hoc tantopere querendum uideretur hæc ſumma in illis eſſe, ſi in nobis eſſent ſaltem mediocria: Verùm ita res ſe habet, ut ego qui nec uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, cum patrono diſertißimo * comparer, & P. Quintius cuius te-nues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ ſunt, cum aduerſario gratioſißimo contendat, &c. Sin autem abiecti & humiles, in contemptionem adducemus. Sin tur-pes, ac nocentes, trahemus in odium, ut in Vatinium te-ſtem. A perſona auditoris beneuolentiam captabimus, ſi res eorum ſine aſſentationis nimia ſuſpicione laudabimus.*

P. Quin-

Qua in re uehementer utile eſſe cenſeo, mores iudicum, ac naturam cognoſcere: prout enim aſperi, lenes, iucundi, graues, duri, remißiq́; ſunt, laudem eorum, cauſæ accommodabimus, ac in re honeſta dignitatem, in humili iuſtitiam, in infelici miſericordiam. Quum pro læſis dicemus, ſeueritatem eorum extollemus. Contraq́; ſi qui mores eorum cauſam noſtram impugnant, eos oratione mitigabimus, quod fiet ſi contrarios affectus commouebimus. Nam ſi iracundia officit, clementiam: ſi crudelitas, miſericordiam opponemus. Affectus enim moueri maxime quidem in peroratione licet, deinde in exordio ac narratione, tertiò per totam orationem. A perſona eorum quos extra cauſam eſſe diximus, ducitur exordium, ſi aut faciundum dicimus, quod ab amicis omnibus laudatur: aut non faciundum, quod inimicis optabile eſt. Vt illud Neſtoris apud Homerum, Certe Priamus, ac eius filij gaudebunt, ſi uos (Agamemnoni & Achilli dicens) contendere intelligant. *Ab ipſa re beneuolentiam eliciemus, ſi aut honeſtatem rei noſtræ extollemus, aut turpitudine cauſam aduerſariorum deprimemus.* In his omnibus illud dicendum iudico, non ſolum cuiuſmodi ſint hæc quæ dicta ſunt conſiderari, uerumetiam magis qualis auditorum, accuſatorum, defenſorum, ac omnium qui aut in cauſa, aut extra cauſam ſunt, de ipſa re de qua agitur, exiſtimatio ſit. Nonnunquam etiam quæ opinio unius eorum de altero. Nam hoc pacto commode ad rem pertinens ex opinionibus inuenietur exordium. Parum enim refert qualis ſit res conſiderare, niſi optime teneas qualis opinione hominum ac maxime iudicum habeatur. Quare hi loci exordiorum de quibus hactenus dictum eſt, quum ad opinionem maxime accommodentur, ex opinionibus quod nos ἐκ τῆς ὑπολήψεως dicimus, Latinè appellentur: neque

Affectus quando mouendi.

b grauar

grauaremur in unoquoque genere exemplum ponere, niſi & longum eſſet, & rem ſatis dilucidam fore putaremus, uno aut altero exemplo poſito. Exules obſeſſam patriam ab oppugnatione liberant, parta uictoria quidam fert legem de exulibus reuocandis. Quum tantam lætitiam iudices uniuerſæ reipub. exules attuliſſent, ut ex oppugnatione uictores, ex obſeſſa ciuitate ampliſſimum triumphum ex hoſtibus reportemus, ad conſulendum uobis acceſſi, ut eam exulibus ciuitatem reddatis, quam ipſi ſua uirtute expulſis hoſtibus, uobis liberam atque triumphantem reddiderunt. Item econtrario, Quum nullam rem tam pernicioſam reip. Patres inueniri poſſe arbitrer, quàm conſuetudines, quàm leges, quàm iudicia non conſeruare, conſulere uobis conſtitui, ut eos qui iam legibus & iudicijs ciuitatis exilio condemnati ſunt, reſtituere nolitis. Illic enim à perſona exulum, hic à re ipſa principium ortum habet. Rationes deinde ſubiungendæ, quæ à circunſtantijs inueniuntur. Vt autem dilucidior exordiorum ratio ſit, alios quoque locos eorum ponamus, qui tametſi ad eos qui expoſiti ſunt, quos ex opinionibus uocamus, reduci poſſunt, tamen quum magis cauſis accommodentur, nec ab eis longè ſeparati ſint, multo facilius his poſitis, exordium inuenire poterimus. Sunt ergo etiam exordia, quæ à partitione quadam aut exuperatione, aut confectione trahuntur. Eorum quæ quodammodo à partitione fluunt, genera ponimus tria: Primum cum duplex iniuria facta uidetur, & quaſi diuidendo dicimus potuiſſe nos & alius criminis aduerſarios accuſare, ſed tamen aut moleſtia noſtra noluiſſe, aut ſui quoque cauſa, ne grauius crucientur: ſufficere reipub. ſi unius pœnas dederint, hoc modo, Imperator captam ciuitatem deiecit, ac ſeuit, nullum ex

lum ex terra germen productum eſt, & quòd impie feciſſet accuſatur: poſſumus ſic incipere ut dicamus, Si ſtatim, quòd ciuitatem deieciſſet, eius criminis pœnas dediſſet, non aliud quoque iſti crimen acceßiſſet: Nunc uerò quum & impiè ſerere auſus eſt, nullo modo prætermittendus nobis uidetur: cui etiam adiungi poterit pro ratione id quod ab euentu appellamus; Ne diuinam iram, quæ ſterilem terram efficit, in nos conuertamus. Hac in re cauendum eſt, ne res una minutim diuidatur. Non enim hoc à partitione exordium, ſed à circunſtantiarum inciſione uehemens confirmatio eſt, de qua in tertio dicemus. Alterum cum aduerſariorum uitam & ante cauſam hanc exiſtimatio quædam infamiæ conſequitur, ut ſi contra meretricem cauſam agis, & propter aliam uitam iure illam accuſari, ac puniri poſſe diceres, maxime autem propter hoc quod nuperrime eſt auſa. Tertium à partitione quadam temporis, quod ab euentu appellare licet. Quum aut quod nunquàm antea, nunc ſolum commiſſum: aut quod ſæpe factum ſit, ne rurſus fiat præcauendum dicimus, ut ſi quis expellendum dixerit Tarquiniorum genus, ne amplius pudicißimis fœminis talis uiolentia inferatur: aut Piſiſtratidas Athenis expellendos, quòd nunquam priuati eſſe didicerint. Non ignoro, ut dixi, hæc ad ea quæ ſuperius enumerata ſunt accommodari, uerùm quoniam his quoque poſitis quæ magis in ſpecies deſcendunt, facilior ac certior inuentio ſit, non uiſa ſunt ſuperſedenda. Ab exuperatione fit exordium; quum accuſantes dicimus maioris criminis accuſare potuiſſe: ut ſi quem furti accuſas, eum etiam ſacrilegij accuſari potuiſſe. Differt à primo partitionis modo, quoniam ibi multitudinem criminum conamur oſtendere ſolum, hic nos maioris accuſare potuiſſe dicimus,

 cimus,

cimus, & tamen aut quòd nolimus, aut quòd reip. ſufficiat, aut etiam ſui gratia, non illius ſed huius eos criminis accuſamus. Defenſor *exuperatione utetur, ſi dicere poterit ſe non ſolum nullam huius rei criminationem timuiſſe, ſed laudem etiam ſperaſſe, hoc pacto. Quidam traiecto exercitu naues comburi iuſsit, uicit, rediit, cauſam dicit, quòd naues combuſsiſſet. Cuius ſimile eſt pro* L. Flacco Ciceronis *exordium. Quod à confectione appellamus, mirabile eſt, quum inuenitur: fit autem quum id quod faciendum eſſe dicimus, iam quodammodo factum oſtendimus, quemadmodum ſi in reuocandorum cauſa exulum diceremus, nos quidem ſcribere legem, ut ſuſcipiantur exules, uerùm iam re ipſa ab uniuerſa ciuitate tunc ſuſceptos fuiſſe, quum palàm fines ciuitatis tranſgreſsi, portis patriæ inſidentes hoſtes aggrederentur. Illud etiam animaduertendum, quòd ſæpenumero, quamuis non omnino à nobis animus auditoris alienatus eſt, tamen antequàm ad rem ueniamus, ſiquæ contra obſtant, diluenda uidentur, ut* Cicero *in* Verrinis, *quòd neminem accuſaſſet, & pro* Milone *metum mirifice amouet. Nam quoniam uehementer offendi animos poſſe uidebat, ſi aperte timere iudices circumpoſitis armis diceret, ipſe timere ſimulauit, deinde paulatim rationibus ſe recreat, ac reficit, ut ipſos quoque iudices confirmet, quod ita factum ibi maxime exprimit, Quamobrem adeſte animis iudices, & timorem ſi quem habetis, deponite.* Neq; ego nunc contendo Ciceronem non ex*timuiſſe, ſed id noto, artis eſſe, quum affectum aliquem ex animo iudicum remouere uelis, non inutile uideri eadem te motione affici ſimulare, deinde ita te inde rationibus reuocare, ut iudices quoque abducas, quod exordium inſinuationis uim habet. Et tunc maxime fieri poſſe uidetur, quum aut*

Pro L. Flacco.

res

res per ſe ipſa, aut aduerſariorum oratio animum auditoris à nobis alienat. Quorum utrunque in Milonis cauſa acci- *Pro Milone.* diſſe contenderim, & in Pompeiana quidem, quoniam ſibi uidebatur obſtare, quòd uir eloquentißimus nimium tarde ad ſuſcipiendum ueniſſet remp. per principium, id prius commodißime à perſona ſua, autoritate loci, perſona auditoris, captata beneuolentia diluit: Ac demum ad propoſitam cauſam tranſit, ibi, Atque illud in primis mihi letandum iure eſſe uideo, quod &c. Iudicio meo ſecundum exordium dicendum eſt, quod breuißimum pro honeſtate cauſæ fecit. Licet enim una in cauſa duobus & tribus etiam, ſi cauſa poſtulare uidebitur, uti exordijs. Nunc de inſinuatione dicendum eſt. Inſinuatione igitur utemur, cum aut res per ſe *Inſinuatione quando utendum.* turpis eſt, aut auditori perſuaſio turpis uidetur, quam rem planè intelligemus, ſi aduerſarius ita dixerit, ut fidem eum feciſſe credibile ſit: aut quum defeſſus eſt auditor eos audiendo, qui antè dixerint, quod multitudine uerborum, quæ aduerſarij fecerint, intelligere poſſumus: quamuis tam hoc quàm illud ſuperius, geſtu etiam aliquo, aut dicto auditoris percipiatur. Si res per ſe turpis eſt, ſi quidem quòd turpis ſit, negare præclarè poſſumus, à beneuolentia principium conſtituemus: ſin autem ita manifeſta eſt, ut id negare difficile ſit (nam manifeſta negare odium magis, quàm beneuolentiam adducere ſolet) ſi igitur rei turpitudo difficile negari poteſt, ad inſinuationem confugiendum eſt, niſi quid turpe ac manifeſtum ab aduerſarijs commiſſum, maxime nuper nacti erimus, qua re ipſos criminando, beneuolos auditores facere poſſumus, ut C. pro Q. Ligario. Sed in inſinuatione primum dabimus operam, ut minora, aut alia mente facta uel dicta uideantur, aut ad præſentem quæſtionem non

 pertin

BIBLIOTECA NAZ. P. ... VITTORIO E...

pertinere, aut leuiori pœna honeſtius emendari poſſe, aut ſatis punita uideri: deinde aut rem honeſtam pro re turpi, aut hominem pro homine de quo agitur, aut pro re hominem, aut rem pro homine ſpectandum eſſe dicemus. Qua in re id admonendum cenſeo, quòd aduocatus melius, quàm is de quo agitur, non turpem cauſam ſolum, uerùm etiam honeſtam dicere poterit: nam & laudare latius, & uituperare apertius, quæ uituperanda, diſsimulandáue putat, facile poteſt. Sæpe etiam, maximè ſi quam uirtutis opinionem apud iudices conſecutus eſt, & defenſoris ſimul & teſtis officium afferre uidetur. Quum igitur ab his quæ nos lædunt, quæq; auditoribus odio ſunt, ad ea quæ ipſi diligunt, & nos iuuant, animos eorum conuerterimus, iudicata maiorum de re ſimili, aut maiori proferemus, in quibus illi nil aſpere iudicarunt. Quòd ſi res non per ſe turpis, uerùm quoniam auditor perſuaſus eſt, turpis eſſe uideretur, uel à firmiſsimo loco aduerſariorum, & ab eo maxime, quo uehementius credimus auditorem moueri, dicere incipiemus. Quem locum ſi omnino ſoluere non potes, quum ſatis labefactaris, promittes certam eius ſolutionem in loco proprio facturum, neceſſe eſſe alia præmittere, quibus apertiſsima eius loci erit ſolutio: uel omnem aduerſariorum accuſationem in genera quædam reducemus, & ea quaſi diuidendo exponemus. Hoc enim facit, ne quid aut obticere, aut obſcurare uelle uidearis. Quare auditor ſe potius temere aſſenſiſſe arbitratur, quàm te, quem perturbatum oratione aduerſariorum putabat, ſine cauſa confidere. Nec enim poteſt ſuſpicari te ita præparatum fuiſſe, quum uideat ab ipſa oratione aduerſarij exordium fluere, ut Cicero pro Cluentio, Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes, quarum*

altera mihi niti & magnopere confidere uidebatur, inuidia iam inueterata iudicij: altera tantummodo conſuetudinis cauſa timidè & diffidenter attingere rationem ueneficij. &c. Aut dubitatione utemur, cui loco potiſsimum reſpondeamus, aut quid potiſsimum dicamus cum admiratione. Quòd ſi tota cauſa ſic ab aduerſarijs aperta eſt, ut nullo modo negari poſsit, nec iure factum, nec aliud quid eſſe confingere audeas, omnia quum ita eſſe concedis, quæres aliquid aut æquale, aut maius, aut omnino idem quod aduerſarium uulneret: qua ratione, pro Q. Ligario exorſus eſt Cicero: Nouum crimen C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe, idq́; C. Panſa præſtanti uir ingenio fretus fortaſſe familiaritate quæ eſt ei tecum, auſus eſt confiteri. Itaque quò me uertam neſcio. & paulo pòſt conuerſus ad aduerſarium, ut & ipſum terreat, & auditorem excitet, Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum, confitentem reum: Sed tamen hoc ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te Tubero, qua uirum omni laude dignum patrem tuum. Itaq́; prius de ueſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligarij ullam culpam reprehendatis. Non* enim ironia eſt, ut Quintilianus ſentit, ſed uera criminis confeſsio, partim ut miſericordiam captet, partim ut cum eiuſdem rei, quam * poſtea maiorem oſtendit, aduerſarium reum, ac humanitate Cæſaris abſolutum oſtendat, ſummæ crudelitatis arguat, quòd quam ipſe facilè conſecutus erat, eandem miſericordiam cæteris abnegatum iri cenſeat. Nec ſi eſſet ironia, poſſet illud recte dici, quod poſt confeſsionem ſubiungitur. Omiſſaq́; controuerſia omnis oratio ad miſericordiam tuam

Pro Q. Ligario.

conferenda eſt, qua plurimi ſunt conſeruati, Quum à te non ſolum liberationem culpæ, ſed errati ueniam impetrauiſſent. Sicut enim ſimplex confeßio miſericordiam captat, ſic ironicè dicta ab omni miſericordia aliena eſt. Hæc latius diximus, ne quis autoritate potius nonnullorum quàm ueritate ductus, id fundamentum in ea oratione ſibi* faciat, quod totam defenſionem euertere potuiſſet. Quippe ironia huiuſmodi & miſericordiæ oppoſita eſt, & ne eiuſdem criminis accuſemus impedimento. At his duobus maxime tota Ligarij cauſa defenditur, quare non in huiuſmodi cauſis ironice proferendam confeßionem putamus: ſed cum claris ac certis rationibus aduerſarij argumenta refellere poſſumus. Verum de hoc ſatis, nullus enim non mente captus dubitabit criminando aduerſarios ex ſimplici confeſſione hoc in principio beneuolentiam acquiri. Sinautem defeſſus auditor fuerit, aut breuius nos dicturos pollicebimur, quàm parati fuerimus, nec imitaturos aduerſarium, qui per longas ambages eos detinuerit: aut aliquid quod riſum moueat inſeremus: uel ſi rei dignitas riſum non pateretur, aliquid nouum, triſte, horribile dicemus. Nam ut faſtidium ſtomachi, ac cibi ſatietatem aut aliqua re amara leuamus, aut dulci mitigamus, ſic animus audiendo defeſſus, aut horribili re integratur, aut ridicula renouatur. In omni autem exordio id diligenter conſiderandum, ut quid lædat, quid nobis proſit proſpiciamus, ut ab his quæ nos lædunt, uel aduerſarium iuuant, ad ea quæ cauſæ noſtræ adiumento ſunt, aut quæ aduerſarium pungunt, aut ſaltem quæ minus nocent refugiamus. Præterea bonus quidem orator neq; agere neq; dicere cauſam incipiet, niſi quis ipſe ſit, & apud quem, & pro quo dicat, quo tempore, quo loco, quo

Ironia.

* iaciat

rerum

rerum ſtatu, qua uulgi fama, aut opinione, de iudicibus, de re, de accuſatore, de reo, ac cæteris huiuſmodi ſecum ipſe cogitabit. Amplius ſciendum ab omni circunſtantia inueniri exordium, non à perſona ſolum & re, uerum etiam cauſa, loco, tempore, & modo. A fama etiam & expectatione uulgi nonnunquam ducitur, ut Cicero pro Deiotaro inter alia locum quoque introduxit: Moueor etiam loci ipſius inſolentia, quòd tantam cauſam, quanta nulla unquam in diſceptatione uerſata eſt, dico inter domeſticos parietes, dico extra conuentum & eam frequentiam, in qua oratorum ſtudia niti ſolent, in tuis oculis, in tuo ore, uultuq; acquieſco. Multa etiam ſunt exordia, quæ cum principaliter aut beneuolum, aut attentum, aut docilem faciant auditorem, tamen hæc tria ſimul conficiunt. Eſt & illud dicendum, quod quãuis à perſona noſtra principalius, aut ab alio quodam loco exordium conſtituamus, tamen licet uel in ratione expoſitionis, uel in redditione, uel etiam in ipſa expoſitione & à cæteris locis beneuolentiam captam inſerere, quod & de attentione, & docilitate intelligendum eſt. Omne autem exordium ex quatuor maxime componi uidetur, expoſitione, ratione, redditione, comprobatione. Expoſitio eſt oratio, quæ quum ab aliquo eorum locorum, qui ad inuentionem exordiorum pertinere dicti ſunt, inueniatur, aut docilem, aut beneuolum, aut attentum facit auditorem. Ratio eſt oratio accommodata expoſitioni, per quam id quod expoſitum eſt facile confirmatur. Redditio eſt breuis complexio eius quod expoſitione, & ratione conficitur, & totius rei aperta propoſitio. Comprobatio eſt redditionis cauſa, quæ quidem rem totam manifeſtius tangit. Huius artificij exemplum à Cicerone ſumere idcirco fortaßis erit obſcurius, quòd

Pro Deiotaro.

in dicendo non quemadmodum in docendo clare traduntur omnia: Sed ut ars occultetur, & oratio plus dignitatis poſſideat, celari hæc ab oratoribus in dicendo ſolent: non enim ut artem doceant, uerùm ut rem ſuam conſequantur, cauſas agunt. Quare exemplo à nobis clarius poſito, conari conuenit & Ciceronis exordia ad hæc redigere artis præcepta, quod & in cæteris faciemus. At hoc quidem hic dictum ſit, ne ſæpe his excuſationibus longior ſim, quod planè in quantum poſſumus dignitate orationis ſublata artem docemus. Magnitudine tributi coguntur Carthaginienſes liberos uendere: Et quidam apud Romanos legem fert diminuenda eſſe tributa Carthaginienſibus. Neminem ueſtrûm latet, Quirites, quanta mala Carthaginienſes propter uectigalium magnitudinem patiantur: hæc eſt expoſitio à calamitate perſonæ inuenta. Ratio, Neque enim res ita parua eſt, quòd liberos uendere coguntur, ut facile latere poſſit, & quicquid huiuſmodi dici poteſt. Vbi ſciendum quòd nonnunquam etiam ad rationem unam alia poteſt afferri ratio, quum prima non ſatis firma uidetur, aut quum ratio iam dicta non ita probatur, ut egeat comprobatione. Redditio, Vos autem decet, Quirites, pro gloria & laude ueſtri nominis tributa miſeris diminuere. Comprobatio, Ne cogantur tantam calamitatem attingere, ut & filios quos genuerunt, in perpetuam uendant ſeruitutem. Hinc ergo iam aperte uideri arbitror, quoniam orationis grauitate remota res nuda propoſita eſt, quòd expoſitio exordij à locis inuenitur. Ratio à circunſtantijs. Redditio tangit ipſam rem, quam uolumus. Comprobatio cauſam redditionis affert, quæ quidem in iudiciali ut plurimum prætermittitur, aut redditioni coniungitur. Verum in demonſtratiuo genere commodiſſime

dißime

diſsime poſt redditionem dicitur, & ſplendoris affert orationi non minimum. Expoſitio etiam nonnunquam talis eſt, ut duplex eſſe uideatur, qualis illa Ciceronis pro Marcello, quod ut melius percipiatur, non grauabor hic totum illum locum tranſcribere. Diuturni ſilentij patres conſcripti, quo eram his temporibus uſus non timore aliquo, ſed partim dolore, partim uerecundia, finem hodiernus dies attulit, idemq́; initium quæ uellem quæq́; ſentirem meo priſtino more dicendi. Hæc expoſitio eſt ſenſu multiplex, compoſitione orationis omnino ſimplex. Infert deinde rationes, Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatam inauditamq́; clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapientiam ac penè diuinam tacitus præterire nullo modo poſſum. M. enim Marcello uobis patres conſcripti reiq́; publicæ reddito non ſolum illius, ſed etiam uocem meam, & autoritatem uobis & reipublicæ conſeruatam ac reſtitutam puto. Subdit deinde rationes quibus uerecundiam & dolorem, ſilentij fuiſſe cauſam oſtendit, Dolebam enim patres conſcripti, & uehementer angebar, quum uiderem uirum talem qui in eadem cauſa, in qua ego, fuiſſet, non in eadem eſſe fortuna. Nec mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam uerſari me in ueſtro uetere curriculo, illo æmulo atque imitatore ſtudiorum noſtrorum atque laborum, quaſi quodam ſocio à me & comite diſtracto. Poſt hæc ſequitur redditio expoſitioni & primæ rationi accommodatior, & totius cauſæ qua de laudibus agitur Cæſaris apertiſſima expoſitio. Ergo & mihi & meæ priſtinæ uitæ conſuetudinem C. Cæſar intercluſam aperuiſti, & his omnibus ad bene de repub. ſperandũ, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti. Comprobatio, Intellectum eſt enim mihi quidem in multis, &

Pro Marcello.

maxime

maxime in me ipſo, & paulo antè in omnibus, quum M. Marcellum ſenatui reiq; publicæ conceßiſti, commemoratis præſertim offenſionibus, te autoritatem huius ordinis dignitatemq; reipubl. tuis uel doloribus uel ſuſpicionibus anteferre. Hoc Ciceronis exordio omnia quæ ſuperius à me de exordiorum partibus dicta ſunt, intellecta optime puto: hæc & in alijs ordine confecta inuenies, multa uerò colligere ne faſtidium legentibus afferam, ſubuereor. Nam & res his quæ dicta ſunt aperta eſt, & qui hæc intellexerit, eum pulchre cætera orationis exordia percepturum puta. Hæc eadem & in inſinuatione conſiderantur, quamuis longe ac per ambages, & multo confuſius ad redditionem neceſſariò exemplis etiam plerunque interpoſitis deſcendimus. Præter hæc etiam illud ſciendum, exordia quæ ex opinionibus trahuntur ubique inueniri. Cætera quæ ex partitione, exuperatione, aut confectione inueniri diximus, quoniam * propius rei accommodantur, & maiorem in dicendo uim afferunt, quærenda quidem diligenter cenſemus: Verùm non in omnibus inueniri poſſe ſciendum eſt. Item poſſe contingere, ut una in cauſa pluribus à locis exordia inueniantur: ut in eius cauſa, qui ciuitatem deiecit ac ſeuit, omni partitionis modo exordiri poterimus. Nam & quòd ciuitatem deieciſſet, debuiſſe pœnas dediſſe, ut iam diximus, & ſi infamis foret, & ob præteritam uitam puniendum: & ab euentu, ne quam iram in ſolum ipſius urbis dij tranſtulerint, in nos conferant: & à confectione, quòd nos uideamur factum eius in iudicio reprehendere: Re autem uera diuinam iram iampridem impietatem eius coarguiſſe, quòd terra nihil produxerit. Præterea nonnulla exordia multos ad locos accommodari poſſe, ut illud pro L. Flacco, ad utrunque à perſona noſtra

[margin note: * facilius]

noſtra locum pertinere uidetur. Nam & officioſum ipſum in rempublicam fuiſſe oſtendit, & incommodum præter ſpem eueniſſe deplorat: qui modus, tertius commiſerationis locus in tertio nobis ponetur. Ab omnibus enim commiſerationis locis exordium ſumi poſſe uolumus, & locum ab incommodis noſtris nominari. Similiter ab omnibus indignationis locis, quem modum ad perſonam aduerſariorum* adducimus. Item illud pro L. Flacco per exuperationem compoſitum eſt. Nunc nequando uitioſo exordio utamur, quæ uitia uitanda ſunt docebo. Sunt igitur hæc exordiorum uitia, Apparatum, uulgare, commune, commutabile, longum, ſeparatũ, translatum contra præcepta. Apparatum eſt quod nimis continue ac ſplendidè compoſitum eſt, id quum ſuſpicionem afferat auditori præmeditationis, & artificij, ut in iudiciali genere ferè nunquam, niſi quum aut cauſæ magnitudo id poſtulat, aut auditores huiuſmodi ſunt ut contemni ſe credant, ni orationis compoſitione delectentur. Ita in deliberatiuo ſemper adhibendum, nam præmeditationis ſuſpicio oratori conſulenti prodeſt, cauſam agenti obeſt. Quare in iudiciali ſimplicius exordium componi debere dicerem, niſi uererer ne contemni ſe iudices ſuſpicarentur. Nam quum tria præſtare potiſſimum orator debeat, ut doceat, ut moueat, ut delectet, cum ubique, tum maxime in exordio delectare debet. Quare compoſitio exordij nec tam delecta ſit, ut non delectet, nec tam luculenta, ut præparationis ſuſpicionem afferre uideatur. Vulgare eſt quod in plures cauſas poteſt accommodari. Commune quod æquè aduerſariorum cauſæ ac noſtræ conuenire poſſe uidetur. Quare illud, ſi cauſam ſuam, hoc eſt, ſi perſonæ officium tangis, euitabis. Commutabile eſt, quod ab aduerſario leuiter cõmutatis

*reducimus

Exordiorum uitia.

mutatis uerbis ad cauſam ſuam traducitur. Longum eſt, quod *pluribus uerbis compoſitum eſt, quàm cauſa poſtulat.* Poſtu*lant autem ſimplices quidem & honeſtæ aut nullum, aut quàm breuiſsimum: perplexæ uerò, ſuſpectæ ac infames, longius, quamuis in his omnibus adhibendus ſit exordij modus, ut ſemper immodica eius longitudo euitanda ſit.* Separatum eſt, *totum quod non ſicut aliquod membrum * toti cohæret cauſæ. Translatum, quod non id conficit, quod opus eſt, ut ſi quum opus beneuolentia ſit, magis attentum facias: aut ſi inſinuatione utaris, quum principio opus ſit.* Contra præcepta eſt, *quod neq; beneuolum, neq; docilem, neq; attentum facit auditorem. Ac de exordijs quidem ſatis.*

DE NARRATIONE.

[N]*rationum* NArratio eſt oratio quæ rem geſtam, aut perinde ut ge[...]*ſtam diligenter exponit.* Narrationum tria ſunt gene*ra, ciuile, digreſſorium, remotum.* Ciuile eſt, *quo exponimus rem geſtam, & unumquodq; trahimus ad utilitatem noſtram.* Digreſſorium, quod habet digreſsionem, *aut criminationis, aut delectationis, aut fidei, aut laudis, uel apparitionis cauſa.* Remotum eſt, *quod à ciuili cauſa ſeiunctum eſt, in quo tamen exerceri conuenit, ut facilius id quod ad cauſam pertinet, peragere poſsimus.* Huius duæ ſunt partes, *nam aut perſonis aut negotijs attribuitur.* Primum debet continere quan[...]*dum orationis dignitatem perſonis accommodatam, ut ſermo[...]num accommodata uarietate, & orationis feſtiuitate, animorum oſtendat diſsimilitudinem, grauitatem, leuitatem, ſpem, metum, ſuſpicionem, deſiderium, diſsimulationem, errorem, miſericordiam, rerum uarietates, fortunæ commutationes, inſperatum incommodum, ſubitam lætitiam, iucundum exitum*

rerum

rerum. Alterum quod negotijs attribuitur, tres habet partes, fabulam, hiſtoriam, argumentum. Fabula eſt oratio, quæ rem nec ueram, nec ueriſimilem continet. Hiſtoria eſt oratio, quæ rem ueram, ſed ab ætatis noſtræ memoria remotam continet. Argumentum eſt oratio, quæ rem fictam, ſed ueriſimilem explicat. Verùm quoniam digreſſoria narratio oratori neceſſaria eſt, ut qualis ſit uel digito demonſtretur, à Cicerone, cuius diuinæ orationes hæc nobis omnia ſuppeditant, exemplum ſumamus. Quarto igitur in Verrem, quum ex oppido Thermitanorum antiquiſsima ſigna ſublata eſſe quereretur, ſic maioris inuidiæ ac criminationis cauſa digreditur, Etenim ut ſimul P. Africani quoque humanitatem agnoſcatis, oppidum Himeram Carthaginienſes quõdam ceperant, quod fuerat in primis Siciliæ & clarum, & ornatum. Scipio qui hoc dignum populo Romano arbitraretur, bello confecto ſocios ſua per noſtram uictoriam recuperare, Siculis omnibus Carthagine capta, quæ potuit reſtituenda curauit, & cætera quæ ſequuntur: ſed hæc longior, illa breuiſsima in tertio. Ne poſtea quidem cum in ea ipſa loca ueniſti, potuiſti accipere id quod eſt proditum memoriæ, ac literis, Latonam ex longo errore & fuga grauidam, & iam ad pariendum uicinam temporibus exactis cõfugiſſe Delum atq; ibi Apollinem, Dianamq; peperiſſe. Huiuſmodi multa ſunt in Verrem cum fidei, tum criminationis cauſa, delectationis etiam, ut Proſerpinæ raptus. Laudis quoq; & uituperationis gratia nonnulla inuenies, ſed ex uno uel altero exemplo, qualia ſint omnia intellectum iri ſatis puto. Illud præcipiendum, animaduertiſſe nos, Ciceronem has digrediendi narrationes cum aliqua ſemper ferè uel admonitione uel præparatione dicere, ſi cui placet ita ingreſſum illum

Fabula.

Hiſtoria.

Argumentũ.

appellare. Etenim ut ſimul P. Africani quoque humanitatem cognoſcatis. Præterea ex hiſtorijs plerunque uel fabulis ſumi, & in omni parte orationis præterquam in exordio & peroratione fieri poſſe. Ad hæc non narrando ſolum digredi, ſed laudando quicquàm, uel locis demonſtratiui generis, uituperando, exhortando, terrendo, deprecando, conſulendo, & multis alijs modis. Nam quicquid per totam orationem dicitur, quod non à re de qua agitur, aut ab his circunſtantijs, quæ ei rei implicitæ ſunt ad probandam rem trahitur, id totum digreſſorium oportet exiſtimari: & longiora quidem huiuſmodi nonnulla ſunt, ut quarto in Verrem Siciliæ laus, & pro Cornelio popularis illa uirtutum Cn. Pompeij commemoratio. Sed de digreßione ſatis. Illa narratio quæ ad cauſas pertinet debet eſſe dilucida, breuis, ueriſimilis. Neceſſe eſt enim ſi uictoriam in dicendo conſequi uolumus, ſic dicere ut auditor facilè intelligat, meminerit, credat. Verum dilucida, breuis, ac ueriſimilis oratio, tametſi ad omnes partes orationis pertineat, tamen maxime in hac parte cuſtodienda eſt, qua primo iudicem docemus. Nam ſi acciderit ut expoſitionem cauſæ iudex aut non intelligat, aut non meminerit, aut non credat, fruſtra in reliquis laboramus. Breuis narratio erit, ſi non à primo principio repetetur, & ſi ſummatim, non particulatim narrabimus, ſi omnia quæ non iuuant prætermittemus, ſi ita uniuſcuiuſque dicemus exitum, ut etiam ſi quæ antecedunt intelligantur, ſi ſemel dicta non repetemus, ſi nullis circuitionibus utemur, ſi non digredimur, ſi uſque eò quò opus fuerit progrediemur, deinde ſi ea ſolum dicemus quæ prætermitti non poſſunt, quæ per ſe intelliguntur abijciemus. Nam qui ita narrat, Domum tuam petij, hoſtium

hoſtium pulſaui, puer reſpondit, eum interrogaui ſi ibi eſſet dominus, negauit, ego inde diſceßi, in forum redij, Is ſe non intellexit multitudine rerum non uerborum male narraſſe. Quare nobis placet tam rebus quàm uerbis breuem eſſe narrationem. Sed ſi quoniam multa dicenda eſſent, longam narrationem intexere neceſſe eſt, in fine narrationis commonitione, hoc eſt, breui quodam utemur epilogo, quo ſummatim quæ dicta latius ſunt, in memoriam redigamus. Quod Cicero etiam in narratione breuißima pro Ligario idcirco fecit, ut quoniam cauſa difficilis erat, his argumentis narrationem, quæ ſuperius tetigit breuiter, latius comprobaret. Nam quod initio dixit, cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, ibi repetit, Adhuc C. Cæſar Q. Ligarius omni culpa uacat, domo egreſſus eſt non modo nullum ad bellum, ſed ne ad minimam quidem ſuſpicionem belli. Ac cætera ſummatim ita repetit, ut argumentis confirmet. Quare ipſius Ciceronis ſententia placet: ut & ſummatim ſi opus eſſe uidetur, diffuſius dicta repetamus, & interpoſitis argumentis quæ aut minus ueriſimilia, uel contra nos eſſe uidentur, ea apertius refellamus. Non enim ita breuem narrationem eſſe cenſemus, ut aut in obſcuritatem incidat, aut minus credibilis uideatur. Nam ſatius eſt ſupereſſe aliquid quàm deeſſe: ut enim ſuperuacua cum faſtidio audiuntur, ſic neceſſaria non ſine periculo ſubtrahuntur. Præterea ſi quàmmaxime ornata erit, & uarietate orationis iucunda, etſi longior erit, cum tamen delectet, breuior uidebitur. Quare quanto plura dicenda ſunt, tanto nobis politior narratio conficienda uidetur. Ad ſummum, breuem narrationem non eam dicimus qua minus, ſed qua nihil plus quàm oporteat dicitur. Dilucida erit, ſi rerum ac temporum ordinem

ſeruabimus, ſi non deerrabimus ab eo, quod incœpimus exponere, ſi breuitatis præcepta ſeruabimus, præterea ſi nihil noué, aut contorté, aut duriter translatum dicemus, ſi proprijs & maxime uſitatis uerbis utemur, ſi orationis contextus nec nimium longus, nec nimium confuſus ſit. Poſtremò ſi tota narratio ſic diſtincta, rebus, perſonis, temporibus, locis, ac cauſis erit, ut unum alterum confirmet, & nullum aliud confundat. Hoc enim plurimum ad claram & uerisimilem narrationem pertinet. Veriſimilis *Veriſimilis narratio erit, ſi ut natura rei & mores hominum ac opinio poſtulat, narrabimus, ſi cauſæ rerum, conſiliorum rationes extabunt, ut nihil actum, nihil dictum ſine cauſa putetur. Nam cum totius confirmationis, ac confutationis fundamentum narratio ſit, non eſt dubium, quin ſemina probationis debeat continere. Fluunt autem probationes omnes à locis uniuſcuiuſque conſtitutionis maxime proprijs, quos in aliqua circunſtantia fundari neceſſe eſt. Quare placet in narratione non perſonarum dignitates ſolum & rem & cauſam, & quæ cum has circunſtantias conſequantur, aut antecedant ad rem noſtram comprobandam aut improbandam aduerſariorum pertinent, uerùm etiam locorum opportunitates, ſpatia temporum, ac occaſiones rerum idoneas narrationi diligenter inſerere. Si aliquid falſum exponimus, danda eſt opera ut ueris conueniat, ac his quodammodo cohæreat, ac innitatur. Nam quæ finguntur, niſi ueris ac manifeſtis mixta comprobentur, facile ficta eſſe intelliguntur. Quod diuinitus poëta omnium præſtantiſſimus in exponendis Sinonis inſidijs conſecutus eſt, nam ſtatim à ueris incipit, Fando aliquid ſi forte tuas peruenit ad aures, Belidæ nomen Palamedis & inclyta fama. Cui fictum illud accommodat, Illi me comitem,*

tem, & conſanguinitate propinquum Pauper in arma pater. &c. Verùm deinde addit, Inuidia postquàm pellacis Vlyßi (Haud ignota loquor) ſuperis conceßit ab oris. Quo in loco ille poëta eximius etiam interruptione quadam narrationis, ut animi cupiditate audiendi exarderent, mirifice uſus eſt, Sed quid ego hæc autem nequicquàm ingrata reuoluo? &c. Præterea id maxime tenendum memoria arbitror, quod quum ubique per totam orationem diligenter faciendum ſit, tum uel maxime in ficta narratione ualde cauendum, ne parum inter ſe quæ dicuntur conueniant, ne ſibijpſis pugnantia ſint, ne quid per totam orationem aliter ac expoſuimus, aut dicere, aut ſentire uideamur. Solent enim ficta, memoria facile excidere. Vnde uulgò etiam dicitur, mendacem memorem eſſe oportere. Verùm hoc, ſcilicet ut breuis & dilucida, ac ueriſimilis narratio ſit, ita ſimul intelligimus, ut unicum quoddam genus confici uelimus. Nam etſi præcepta ſeparatim dantur, quod aliter fieri non poteſt, tamen omnia ſimul in dicendo amplectemur. Neque enim propter breuitatem præcepta ea quæ ueriſimilem rem faciunt prætermittemus, nec ut ueriſimiliter dicamus, breuitatem deſpiciemus: nec ut credibilis, ac breuis narratio ſit, * nimis uitandum eſt, ne obſcuritate offendas. Quod erit, ſi omnia quæ ad probandum neceſſaria ſunt, nec prætermittuntur, nec longa oratione, ſed paucis & quaſi proprijs uerbis exponuntur. Vt ſi propter habendam mulierem, ac bona eius, ueneno à quodam maritum ipſius petitum aſſeueraſſes, ſic breuiter probationis ſemina delibabis, Auarus & libidinoſus homo ueneno mulieris uirum excipere inſtituit. Quod ille cum poculo hauſiſſet ſanus bibit, ſtatim concidit, & liuor & tumor confeſtim iudices, inſecutus eſt. In difficilibus autem cauſis, etiam

Mendax memor.

*

illud communiter præcipiatur, ſententias exordij quàm breuißime tangendas nobis uideri. Nonnunquam etiam ad leuandum tædium interfatione quadam auditorem reficiendum. Audiſtis quæ acta ſunt, accipite nunc quæ ſequuntur. Præterea quædam alio loco dicturum aut omnino prætermiſſurum te ſignificare nonnunquam oportet, quale eſt apud Ciceronem, Moritur Fuluius. Multa enim quæ ſunt in re, quia remota ſunt à cauſa, prætermittam. In omni autem cauſa non accuſator ſolum, ſed etiam reus narrabit, niſi accuſatoris narratio ſatis ſibi utilis eſſe uidebitur: Eritq́; ipſa rei narratio magis ſimplex ac demiſſa, quàm accuſatoris: quod enim ille aſtute nonnunquam factum, aut conſilio dicet, nos ſimpliciter ita narrabimus, ut caſu potius, aut imprudentia, quàm ex conſilio factum aut dictum putetur. Ad hæc, ſi narratio non bene tota cohæret, ac parum uériſimilis, ſi tota ſimul dicitur, uideri poteſt, poterimus particulatim narrare, & parte comprobata, reliquum etiam narrationis & comprobationis abſoluere, quod ſæpius reo faciundum dixerim, quum anguſtijs cauſæ angitur. Narrabit enim partem & confutabit, deinde reliqua etiam hoc modo perſequetur. Inueniri nonnunquam & huiuſmodi cauſas non ignoro, in quibus nulla narratio eſt, ut ſi quæratur, filius'ne an frater ex inteſtato mortui hæres eſſe debeat. Hoc enim in caſu nihil prorſus eſt quod narres. Nam nec res ipſa, nec quæ ad cauſam probandam extra pertinent, narrationem patiuntur: quæ res, ut tota breui ac liquidò pateat, narrationis materiam ex tribus profluere ſciendum eſt, ex re geſta, ex his quæ rem probant, ex utriſque. Ex re ipſa geſta, ut nocte ingreſſus templum eſt, pecuniam grandem inde ſubripuit, quum exiret, à cuſtodibus comprehenſus, eos quoque ipſos pollicitationibus magnis

gnis

gnis corrupit. Ex *his quæ rem probant, ut* Vlyſſes *quum ſe neget* Aiacem *occidiſſe, in re quidem nihil narrat, ſed ſibi cum* Aiace *nullas fuiſſe inimicitias dicit, de laude inter ipſos certatum, caſu deinde aut aliqua de cauſa ueriſimili eum in ſolitudinem ueniſſe, iacentem ac exanimem* Aiacem *conſpicatum eſſe.* Ex *utriſque, quum & res geſta narratur, & ea quibus res probatur non prætermittuntur, ut ſi ad ea quæ dicta ſunt* Vlyſſes *adijceret commiſeratione ſe commotum, gladium extraxiſſe:* Teucrum *deinde interueniſſe.* Quare *diligenter conſiderandum eſt ſiquid narrationi aut res, aut probatio, aut utrunque mediocriter ſuppeditare poteſt.* Quod *ſi non accidit narrationi, tunc ſolum ſuperſedendum eſt.* Nam *ſi iudex cauſam præſciret, adhuc nihilominus narrandum eſſet, non enim ſolum ut cognoſcat, ſed maxime ut conſentiat narratio adhiberi ſolet.* Oratoris *tamen iudicio narrandum néc ne ſit, quum cauſa ab auditoribus tenetur, relinquimus.* Verum *quoniam nonnulli ut breuiter narrent, male putant ab ipſa re qua de agitur incipere ſemper narrationem debere, de initio ac præparatione eius dicendum uidetur latius.* Ergo *cum exordium ita perfeceris, ut initio narrationis cohæreat, ſiquidem res per ſe huiuſmodi eſt ut & ſatis pateat, & probationum ſemina omnia continere uideatur, ipſam ſtatim aggredi proculdubio debemus.* Vt Cicero pro Cn.Pompeio, Bellum *graue, & periculoſum noſtris uectigalibus, atque ſocijs à duobus potentiſsimis regibus infertur,* Mithridate *&* Tigrane. Quòd *ſemina probationum non ſolum à geſtione oriuntur negotij, ſed etiam ab his quæ negotium antecedunt & conſequuntur, narratio quum ab his quæ anteceſſerunt incipiat, cuncta perſequetur à quibus probaturi cauſam ſumus, ut*

 Cicero

Cicero pro Archia poëta non inde incœpit, quòd cum Lucullo in Siciliam profectus, Archias quum inde decederet in Heracleam ciuitatem aſcriptus eſt, quod ad rem pertinebat, ſed ut facilius probaret non modo non eſſe ſegregandum, cum ſit ciuis, à numero ciuium, uerum etiam aſciſcendum ſi non eſſet, ſic incœpit, Vt primum è pueris exceßit Archias, atque ab his artibus quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe ad ſcribendi ſtudium contulit, primum Antiochiæ, nam ibi natus eſt. Omniaq́; narrat Archiæ ingenio ac doctrina magnificè fermè à pueritia contigiſſe. Verum ut ordine, ac certioribus præceptis hanc rem aperiamus, in iudiciali genere primum conſiderandum uidetur priuatáne an publica quæſtio ſit. In priuatis iudicijs ſi accuſamus, à præterita uita ita incipiemus, ut ſemper eum auarè uixiſſe aſſeramus, ſi propter auaritiam factum contendimus, aut luxurioſe, perfidioſe, ambitioſe, quæ omnia uel latius, ſi firmiora ſunt, uel per occupationem, ſi tenuia, proferemus, deinde paulatim deſcendere poterimus ad eam rem, quam perperam ab eo factam criminamur, propter id animi uitium, quod iam prænarrauimus. Quòd ſi præterita uita ea eſſet ut minime nos iuuaret, præparatio narrationis per paralepſim, hoc eſt, prætermißionem introducenda erit. Nam quæ in præterito egerit tempore derelinquere nos dicemus, ne quid extra cauſam agere uideamur. Rem ſic apertam eſſe, ut per ſe probetur non alijs adminentis egere: Sin defendimus, ſimiliter à tranſacta uita, ſi adiumento nobis eſt præparabimus. Sin aduerſarium potius iuuat, dicemus ad rem uenire, ne multitudine earum rerum quæ extra crimen id ſunt quod aduerſarij fecerunt, tempus conteramus. Eodem modo & in publicis quæſtionibus ſem-

In priuatis iudicijs accuſare.

per à

per à ſuperioribus incipiemus, quæ tamen à cauſa aliena non ſint. Id ſane ſciendum quòd in priuatis præparationes à qualitate ut diximus perſonarum plerunque inueniuntur, in publicis etiam ab operationibus, & maxime his quas publice fecerunt, hoc modo, Quum mille captiui noctu ab hoſtibus fugiſſent, imperator eis portas ſecundum legem non aperuit, trucidantur ab his qui eos perſequebantur, accuſatur imperator: præparatio hic & à qualitate perſonæ, quòd ſemper perfidus, rebusq; publicis inimicus fuerit, & à rebus publice geſtis, quòd ita imperitauerit, ut & multi proſtrati: & quomodo imperitauerit, breuiter aperiemus, & mille noſtrûm capti ſint: etiam exponemus rem amplificando, ita tamen ut narrationi amplificatio conueniat, Qui cum uirtute ac nobilitate animi ad conſeruandam patriam, quam ipſe amiſerat, uincula rupiſſent, in portas ueniſſent, perfidia ſua uſus ipſis aperire noluit. Quæ ut clarius intelligantur non grauabimur uarijs exemplis qualia eſſe debeant oſtendere. Quare ſi breuiter dicamus ut in conſultatione primo migrationis, deinde latione legis, tertio de bello & pace præparatio inueniri ſoleat, reliqua iudicio eius qui orat dimittemus. Qui de migratione conſultant, tribus maxime moueri ſolent: nam aut quia commoda quæ prius ex prouincia ſua capiebant, deficiunt: Vt ſi Aegyptij, quoniam non creſcit amplius ut conſueuerat Nilus migrandum dicerent: Aut quia noua calamitas terret, ut ſi Siculi impetu Aetnæi mouerentur ignis: Aut ſi nullum horum factum eſt, quia melioris prouinciæ deſiderio afficiuntur, ut ſi Veneti an migrandum eſſet in Græciam, conſultarent. In primo ergo ſi ſuademus, nulla alia de re aſſeremus maiores Aegyptum habitaſſe, niſi quia uidebant quæ commoda Nilus cre-

mento ſuo afferret. Eorum commodorum breuem expoſitionem faciemus, deinde dicemus nos meritò maiorum ſententiam obſeruaſſe, quouſque eam rem habebamus, quæ eos hortata fuit Aegyptum habitare: nunc autem cum fluuius non creſcat, & hæc aut illa patiamur, fugiendum cenſeo. Etiam narrabit incommoda quæ patiuntur cum amplificatione. Diſſuaſor non illo commodo ſolum motos fuiſſe maiores, ut Aegyptum habitarent dicet, ſed alijs quoque multis, quæ ſummatim exponet cum amplificatione quadam: quæ omnia quum adhuc nobis integra adſint, paruo hoc incommodo non debere moueri, & id narrabit incommodum ſimpliciter, uel cum attenuatione. In altero, hoc eſt, quando noua calamitate terremur, dicemus maiores huiuſmodi calamitatem nunquàm ſuſpectam habuiſſe, nunquam enim ibi habitaſſe ſi hoc prouidere potuiſſent, & ſic quæ patimur exponemus. Similiter diſſuaſor, maiores alijs prouinciæ bonis motos oſtendet, quæ dicet amplificando ut diximus, moderatè tamen, ac ut narrationis natura amplificationem patitur, hoc modicum incommodi poſſe accedere ipſos intellixiſſe, quòd bene ſcirent naturam ignis, & exponet rem cum attenuatione. In tertio, ſi ab hiſtoria iuuamur, quod & in cæteris faciendum eſſe arbitror, dicemus maiores neceſsitate compulſos exilij, uel bellorum cum hoſtes à priore prouincia, quam ipſi habitabant expuliſſent, eum locum habitaſſe. Quæ prout hiſtoria nos iuuat ſatis ample ſi res poſtulat enarrabimus, ut appareat non commoditate prouinciæ adductos, ſed ab inſtanti calamitate impulſos ibi maiores habitaſſe, deinde ad rem ueniemus, & huius loci quem habitamus incommoda, ac eius ad quem migrandum dicimus commoda breui cum amplificatione

tione amplectemur. Diſſuaſor ſimiliter ſi ab hiſtoria iuuatur, non calamitate impulſos, ſed electione ad illum locum ueniſſe maiores prænarrabit. Quòd ſi neuter ab hiſtoria iuuatur, unus incommoda, alter commoda, quæ ſibi eo in loco acciderunt breuiter prænarrabit. Si de ferenda lege dicimus, inde incipiemus, quòd iampridem utile fuiſſet hanc legem conſtitutam fuiſſe, non enim hoc aut illud incommodum nobis accidiſſet. Et exponet incommoda, quæ ideo accidiſſe putat, quoniam hæc lex conſtituta non erat. Similiter ſi de abroganda lege diſputamus, Vtinam, dicemus, ea lex nunquam conſtituta fuiſſet. Non enim ſic & ſic eueniſſet. Et ea incommoda breuiter dicet, quæ aliàs ex ea lege ſecuta ſunt: deinde ueniet ad ea, quæ ut legem reuocent impellere uidentur. Sin de una abroganda, & altera ferenda, utrunque in præparatione narrationis amplectemur, quòd illam nunquàm latam propter hoc, hanc iam diu conſtitutam oporteret. In conſultatione belli iam antè illatas nobis iniurias prænarrabimus, quibus iam bellum hoſtibus indictum eſſe dicemus oportuiſſe: ſed quoniam etiam nunc, ueniemus ad ea quæ magis ad rem pertinent. Simuliter ſi de pace deliberatur, ſuſcepta iam ab hoſtibus beneficia ſi qua ſunt, in præparatione collocabimus. Aut ſi hoc minime nos iuuat, quæ bellum incommoda, aut quæ pax commoda afferre ſoleat prænarrabis, deinde ad ſuſcepta iam ab hoc bello incommoda deſcendes. Ac hæc quidem de præparatione narrationis ſufficiant: Nõ enim omnia inuenire ac dicere poſſe confidimus: Verùm principia ac radices inuentionis tradere conſtituimus, cætera diligentia declamatoris, ſi hæc principia obſeruabit, facile inueniet. In ipſo autẽ (ut ita dicam) narrationis corpore, ut ordine nar-

De latione legis.

De con[...]tione b[...]

remus danda eſt opera:hoc enim breuem & dilucidam maxime facit narrationem. Primum itaque ſi ita opus fuerit, quid derelictum dicemus, deinde quid factum. At hoc quidem defenſori qui plerunque ſimpliciter rem exponit ſufficit: Accuſator autem & cauſas acriter afferet quare hoc derelictum, illud factum ſit, & conſilia nonnunquam conſiliorumq; rationes explicabit. Vt pro Milone Cicero, Interim cum ſciret Clodius (neque enim erat difficile ſcire) iter ſolenne, legitimum, neceſſarium ante diem XIII. Calendas Februarij Miloni eſſe* Lauinium ad flaminem prodendum, quòd erat dictator Lauinij Milo, Roma ipſe ſubito profectus pridie eſt, ut ante ſuum fundum (quod re poſtea intellectum eſt) Miloni inſidias collocaret, atq; profectus eſt ita ut concionem turbulētam, in qua eius furor deſideratus eſt, quæ illo ipſo die habita eſt relinqueret: quam, niſi obire facinoris tempus locumq; uoluiſſet, nunquam reliquiſſet. Scire autem utiliſſimum eſt tres eſſe modos narrationis, ſimplicem, cum ratione ſolum, tertium quum ad rationē modus quoq; quo geſta eſt res afferri ab oratore uidetur. Simplici & defenſor plerunque ut iam dictum eſt, & etiam accuſator utetur, quum res huiuſmodi eſt, ut etiā ſine rationibus per ſe ipſam pateat. Cum ratione narrabimus, cum res per ſe ſatis ueriſimilis non uidetur niſi ſubiecta ratione. Modum etiam addemus rationi, quum res etiam additis rationibus tenuior uidetur. At plerunque narrationes ita compoſitæ ſunt, ut ex una parte ſimplices ſint, ex altera ratione aut etiam modo confirmentur, quas tamen ex re nominamus, qua magis eas abundare manifeſtum eſt. Narrat in præclariſſima illa oratione Cicero ad populum pro Cn. Pompeio bello Mithridatico præficiendo ſimpliciter. Item pro Archia poëta. At in oratione illa maxime uaria

*Lanuuium

uaria, quam pro Milone edidit narrat dupliciter, primum cũ rationibus & modis nonnunquam unumquodque corroborat, qua in parte acerrimi accuſatoris officium amplectitur: narrat deinde ſimpliciter, cum exponit omnia quæ ad defenſionem Milonis pertinent. Quare autem ita dupliciter narret, ut & accuſatoris & defenſoris officium aſſumere uideatur, quum de conſtitutionibus dicemus, enodabimus apertiſſimé. Sed de narratione ſatis multa, ſi exemplo oſtendemus quid ſit quod diximus, narrationem cum amplificatione proferri oportere. Id ergo ita diximus, ut oſtenderemus non nudam nobis expoſitionem rerum adhibendam uideri, ſed talem ut affectus moueat, non incitet: prouocet, non exagitet. Nam inflammare quidem & uexare omni affectus genere perorationis eſt, tangere uerò & commouere narrationis. Neque tamen negauerim magnificas quaſdam narrationes eò indignitatis uel cõmiſerationis efferri, ut perorationis magnificentiæ ſimillimæ ſint: ſed ut hoc rarius, ita illud ſemper neceſſarium, uiuam eſſe & moratã narrationem, quod fit cum mores hominũ, dicta, ſtudia, habitus, facta (quæ omnia actione, uerbis, uultus diſpoſitione notantur) quamuis breuiter, tamen ita explicantur, ut geri, non audiri uideantur, quales ſunt Ciceronis ubique. Sed nobis ſi ex uno loco Verrinarum exemplum ſumpſerimus, ſatis erit. In tertio igitur, ubi Philodemi caſum narrando ſubiecit oculis, nonne ea ſtatim iecit fundamenta quæ à nobis probantur? Oppidum eſt in Helleſponto Lampſacum iudices, in primis Aſiæ prouinciæ clarum & nobile, homines autem ipſi Lampſaceni cum ſumme in omnes ciues Romanos officioſi, tum præterea maxime ſedati & quieti propè præter cæteros ad ſummum Græcorum otium potius quàm ad ullam uim

aut

aut tumultum accommodati: Et *poſt pauca huiuſmodi*, *Erat comes eius* Rubrius *quidam, homo factus ad iſtius libidines, qui miro artificio quocunque uenerat inueſtigare omnia ſolebat, is ad eum rem iſtam defert*, Philodemum *eſſe quendam genere, honore, copijs, exiſtimatione facile principem* Lampſacenorum, *eius eſſe filiam quæ cum patre habitaret propterea quòd uirum non haberet, mulierem eximia pulchritudine, ſed eam ſumma integritate pudicitiaq; exiſtimari: homo ut hæc audiuit, ſic exarſit, &c. & parum poſt hæc*, Poſtea *quàm ſatis calere res* Rubrio *uiſa eſt*, Quæſo, *inquit*, Philodeme, *cur nos ad filiam tuam non intro uocari iubes?* Homo *qui & ſumma grauitate, & iam id ætatis & parens eſſet, obſtupuit hominis improbi dicto*. Inſtare Rubrius, *tum ille ut aliquid reſponderet, negauit moris eſſe* Græcorum, *ut in conuiuio uirorum accumberet mulier: hic tum alius ex alia parte*, Enimuero *ferendum hoc non eſt, uocetur mulier, &c.* Quid *illa, quantos affectus prouocant, quanta ante oculos indignæ rei ſubiectio?* Conſtituitur *in foro* Laodiceæ *ſpectaculum acerbum & miſerum, & graue toti* Aſiæ *prouinciæ*. Grandis *natu parens adductus ad ſupplicium, ex altera parte filius, ille quòd pudicitiam liberorum, hic quòd uitam patris famamq; ſororis defenderat, flebat uterq; non de ſuo ſupplicio, ſed pater de filij morte, de patris filius*. Quid *lacrymarum? & cætera*. Verum *quoniam quod in accuſatione amplificationem appellare placuit, id in ſimplici defenſionis narratione extenuationem nominauimus, quid hæc nobis extenuatio ualeat aperiemus*. Extenuationem *ergo in narrationem conficies, ſi quæ acta ſunt ita ſimpliciter narres, ut quàm tarde, ſine aſtutia, conſilio, dolo, præparatione ſingula facta ſunt oſtendat oratio, quod fiet ſi*

quæcunq;

*quæcunque minuta, & quaſi puerilia ſunt in rebus non præ-
termittas.* Qualis eſt illa pro Milone diuina narratio, *Milo
autem quum in ſenatu fuiſſet, eo die quo à ſenatu eſt di-
miſſus domum uenit, calceos, & ueſtimenta mutauit, pau-
liſper dum ſe uxor ut fit, comparat, commoratus eſt.* Id præ-
terea optime tenendum, quum narratio nobis talis eſt, ut
mirifice commouiſſe affectus uideatur, procurſu quodam qui
ampliorem inuidiam incitet, poſt eam uti licere. Procur- *Procurſus.*
ſus eſt oratio ad quam nos impetus affectuum quos in di-
cendo commouimus, uehementius impellit, ut in magnifica
illa Philodemi caſuum narratione. *Nemo iam Dolobella,
nec tui, nec tuorum liberorum, quos tu miſeros in ege-
ſtate atque ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt. Verreśne
tibi tanti fuit, ut eius libidinem hominum innocentium ſan-
guine lui uelles? idcircóne exercitum atque hoſtem re-
linquebas, ut tua ui & crudelitate iſtius hominis impro-
biſsimi pericula ſubleuares?* Sed hæc in iudicem, illa in
ipſum Verrem, *Tantǽne tuæ Verres libidines erunt, ut
eas capere ac ſuſtinere non prouinciæ populi Romani, non
nationes exteræ poſsint? Túne quod uideris, quod audie-
ris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi ad nutum tuum
præſtò fuerit, niſi libidini tuæ, cupiditatiq; paruerit, imi-
tentur homines, expugnabuntur domus, ciuitates non modo
pacatæ, uerùm etiam ſociorum atq; amicorum ad uim atque
arma confugient, ut ab ſe, atq; liberis ſuis legati populi Ro-
ma. ſcelus ac libidinem propulſare poſsint?* Tali procurſu non
poſt narrationem ſolum, ſed inter confirmationem quoque &
confutationem, cum res poſtulat, quod facile natura ipſa du-
ce, quæ commotos affectus effundere cogit, intelligere poſſu-
mus, uti commodiſsime oportebit. Hunc procurſum in omni-

bus ferè narrationibus in Verrem inuenies, quod ideo factitatum puto, quoniam in perorationibus uniuſcuiuſque actionis propter negotiorum multitudinem ſingula amplificare cum laborioſum, tum confuſum fuiſſet. Qua ratione & ipſas narrationes ampliores ac magnificas editas contenderim, & confirmationes procurſibus pleniſſimas non dubitauerim. Procurſus locis perorationis fit, de quibus in tertio dicemus, & breuior eſſe debet, ne perorationis ſedem arripuiſſe uideatur. Ibi enim conſultò, hic impetu elati indignamur, & eos affectus incitare qui in narratione commoti ſunt laboramus.

DE CONTENTIONE.

Contentio eſt oratio, qua rem noſtram, argumentis aduerſariorum ſolutis, ordine comprobamus. Eius tres ſunt partes, diuiſio, confirmatio, confutatio, quas ideo orationis particulas, non principales partes eſſe dicimus, quoniam & diuiſio in confirmatione eſt, & confirmatione, niſi confutaueris nihil probes neceſſe eſt. Quare placuit has tres ſub contentione ponere, deinde contentionem in eas diuidere, quod & Cicero in partitionibus fecit, quippe in eo libro non ſex, ut in rhetoricis libris, quos poſtea in Oratore reuocauit, ſed quatuor orationis partes eſſe aſſerit. Verùm ad ueritatem rei multum, ad dicendum nihil attinet, ſex aut quatuor dicere orationis partes. Contentione enim in has tres diuiſa, eadem in dicendo commoditas, ac eædem partes rurſus relinquuntur. Diuiſio eſt oratio, per quam quid in controuerſia ſit, & quibus de rebus dicturi ſimus, breuiter exponimus. Diuiſionis duæ ſunt partes, ſeiunctio & diſtributio. Seiunctio eſt ratio, per

quam ſic exponimus quid nobis conueniat cum aduerſario, ut quid in controuerſia ſit ſeiungatur, hoc modo, Interfectam eſſe matrem ab Oreſte, conuenit mihi cum aduerſarijs, iure'ne fecerit, & licuerit'ne facere, id in controuerſia eſt. Item, ex alia parte, Agamemnonem à Clytemneſtra interfectum aduerſarij confitentur, quum hoc ita ſit, me ulciſci parentem negant oportuiſſe. In ſeiunctione attendendum eſt, ut ea ſolum quæ utilia nobis ſunt, & cum aduerſarijs conueniunt, dicamus: nam quæ obſunt aut quæ non iuuant omnino non ſolum hic, ſed per totam orationem prætermittenda ſunt. Præterea ſi ea quæ dicimus conuenire, non ſatis conſtat quòd conueniant: aut ſi aduerſarium ſecum ea conuenire, negare ſuſpicamur (quod accidit cum rationum ac firmamentorum infirmatione, alij quoque ſtatus emergunt) argumentationibus nonnunquam quæ conuenire uelimus comprobamus, *anguſtiæ enim cauſæ ſæpenumero cogunt, ut longis confutationibus eorum quæ obſtant ſeiunctionem aperiamus, quod Ciceronem pro Milone diuinitus feciſſe, dicere non dubitauerim. Nam quum conueniret aduerſarijs cum clariſsimo oratore, à Milone interfectum eſſe Clodium, id in controuerſia relinqui eloquentiſsimus uir uolebat, iure'ne occiſus ſit an non: cui controuerſiæ quum id obſtaret, quod ab aduerſarijs dicebatur, nemini fas eſſe ullo modo hominem occidere: Ac etiam quòd ſenatus iudicauerat, contra rempub. cædem in Appia uia factam uideri: Et tertiò, quòd Pompeius ut quæreretur de ea re tulit, quæ omnia ei rei, quam ille in controuerſia relinqui uolebat, uehementer obſtabant, neceſſe fuit hæc ita confutare, ut poſtea controuerſia plana relinqueretur. Quare placet non ad exordium, ut hi aſſerunt, qui ſeiunctionis uim non intellexerunt, ſed ad

*anguſtiæ

ſeiunct

ſeiunctionem controuerſiæ confutationes illas pertinere: neque mirum eas ante narrationem poſuiſſe, fruſtra enim narraſſet, niſi prius ea confutaſſet quæ controuerſiam omnem auferebant, quod etiam à uerbis ipſius Ciceronis *ita eſſe facile comprobabimus*. Nam *& poſt exordium, cum iure poſſe interfici hominem probare uelit, ſic ait,* Sed *antequã ad eam orationem deueniam, quæ eſt propria noſtræ quæſtionis, uidentur ea eſſe confutanda, quæ in ſenatu ſæpe ab inimicis, ab improbis ſæpe iactata ſunt: & in concione etiam pauloante ab accuſatoribus,* V*t omni terrore ſublato rem planè quæ uenit in iudicium uidere poßitis: & ante narrationem quum cõfutationis eius afferat concluſionem, ſic dicit,* R*eliquum eſt, ut nihil iam quærere debeatis, niſi uter utri fecerit inſidias, quod quo facilius argumentis perſpicere poßitis, rem geſtam uobis dum breuiter expono, quæſo diligenter attendite*. Et *poſt narrationem, inſidias factas eſſe conſtat, & id eſt quod ſenatus contra rempublicam factum iudicauit: ab utro uerò factum ſit incertum eſt, de hoc igitur latum eſt ut quæreretur: ut rem, inquit, quæ uenit in iudicium planè uidere poßitis, & ut nihil aliud quærere debeatis, niſi uter utri inſidias fecerit*. H*æc quis non uiderit ad ſeiunctionem pertinere: quæ latius expoſui, ut uerbis ipſius* Ciceronis *intelligeretur, ſeiunctionem nonnunquam plurimis argumentis quærendam, quum * anguſtiæ cauſæ cogunt*. Non *enim ſemper naturam rei quærere debemus, ſed retorquere nõnunquam, & ab eo quod obeſt ad id quod facilius comprobarè poſſumus, controuerſiam reuocare*. C*ui ſi quæ obſunt confutanda prius, quàm confutatio tota eſt, iudicio ſummi oratoris non ad exordium, non ad confutationem eam, quæ confirmationem principalis ſtatus ut plurimum*

Pro Milone.

ſequitur

ſequitur, ut multi ignorantia impediti affirmant, ſed ad ſeiunctionem, ut dictum eſt, pertinet. Nam *qui dicunt confutationem eſſe narrationi præpoſitam, eam ſcilicet partem orationis, quam in rhetoricis poſt confirmationem ponit* Cicero, *idq́; oſtendere conantur, quòd poſt narrationem confutationem ſeparatam non inueniunt, ij omnino ignorare uidentur naturam eius cauſæ, de qua latius in coniecturali conſtitutione dicetur.* Id loci hoc dixerim, *quòd non his ſolum præceptis, quæ* Cicero *de arte reliquit, orationes ſuæ conſiderandæ, ſed ars potius per orationes eius inquirenda nobis uidetur.* Nam *orationes diligenter ſummus orator compoſuit, artis præcepta ludendo quàm breuiter pro tempore edidit.* Sed *de ſeiunctione nunc ſatis.* Diſtributio *eſt oratio, qua exponimus, quibus de rebus dicturi ſimus.* Diſtributionis *duæ ſunt partes, expoſitio, & enumeratio.* Expoſitio *eſt oratio, qua exponimus res de quibus dicturi ſumus ſine enumeratione.* Enumeratio *eſt oratio, qua numero exponimus quot de rebus dicturi ſumus.* Omnis *autem diſtributio debet habere breuitatem, abſolutionem, & paucitatem.* Breuitas *eſt, quæ facit ut nullum niſi neceſſarium uerbum aſſumatur.* Abſolutio *eſt, quæ facit ut omnia quæ in cauſam genera incidunt commode amplectamur.* Paucitas *eſt, quæ facit ut genera ſola rerum de quibus dicturi ſumus, ponantur.* Qui *enim ita partitur,* Oſtendam *cupiditate, audacia, & auaritia aduerſarij multa incommoda in remp. ueniſſe, is non intellexit auaritiam partem eſſe cupiditatis: maximum autem eſſe cenſemus uitium, ita cauſam diuidere, ut partes generi commiſceas.* Quare *genera ſolum in diuiſione comprehendemus, quæ genera poſtea loco ſuo ſi commodo ſit, in partes ſuas diuidentur.* Vt *pro* Cn. Pompeio Cicero, Pri-

Diſtributio.

Expoſitio.

Enumerati

mum mihi uidetur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo eſſe dicendum. Hanc ultimam partem poſtea in quatuor partitur, per enumerationē, quum dicit, Ego enim ſic exiſtimo, in ſummo Imperatore quatuor hac res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, uirtutem, autoritatem, felicitatem. Verum quoniam hoc loco accidit, etiam illud dicendum uidetur, ne nonnullorum ignorantia qui ſua inſcitia, quum orationes Ciceronis exponunt, ita peruertunt omnia, ut multo melius ſit nihil diſcere, quàm ab his diſcere, quo minus huius pro Cn. Pompeio orationis diuiſionem intelligamus impedimento ſit: Illud inquam dicendum, quòd primum etiam membrum principalis diuiſionis in quatuor partes per expoſitionem partitur commodiſſime. Nam poſt diuiſionem illam tripartitam, primam partem proponit, quum dicit, Genus eſt enim huiuſmodi, quod maxime ueſtros animos excitare atque inflammare debet. Tradita eſt ſalus ſociorum atque amicorum, pro qua multa maiores noſtri, magna & grauia bella geſſerunt: prima pars expoſitionis. Altera: aguntur certiſſima populi Romani uectigalia, & maxima. Tertia: aguntur bona multorum ciuium. Quarta: delenda eſt uobis illa macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta: Quam ſimul expoſuit & propoſuit. Primo enim agit de hac ultima, deinde de alijs. Illud autem quod dicit, Et quoniam ſemper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque auidi laudis fuiſtis: huius ultimæ partis, quam primo agere uoluit, ratio eſt quæ propoſitioni præpoſita magnam uidetur imperitis attuliſſe confuſionem. Celauit enim aliquantulum artem Cicero, quem ſi hic non intelligunt, neſcio quid facturi ſint in alijs orationibus multo difficilioribus. Sed ne uideamur nonnullorum odio

potius,

potius, qui artem rhetoricam docent, immo peruertunt, quàm ut ueritas cunctis appareat, hæc addidiſſe, ipſius Ciceronis uerbis quod diximus comprobemus. Quartam igitur partem, quam ut diximus, quoniam primo agere uoluit, ſimul & exponit diuidendo, & proponit: Et cuius rationem prius attulit quàm propoſitionem, quod plerunque facit, plena argumentatione proſequitur uſque ad illum locum, Quid ſi ſalus ſociorum ſummum in periculum ac diſcrimen uocatur? Vbi eam proponit partem iiſdem quaſi uerbis, quam ſuperius primam expoſuit, quam quidem partem ibi concludendo, Quare ſi propter ſocios nulla ipſi iniuria laceßiti maiores noſtri, & cætera, ſimul & aliud de uectigalibus membrum propoſuit, Præſertim quum de ueſtris maximis uectigalibus agatur. Poſtremo reliquam acturus partem, uel hac luce oſtendit clarius, hac arte uſum fuiſſe quam dicimus, his uerbis, Ac ne illud quidem uobis negligendum eſt, quod mihi ego extremum propoſueram, quum eſſem de genere belli dicturus, quod ad multorum bona ciuium Romanorum pertinet, quorum uobis pro ueſtra ſapientia Quirites habenda eſt ratio diligenter. Quis enim negabit hanc eſſe partem, quæ tertio loco expoſitionis præpoſita eſt, quam extremam hic dicit, aut quia poſtremo peracta ſit, aut quia quartam illam partem de laudabili ratione præpoſitam, ne oratio ſibi demißior fieret, quodam modo celauit. Præterea quum de genere belli concluſionem afferat, ordine has partes ut actæ ſunt amplectitur, quod fermè ſemper fieri ſolet, quum genus aliquod in partes diuiſum eſt, dicit enim, Quare uidete num dubitandum uobis ſit, omni ſtudio ad id bellum incumbere in quo gloria nominis ueſtri, ſalus ſociorum, uectigalia maxima, fortu-*

* pr tio

næ plurimorum ciuium cum Republica *defenduntur.* Verum *hæc de diuiſione diuinæ illius orationis dixiſſe ſufficiat :* Reli-*qua tunc dicemus, quum nobis erit ocium nonnullas oratio-nes exponere.* Nunc de diuiſione *finem faciam, ſi id dixero, diſtributionem eam quæ enumeratione conficitur, plus quàm partium quatuor raro eſſe oportere, quoniam & pericu-loſum eſt ne plus minuſue dicamus, & ſuſpicionem affert auditori meditationis & artificij.* Diuiſionem *à contentione non ſeparauimus, quoniam quum membra omnia eius confir-mationem ingredi neceſſe ſit,nihil aliud eſſe uidetur niſi ordo quidam,& conſtans præparatio,ac diſpoſitio contentionis.*

DE CONFIRMATIONE, ET CONFVTATIONE.

NVnc *reliquum eſſe uidetur, ut de confirmatione ac confutatione coniunctim agamus, qua in re ſingulare rhetoris conſiſtit officium.* Confirmatio *ergo eſt oratio, qua noſtras argumentationes cum aſſeueratione exponimus.* Con-*futatio eſt contrariarum argumentationum diſſolutio.* Con-*firmare autem & confutare facile poterimus, ſi uniuſcuiuſ-que conſtitutionis, atque partium eius locos cognouerimus.* Ergo *primum de conſtitutionibus dicemus, ſi breuiter expli-cabimus qua re ſcire poterimus, utrum cauſa conſiſtat an non.* Fruſtra *enim conſtitutionem quæret orator,ſi cauſa non conſiſtere uidebitur.* Dicimus *autē non conſiſtere cauſam eam, quæ ab oratore quum ſuſcipi non debeat, nec cauſa quidem dicenda eſt:quod ut facilius exequamur, illud dicendum ui-detur, quod quum omnis res, aut ex eo quod perſonis, aut ex eo quod negotijs attribuitur confirmari, confutariq; ſo-leat,*

leat, facile an conſiſtat cauſa perſpicitur: & ſi conſiſtit, quibus locis approbetur, ſi quis uim perſonarum ac negotiorum comprehenderit. Maximam enim in dicendo uim habet orator, quum ea perſona qua de agitur certa eſt: nam tunc ab omnibus his locis, quos laudi, aut uituperationi attribuimus (de quibus in demonſtratiuo genere dicetur) oratori ſumma præbetur dicendi copia. Deinde perſona quam ad aliquid appellare ſolemus, ut pater filius, maximam poſt certam perſonam poteſt afferre uim. quoniam ſummam affectionum affert copiam, & certæ perſonæ proxima eſt, quod Cicero cum pro Cluentio, tum pro Sexto Roſcio oſtendit. Tertiò eas perſonas ponimus, quæ ab his uitijs nomen contrahunt, quæ uitia legibus puniuntur, ut adulter, prodigus. Vnde in oratione pro Milone ſæpiſſime in Clodium inuehitur Cicero. Quartum locum poſſidere dicimus eas, quæ nomen trahunt à uitijs, quæ legibus non puniuntur, in quibus & artificium ponimus, ut inuidus aurifex. In quinto loco eas collocamus, quæ à duobus appellatiuis componuntur, ut iuuenis diues. Sexto deinde conſequi arbitramur, quæ ab operatione perſonæ implicita conſtituuntur, ut ſi adoleſcentem, quòd ſe muliebri cultu exornaret, ſuam perdere pudicitiam aſſeremus. Septimo ac ultimo ſola ponimus appellatiua, ut orator: quum hæc ita ſint, in proprijs ac certis perſonis maiorem uim habet orator, quod cætera quoque ad certam perſonam concurrant. Nam Cicero, & pater & orator fuit. Deinde alij perſonarum habitus, ſecundum quod eos distribuimus minorem aut maiorem oratori afferunt copiam. Oportet igitur ut dictum eſt, à locis demonſtratiui generis, qui his perſonis complicantur, ea quæ incidunt inuenire. At hæ quidem perſonæ, cum iudicium ſuſcipiant, conſiſtere cauſam faciunt.*

Ex Hermogene mutuata uniuerſa.

Perſona ad aliquid.

ciunt. Nihil autem ad conſtituendam cauſam afferunt, primo quæ infinita dicuntur, ut quidam: deinde quæ omnino inter ſe uidentur æqualia: Vt ſi duo iuuenes ambo diuites & nobiles rei alicuius alter alterum accuſarent. Nam ex parte perſonarum cauſa conſiſtere non poteſt. Quicquid enim unus dicet de altero, id ipſum ad eum qui dicit facile conuerti poteſt. Verum hoc clarius uidebitur, quum de duplici coniecturali tractabimus. Res autem ipſa maxime conſiſtere cauſam facit, cum dicimus, cum de quo agitur rem geſsiſſe: ut ſi accuſetur Vlyſſes, quòd Aiacem interfecerit, deinde quum etſi alius fecerit, in ipſum tamen qui accuſatur palàm, totum redundat negotium: Vt ſi in ſuſpicionem proditionis Fabius Maximus traheretur, quòd eius agros Hannibal non uaſtaret. Tertio loco eam rem ponimus, quæ inter prædictas eſt, ut ſi Archidamus Lacedæmoniorum dux munera ſuſcepiſſe contra leges accuſetur: Quoniam Pericles Athenienſium Imperator, cum de pecunijs in bello conſumptis rationem redderet, ſcripſit in rem Athenienſibus utilem, quam ſilere honeſtius eſſet, quinquaginta expoſuiſſe talenta. Hic enim cum ſignum coniecturale incertum ſit, hoc modo, Munera ſuſcepiſti: huius ſignum, quod Pericles ſcripſit: hoc igitur ſignum cum incertum ſit, & ad Archidamum palàm non referatur, alijs ſignis comprobatur, quòd ſcilicet Periclis amicus eſſet, & quòd eius agros in expeditione non uaſtaſſet. Quare & inter ea genera hoc genus negotiorum poſuimus, quoniam cauſa perfecta conſiſtit, non ex eo ſolum quod Pericles ſcripſit, ſed etiam ex his quæ ipſe Archidamus fecit. Simile huic eſt, ſi prodigum quis parricidij accuſaret, quòd pater eius nuſquàm inueniretur. Nam & ex eo quod pater fecit, qui fortaſsis profugit, & ex eo quod

filius, cuius prodigalitas facit ſuſpicionem, cauſa in iudicium poſſe uenire uidetur. Quare iam clarum eſſe puto, maxime cauſam ex parte rei conſiſtere, quum ab eo ipſo quo de agitur, quicquam factum eſſe dicatur, deinde quum palàm à facto aliorum, in nos crimen redundat. Tertio etſi minus his, tamen quum ſic componuntur ut & ab eo quod nos, & ab eo quod alij fecerunt, in iudicium pertrahamur. Tunc autem ſolum ex parte rerum cauſa non conſiſtit, quum res inter ſe omnino æquales afferuntur, ut ſi diues & pauper ſe inuicem adulterij accuſent, quòd alter alterum eodem tempore domo ſua exire perſpexerit. Nam hic non clàm eſſe dixerim, nihil quenquam à re geſta, quoniam æqualis eſt, ad ſuam confirmandam cauſam poſſe unquàm inuenire, quod ad confirmandam alterius cauſam non pertineat. Quare non ex parte facti, uerùm ex parte perſonarum res in iudicium uenit. Ex his iam patet eam cauſam conſiſtere, atque per locos ſuos diuidi comprobariq; poſſe, quæ perſonam affert, & rem ex utraque accuſatoris ſcilicet ac defenſoris parte, aut perſonam ſolum, & rem ſolum, deinde rationes utriuſque partis ueriſimiles ac diuerſas: & amplius, quod in finem iudicij peruenire poteſt, ac iudices uehementer occupauit: quæcunque uerò in aliquo iſtorum deficiunt, conſiſtere non poſſunt. Quæ ut magis pateant, breuiter per genera diuidantur. Hæc ergo ſunt, quæ apud nos ἀσύστατα appellantur, Latinè inconſiſtentia poſſunt dici, Vnicum, æquale, conuertibile, inexplicabile, non ueriſimile, impoßibile, turpe, ſine circunſtantia, ſine colore, impenſum, erraticum, præiudicatum. Vnicum eſt, quum ab alterutra parte tantum conſiſtit, nec quicquàm ex altera inuenitur, hoc modo, Leno qua parte uenturos adoleſcentes

ſciebat, nocte ſoueam fecit occultam, ea iuuenes periere: hic Lenonis nulla defenſio. Ex altera parte hoc modo, Luxurioſus pater abdicat filium, quoniam frugi eſt. Nam hic accuſatoris impudens eſt ratio. Aequale eſt quum ſic eadem ex utraque parte dicuntur, ut nihil ſit proprium partis alterius, hoc modo, Iuuenes uicini, nobiles ac diuites, ſpecioſas habent uxores, nocte inuicem ſe conueniunt, & alter alterum adulterij accuſant. Conuertibile eſt, cum actio tota ita conuertitur, ut accuſator rei, & reus accuſatoris utatur rationibus, hoc modo, Exigebat quidam ab amico cum uſuris pecuniam tanquàm creditam, ille ſine uſuris offerebat quaſi depoſitam: inter moras iudicij lex lata eſt de nouis tabulis, petit poſtea ille pecuniam tanquàm depoſitam, retinet alter quaſi creditam. Inexplicabile eſt, quum id quod proponitur, nec ſolutionem nec finem iudicij habere poteſt, hoc pacto, Docetur Alexand. per ſomnium, non eſſe credendum ſomnijs, & conſulit: hic quicquid dixeris, contra teipſum dices, quare cauſa inconſiſtens eſt. Item lex eſt, Septem iudices de reo cognoſcant, maioris partis ſententia * ſancta ſit: duo quendam abſoluunt, duo pecunia multant, tres capitis condemnant, rapitur ad pœnam, contradicit. Nam ui legis explicari hoc in iudicio nunquam poterit. Non uerisſimile eſt, quod contra opinionem dicitur, ut ſi quis iniuſtitiæ Ariſtidem, aut lenocinij Xenocratem accuſet, hoc ſi caute agitur non procul abeſt quin conſiſtat. Impoſſibile eſt, quum id dicitur, quod ſit contra rerum naturæ fidem, ut ſi quis Apollinem mentiri dicat, uel infans accuſetur adulterij, quòd cum uxore concubuerit aliena. Turpe eſt, quod reijcitur, quoniam ſpurcum ſit, hoc modo, Locauit quidam uxorem pretio, ac ab eo qui conduxit, pecuniam in iudicio petit.

Aequale.

Conuertibile.

Inexplicabile.

...rata

...le.

tit. Sine circunſtantia eſt, quum aliquid deeſt in quæſtione, quod faciat cauſam, ut ſi quis filium ſine cauſa abdicaret: hoc ab unico differt, quoniam hic nullam, ibi non idoneam cauſam reddi perſpicimus. Sine colore, quod cauſam facti non affert: hoc ab Vnico differt, quoniam in Vnico ex altera parte infirma quæſtio eſt, hoc de quo dicitur, in colore ſolo deficit, & ἄχρωμον Græcè appellatur. Nam chroma colorem facti, hoc eſt, rationem appellamus, hoc modo, Decem milites tempore belli pollices ſibi amputauerunt, rei ſunt læſæ reipublicæ. Nam hoc quoniam color facti non inuenitur, inconſiſtens iudicamus, quod in Vnico non accidit. Reddi enim color poſſet, ideo factam à lenone foueam, ne quos nollet ad ſe peruenirent. Quare Vnicum, etſi colorem habet, ipſius tamen rei atrocitate non ſuſcipitur: hoc de quo dicimus, etſi res atrox non eſt, tamen quia colore caret, eijcitur. Eſt ergo color comprehenſionis tranſpoſitio, de qua in ſecundo dicetur. Ab eo uerò quod ſine circunſtantia dicitur, hoc quod ſine colore appellamus, in quo differat in coniecturali cauſa dilucide uidebitur. Nam ſi à coniecturali comprehenſionem tollas ſine circunſtantia, ſi tranſpoſitionem ſine colore, inconſiſtens reperitur. Quare quod ſine circunſtantia eſt, accuſationem: quod ſine colore, defenſionem ſemper euertit, niſi cum is locus quem ab initio ad finem dicimus, utriuſque inuenitur. Tunc enim utrunque ſine colore, cauſam habere poßibile eſt, & cauſam collatione ſignorum conſiſtere non mirum. Verum hæc tum melius intelligentur, quum ſigni & tranſpoſitionis ius in ſecundo aperietur. Impenſum eſt, in quo adeò magnam uim unus habet, ut alter parum quid in dicendo ualere uideatur, ut ſi Critias ad Armodij ac Ariſtogitonis ſtatuas re-

Sine circunſtantia.

ἄχρωμον.

fugiſſet, & quidam diceret inde abſtrahendum non eſſe, quoniam & aliâs hic honor illis ſtatuis attributus ſit, ut reis refugium præbeant, parum enim hæc oratio ualet: At alia pars dicet Armodium, & Ariſtogitonem ſtatuis decoratos, quoniam tyrannorum interfectores fuiſſent, quæ ex re tanta fluet dicendi copia, ut nullo pacto dubitandum ſit quin abſtrahendus uideatur. Male enim tyrannus, eorum ſe defendit honore, qui ſolo tyrannicidio deorum honores habuerunt.

Erraticum. *Erraticum eſt, quod aut perſonas introducit mortuas, ut ſiquis in præſentiarum Brutum cædis accuſet: aut id in controuerſiam adducit, quod eſt contra hiſtoriæ fidem, ut ſi quis M. Antonium accuſaret, quòd in conſulatu ſuo de indemnatis ciuibus ſupplicium ſumpſerit, quum id Tullium feciſſe ſciamus. Qui modus in omni circunſtantia inuenitur, ut ſi res, aut locus, aut tempus, uel modus aliter dicatur quàm in hiſtorijs inuenitur.*

iudicatum. *Præiudicatum dicimus, quod iudicio omnium antequam de eo fiat iudicium præclariſſime comprobatur, hoc pacto, Premebat ciuitatem tyrannus, quædam mulier uirum docuit qua uia ad occidendum tyrannum in arcem aſcendere poſſet. Occidit ille tyrannum, debitus honor ſibi à republica redditus eſt. Vxorem deinde accuſat adulterij, mirum enim certe uideretur, ſi ij iudices, quibus iudicandi poteſtas per eam mulierem reſtituta eſt, eius rei accuſatorem audire paterentur, qua reſpublica liberata eſt. Hæc tria ultima* κακοσύστατα, *id eſt, male conſiſtentia dicuntur, quòd magis ad id ut conſiſtant accedunt quàm ſuperiora: nam illa (niſi forte Non uerìſimile) nec declamatoriam orationem ſuſcipiunt: Hæc etſi in iudicium non ueniant, tamen in declamationibus agitari poſſunt. Nam impenſum, id eſt,* ἑτεροῤῥεπὲς, *ut Vni-*

cum

eum nihil affert ex altera parte, ſed habet aliquid ad declamationem quidem fortaßis utile: Sed id non ſufficit, ut etiam in iudicio res agitetur. Erraticum ut perfectum ſit, circunſtantia impeditur. Præiudicatum uerò ſi non in ea ciuitate in qua actum eſt agitur, fortaßis etiam iudicium ſuſcipere poßit. Medium enim quodammodo fit inter conſiſtentes cauſas, atque inconſiſtentes: Sin autem ubi geſtum eſt, ibi agatur, in iudicium non uenit, nec conſtitutionem ſuſcipit, ut cætera inconſiſtentia. Quid enim? coniecturale id dices? at iudices eius facto in poteſtatem iudicij reſtituti, talem audire coniecturam non patiuntur: comparationem criminis? ſed ad id quod dictum eſt etiam accedit, quòd in comparatione criminis factum & emolumentum conceditur, hic factum negatur, emolumentum conceditur: deinde in comparatione utrunque, hoc eſt, tam factum quàm emolumentum aut ad rempublicam refertur, aut ad perſonas priuatas, hic uerò factum priuatum eſt: At reſpublica libertatem conſecuta eſt. Sed de his, quæ non conſiſtunt ſatis dictum eſt. Omnia enim inconſiſtentia ad hæc genera facile reduci poſſe puto, quæ memoriæ commendanda, exercitatione formanda ſunt, ne quod Iulianus rhetor in imperitum iuuenem, qui inconſiſtentia ſuſcipiebat, dixit, in nos quoque dici poßit, hic uerò iuuenis ſine controuerſia diſertus eſt. Sed iam ut inuentionis locos facilius aperire poßimus, de conſtitutionibus dicamus. Conſtitutio eſt prima conflictatio cauſarum, quæ ex depulſione intentionis primo profecta cum accuſatoris inſimulatione coniungitur: quæ ut clarius intelligatur unde inueniatur, & quid ſit intentio, quid etiam depulſio, dicendum uidetur. Intentio eſt eius facti obiectio, quod in iudicium

uenit

Depulſio.

uenit. Depulſio eſt intentioni reſiſtens oratio. Ex his duabus inter ſe concurrentibus uocibus ſtatus naſcitur, qui ex depulſionis ad intentionem repugnantia ilico emergit. Atq; depulſio quidem quum intentioni oppoſita ſit, facilius inuentu eſt. Nam aut factum, aut nomen, aut actionem, aut rei qualitatem negabit: In intentione uerò cauendum eſt, ne aut facti nomen, aut auditoris officium, aut ſcriptum aliquod obijciamus. Nam qui nomen intendit, hoc modo, homicidium feciſti, ſi dicatur, non feci, quoniam male intendit, adhuc ſtatus, qui ex prima depulſione defenſoris percipitur, quiſnam futurus ſit, intelligit: poterit enim aut quia neminem, aut quia tyrannum interfecit, non feciſſe homicidium aſſeuerare. Officium autem auditoris in alijs generibus intendi bene fortaſſis poterit: In iudiciali uerò uitioſum eſt. Nam & accuſator ab re ſua longe aberrat, & defenſor qualitatem ſolam efficit, quum non damnandum hominem dicat. At qui ſcriptum intendit hoc modo, Lex te peregrinum, murum aſcendere uetat, leui uulnere aduerſarium percutit: factum ergo ſemper intendi oportere putamus, hoc modo, Aſcendiſti muros, hoc peregrinus ſi negabit, de facto contendit: ſi concedet, ſtatim contra legem feciſſe uidebitur. Ex depulſione ergo defenſoris ſtatus oritur, ut interfeciſti hominem, non interfeci, iam ipſa depulſio intentionis coniecturam conſtituit: aut iure interfeci, ſtatus iuridicialis eſt: aut etiam utrunque, non interfeci, ſed ſi interfeciſſem, iure interfeciſſem, nam tyrannus erat. Verùm coniectura ex depulſione ſola intentionis proficiſcitur. Iuridicialis niſi inſimulatio quoque accuſatoris addatur, non conſiſtet. Quare proficiſcitur etiam iuridicialis, & quodammodo digito oſtenditur quænam eius ſpecies ſit ex depulſionis

*pulſionis ratione: Verùm res in iudicium non uenit, neque *orationis requirit copiam, ſi accuſator depulſionem ſilentio proſequatur, ut iure interfeci, nam tyrannus erat: hic niſi accuſator afferat, imò enim non iure, non enim abs te interfici iure ſine iudicio poterat, uel aliquid huiuſmodi, ſubuerſa eſt cauſa. Hic iam obijci poſſe intelligo, depulſionem quæ primum ſtatum aperiat non ſemper defenſoris eſſe, poteſt enim accuſator, quum dicat reus iure interfeciſſe, quòd tyrannus eſſet, negare illum unquàm tyrannum fuiſſe: quare quum ex depulſione accuſatoris etiam coniecturam hic naſci manifeſtum ſit, non ſolum nos, uerùm etiam ad Herennium Cicero, qui primam defenſoris deprecationem conſtitutionem eſſe uoluit, non bene complecti diffinitionem conſtitutionis uidetur. Sed habeo certum, quod quidam dicunt, ſtatum ſcilicet eſſe duplicem, principalem, & eum quem nunc acceſſorium appellare placet: Principalem ſtatum ſemper ex rei depulſione oriri, qui iuridicialis hic eſt: Acceſſorium ab accuſatore plerunque naſci, & principalis ſtatus approbationem eſſe, ut interfeciſti Clodium Milo: interfeci, ſed iure: Inſidias enim mihi ſtruxerat. Hoc iam iuridiciale eſt, deinde cum negetur Clodium inſidias ſtruxiſſe, coniecturalis accedit, qua comprobata, ſequetur iure aut iniuria cæſum Clodium fuiſſe. Quare principalem quidem ſtatum à reo: Acceſſorium, quo principalem comprobamus, etiam ab accuſatore proficiſci aſſeuerant. Ego ſi quis etiam acceſſorium à depulſione defenſoris oriri diceret, eum non procul à ueritate aberrare contenderem. Nam cum ab accuſatore proficiſcitur, defenſoris perſonam accuſatorem ſubire manifeſtum eſt. Quis enim neget in acceſſorio ſtatu, quod iam exemplo patuit, eum qui principaliter reus eſt,*

*oratoris

eſt, accuſationis eum: qui accuſator, defenſionis locis uti omnino debere? quare non iam dubitauerim omnem conſtitutionem ex depulſione defenſoris proficiſci, quum & accuſatorem inueniam, ſi eius depulſio ſtatum facit, omne defenſoris ſubire officium. Sed de his ſatis, nunc conſtitutiones explicemus.

QVOT SINT STATVS.

Omnis res, quæ habet in ſe poſitam controuerſiam, aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis continet quæſtionem. Nam aut dubitamus factum ſit nec'ne, & ſic eſt coniecturalis conſtitutio: aut de facto quidem conuenit, dubitatur autem quo nomine factum appellandum ſit, quam conſtitutionem diffinitionem appellamus: aut etiam de nomine conuenit, quæritur autem de qualitate, & genere negotij, ſi æquum, ſi bonum, ſi more ac lege factum, unde conſtitutio, quoniam cuiuſmodi res ſit quæritur, generalis uocatur: quod ſi non ſolum de facto & nomine, uerùm etiam de qualitate rei conſtaret, ne parua quidem ulla res remorari damnationem poſſet, niſi actio ab reo transferatur, quam cōſtitutionem translatiuam appellamus: quam non ideo à generali ſeparamus, quòd in ea de qualitate non quæratur: Sed quoniam generalis rem, translatio actionem qualis ſit quæritat. Neque qualitatem in hæc duo partiri uolumus, quoniam in translatione ex actione, non ex qualitate depellimus. Quare actioni comprobandæ qualitas, non actio qualitati accedit. Translatio igitur etſi abſque qualitate non ſit, ſubijcienda tamen qualitati non eſt: nam quum qualitas, ſi quæ in ea eſt, ex ratione depulſionis erumpat, in iudicatione quidem erit: In ſtatu uerò*

tu uerò qui ex prima depulſione naſcitur, quum natura depulſio rationem præcedat, eſſe quî poterit? Neque enim *poſterius in priora, ſed in poſteriora prius diuiſione deducitur.* Neque *eadem ſpeciei ratio, ſi diuerſis euenerit, eaſdem ſed diuerſas relinquit ſpecies: quòd ſi quis non ſic depellendum in translatione putauerit,* Nihil *tibi mecum.* Nam *quod tutori dediſti meo, non iure à me repetis: ſed hoc pacto,* Nihil *tibi mecum, iure aut iniuria hoc à me petas: nam quod tutori dediſti meo à me repetere non potes, quamuis depulſio in qualitatem immiſceat, tamen qualitas quæ in actione fundatur, actione prius eſſe non poterit. Quare hinc iam manifeſtum eſſe puto quatuor generaliter eſſe conſtitutiones, coniecturalem, diffinitiuam, generalem, & translatiuam. Verùm ut ordine partes quoque his ſubiectæ habeantur, utq; ſufficienter unuſquiſque uidere poßit, & quot ſint, & in quo differant, diuiſionis doctrinam omnes rurſus explicabimus. Omnis res quæ in controuerſia ponitur, ſi conſiſtit, hoc eſt, ſi in iudicium uenire poteſt, ac ab oratore ſuſcipi, aut facta eſſe negatur aut conceditur: ſi negatur, conſtitutio, coniecturalis eſt. Eſt enim coniecturalis conſtitutio in qua factum'ne ſit, quæritur ab aliquo manifeſto ſigno, aut à ſuſpicione, quam rei facit perſona, uel ab utriſque: à ſigno hoc pacto,* Vlyſſes *in ſyluis* Aiacem *ſepelire inuentus eſt: eſt enim hic ſignum manifeſtum, quòd cum in ſyluis ſepeliret. Quod quidem coniecturæ ſignum huiuſmodi debet eſſe, ut & liceat, id eſt, ut & per ſe legibus uel conſuetudine non puniatur, & non neceſſariò rem arguat.* Nam *ſi quis diceret ab* Vlyſſe *interfectum eſſe* Aiacem, *quòd & gladium infigeret, idq; pateret, iam cauſa non conſiſteret.* Item *qui dicit mulierem cum uiro concubuiſſe, quòd peperit, rem*

Coniecturalis conſtitutio.

dicit oratori nequaquam ſuſcipiendam. Quare oportet coniecturæ ſigna & media eſſe, & non neceſſario rem aut antecedere, aut conſequi. A ſuſpicione, quæ à perſona rei capitur, hoc modo coniectura proficiſcitur, Frugi pater prodigum habebat filium, is ubinam eſſet, nemo ſciebat, & parricidij filius accuſatur. Ex utriſque hoc pacto, Inſana, ut uidebatur, mulier filium gladio leuiter percußit, priuignum necauit: accuſatur cædis, dicit ſe inſanam fuiſſe, negant aduerſarij. Hîc & ſignum ſubeſt, quòd filium leuiter percuſſerit, & nomen nouercæ ſuſpicionem facit.

Quòd ſi reus propoſitam rem non negaret, uerum concederet, conſiderandum eſt, ſi res perfecta aut imperfecta in iudicium afferatur. Si imperfecta, diffinitiuam facit. Eſt enim diffinitiua conſtitutio, qua id quod obijcitur, non hoc eſſe contendimus: nam per eam huiuſmodi res affertur, ut ei aliquid deficiat, quò perfectè ac palàm intentionem accuſatoris complectatur, hoc modo, Suſtulit quidam è templo priuatas pecunias, & ſacrilegij accuſatur. ſi enim addas pecunias quoque ſacras fuiſſe, iam perfecta res eſt, nec habet quæſtionem. Hanc conſtitutionem quidam legitimam putauerunt, quorum errorem, quoniam multum intereſt, utrum legitima, aut rationalis cauſa ſit (alijs enim hæc locis, alijs illa confirmatur) breuiter reprehendendum putaui. Quod ut facilius teneatur, quid rationale, quid legitimum appellemus, aperiendũ eſt. (margin: *Diffinitiua conſtitutio.*)

Legitimũ dicimus, quod ſcripti cuiuſdam continet diſceptationem. Rationale & communiter & propriè intelligere ſolemus: Rationale communiter dicimus, quum de ſcripto non eſt controuerſia: Propriè, quum nec de ſcripto, nec de facto, nec de nomine, nec de actione, & tamen de re controuerſia eſt. Quæ quum ita ſint, diffinitionem rationalem eſſe

breuiter

breuiter aperiendum eſt. Legitimam *conſtitutionem eſſe dicunt, quæ de ſcripto naſcitur, quum ſcilicet nota controuerſia de ſcripto ſit. Quod ſi ita eſt, neſcio quid eos impellere potuit ut diffinitiuam legitimam credant.* Nam *&* *ſi ille locus cadere in diffinitiuam poteſt, quo ſcriptoris intentio quæritur, tamen non de intentione quæritur, ſed ad comprobandam quæſtionem intentio aſſumitur.* Nam *non ex eo quo comprobamus argumento, ſed ex eo quod probatur conſtitutio naſcitur. Quare ſi legitima conſtitutio eſt, quum ex ſcripto controuerſia naſcitur, ac diffinitiua nunquàm de ſcripto quærat, rationalem eam non legitimam eſſe perclariſſimum eſt: deinde non poterit eadem cauſa, eadem ex parte & legitima ſimul & rationalis eſſe:* At *diffinitiua rationalis ſemper eſſe inuenitur.* Nam *uel in exemplis quæ ab ipſis proferuntur qui legitimam putant, locus ille præcipuus, à quo etiam ſtatus denominatur quem diffinitionem appellamus, non à lege ſed à re trahitur, ut in ſecundo libro uidebimus. Quare quum eundem ſtatum eadem ex parte, & rationalem, & legitimum eſſe, uel ſolum dicere magnæ amentiæ ſit, at diffinitiua ex parte diffinitionis ſemper rationalis inueniatur, nunquàm legitima eſſe poterit, niſi forte id eos mouet, quòd lex plerunque in hac cauſa proferatur.* Sed *ſi hoc eos mouet, quare coniecturalem quoque & iuridicialem legitimas eſſe non aſſerunt? Quis enim unquam accuſaret hominem parricidij, niſi aut lege aut conſuetudine parricidium puniretur?* Sed *non eſt ita, nam quum ex ſcripto oritur controuerſia, tum legitimam eſſe etiam ipſi concedunt.* Verum *ut gladio eorum uulnerentur, id exemplum ponemus, quo maxime in legitimis cauſis uerſari diffinitionem oſtendere uidemur.* Lex, *Nocte cum telo de-*

e pre

prehenſus occidatur: quidam cum fuſte deprehenſus ad magiſtratus adducitur, negat ſe fuiſſe cum telo, quoniam telum fuſtis non ſit. Hanc diffinitionem legitimam aiunt, quoniam telum, quod in lege poſitum eſt, diffiniendum eſt. Sed uehementer errant, nam cum quid telum, quid fuſtis ſit quæritur, quatenus ex natura rei diffiniendum eſt, ſtatus legitimus eſſe non poteſt: ſi ita intellexiſſe ſcriptorem dices, ſcriptum & ſententiam facies, cui diffinitionem accedere non eſt mirandum. Quare ſi de ſcripto nullam, quantum in ſe eſt, diffinitio controuerſiam facit, & ſcriptoris intentio, quæ in ea inuenitur, ut in ſecũdo dicemus, locus eſt quo quæſtionem probamus non quæſtio, & diffinitio ipſe locus ex quo tota quæſtio profluit, ex re ſemper, nunquam ex ſcripto inuenitur, id iam omnino habendum eſt, diffinitiuam legitimam eſſe non poſſe. Nunc ad propoſitum redeamus. Res propoſita (ut dicebamus) aut negatur, aut conceditur, primum coniecturalem facit: In altero aut perfecta res eſt, aut imperfecta, ex hoc altero diffinitiua habetur. Verum ſi perfecta res eſt, tunc aut de actione, aut de genere ac qualitate ipſius negocij agitur, primam translationem, generalem alteram appellamus.

latio. *Translatio, eſt quum quæritur ſuſcipienda'ne ſit cauſa an non. Nã in translatione neque ſi eſt principaliter quæritur, ut in coniecturali: neque quid ſit, ut in diffinitiua: neque quale quid, ut in generali. Verùm qualiſcunque res ſit, hoc principaliter quæritur: ſuſcipi'ne cauſa debeat an non: huius duo ſunt modi. Nam quum rationalis ſit, etiam legitima tunc abſoluitur, quum à ſcripto iudicium transfertur, quam præſcriptionem & perfectam translationem nominamus, & aliqua legitimarum ſemper tractamus, ut in ſecundo libro patebit. Nunc ut melius intelligatur*

ligatur cuiuſmodi ſit, exemplo breuiter declaretur. Lex, *Bis eadem, de re iudicium ne fiat: homicidij reus indemnatus euaſit: Ei quadam de re Apollinem interroganti reſponſum eſt, Apollinem nunquam homicidæ reſpondere, & eiuſdem homicidij rurſus accuſatur.* Hæc tranſlatio quam & perfectam præſcriptionem dicimus, per ſcriptum & ſententiam hic abſoluetur, deinde coniecturalis ſequetur, ſi occidit. Alius modus tranſlationis eſt, quum non à ſcripto ius transferendi, ſed ab aliqua circumſtantia naſcitur, hoc eſt, à loco, cauſa, modo, perſona, uel tempore, hoc pacto: Lex, *Si adulterum cum uxore inueneris, utroſque interficere liceat: quidam adulterum ſolum occidit, poſtea quum in ſepultura eius lachrymantem inueniſſet uxorem, eam quoque interfecit: reus fit cædis, præſcribit ſecundum legem feciſſe:* hic enim rem licuiſſe per legem accuſator concedit, locum & tempus conſyderandum putat. Inter præſcriptionem, & alterum tranſlationis modum hoc intereſt, quòd in præſcriptione rem omnino ſic agi debere negamus, quare & perfectam eam tranſlationem nuncupamus: In altero uerò modo, tempore, uel loco, cauſa, perſona non oportere contendimus. At tranſlatio quidem huiuſmodi eſt. Conſtitutio uerò generalis eſt, quum & res à reo conceditur, & quo nomine appelletur conſtat, ſed tamen de qualitate rei, ac de genere quæritur. Huic generali duas partes attribuimus, nam in ea aut ex re, aut ex ſcripto controuerſia naſcitur: primam rationalem, alteram legitimam appellamus, de qua poſterius dicetur. Rationalis eſt conſtitutio generalis, cuius cõtrouerſia ex re proficiſcitur. Quam rurſus Hermogenẽ ſecuti, bipartitò diuidimus, aut enim de facienda re, aut de facta iam quæritur. Hoc iuridicialem,

illud negotialem appellamus. Negotialis eſt conſtitutio, in qua quæritur faciendum'ne ſit quippiam an non: ut ſi deliberent Athenienſes, deceat'ne barbaros ſepelire qui in Marathonijs campis ceciderunt, an non: hæc controuerſia tota ad deliberatiuum ita ſpectare uidetur, quemadmodum iuridicialis ad iudiciale. Retorqueri uerò eam poſſe ad iudiciale genus non iniuria putamus. Nam & iuridicialis partes, tametſi præteritum tempus propriè reſpiciant, tamen etiam ad deliberatiuum retorquentur. Nam qui non tempore negotialem per ſe à iuridiciali differre dicunt, ij non uident negotialem & iuridicialem abſolutam ita conuenire, ut ridiculi inueniantur, quòd eas duas conſtitutiones putaſſent, maximè cum eoſdem locos utriuſque uelint eſſe: non enim aliud magis diuerſas facit conſtitutiones quàm locorum diuerſitas, qui maximè tunc diuerſi ſunt, quum ea quibus de agitur inter ſe diuerſiſſima inueniantur. Verùm non erit fortaſsis ab re, rationem quoque ſuam apponere. Afferunt enim negotialem hac de cauſa ſibi aliam atque abſolutam uideri, quòd in abſoluta licere rem clariſſimè pateat, in negotiali quum obſcurior res ſit, difficilius liceat'ne an non perſpici poſſit. Quòd ſi hoc eos mouet, infinitas eos ponere conſtitutiones neceſſe eſt, quum in omni conſtitutione, ac parte conſtitutionis hoc inueniant, ut clariores aliæ, aliæ obſcuriores cauſæ ſint. Quare illos quidem fruſtra reclamare dimittemus: Nos intelligemus negotialem futurum tempus ac deliberatiuum genus, iuridicialem præteritum tempus & genus iudiciale complecti, retorqueri tamen nonnunquam & hanc ad deliberatiuum & illam ad iudiciale non negabimus, quod latius dicemus cum de deliberatiuo tractabimus. Iuridicialis eſt rationalis conſtitutio, cuius controuerſia

uerſia ex re iam facta proficiſcitur. In hac reus aut concedit quippiam feciſſe, quod uetitum ſit aut non: illud aſſumptiuam, hoc abſolutam nominamus. Abſoluta eſt iuridicialis conſtitutio, in qua reus nullam ſe uetitam rem feciſſe confirmat: Vt ſi quidam filium abdicaret, quòd philoſophiæ operam daret: Aut ſi Actius poëta iniuriarum ageret, quòd eum minus quidam nomine appellaſſet. Aſſumptiua eſt iuridicialis conſtitutio, in qua cum reus rem per ſe turpem feciſſe ſe confiteatur, re tamen aſſumpta extranea iure factum defendit.* **extranei iuris* *Quo in ſtatu, aut in ſeipſum uniuerſam reus aſſumit cauſam, aut transfert in alium: primum comparationem facit. Eſt enim Comparatio* Comparatio. *aſſumptiua conſtitutio, in qua reus & ſi ſe feciſſe confiteatur, tamen eam rem ſatius facere fuiſſe defendit, hoc modo: Aulus Albinus à Iugurtha incluſus quum effugere non poſſet, cum Iugurtha in collocutionem uenit, ita diſceßit ut impedimenta relinqueret, exercitum ſub iugo educeret, ſatius eſſe duxit exercitum ſine impedimentis educere, quàm ſimul cum impedimentis exercitum quoque perdere: in hoc loco Aulus totam cauſam in ſeipſum aſſumit. Quòd ſi in alium reus cauſam transferret, aut in eum ipſum qui paſſus eſt eam transferret, aut in alium primum relationem facit criminis.* Rel *Eſt enim Relatio criminis cum etſi feciſſe reus confiteatur, iniurijs tamen eius ipſius qui paſſus eſt, coactum ſe feciſſe dicit: ut Oreſtes cum confiteatur matrem interfeciſſe, dicit ſe iniurijs eius coactum, quòd illa patrem ſuum interfecerit, ac domum ſuam totam in Aegiſti familiam tranſtulerit. Quòd ſi non in eum qui paſſus eſt, ſed in alium cauſam facti reus transferret, aut in id transfert quod etiam iudicio corrigi poſſit, unde remotio criminis oritur: aut in id quod iudicij cor-*

rectionem omnino effugiat, & facit conceſsionem criminis.

Remotio criminis. Remotio criminis eſt aſſumptiua conſtitutio, in qua crimen transfertur non in eum qui paſſus eſt, ſed in alium aut in aliud, quod tamen correctionem iudicij ſuſcipere poſsit, hoc modo, Lex, Legatum ad decimum diem proficiſci. Quidam quum in legationem mitteretur, conſuetam à quæſtoribus dari pecuniam infra legitimum tempus non recepit, profectus non eſt, petitur ab eo mulcta. Conceſsio criminis eſt, cum reus cauſam in id transfert, quod in iudicium accerſiri nullo modo poteſt, hoc pacto, Lex, Imperatorem poſt bellum cadauera militum ſepelire: aſperitate hyemis prohibitus quidam non ſepeliuit. Conceſsionis quidam duas partes eſſe putauerunt, purgationem & deprecationem.

Purgatio. Purgationem eſſe aiunt, quum cauſam facti in imprudentiam, aut fortunam, aut neceſsitatem reus transfert, quam & nos conceſsionem appellamus.

Deprecatio. Deprecationem dicunt, quum reus ita confitetur, ut in nihil aliud culpam transferat, nec ſe conſultò feciſſe neget. Quam diuiſionem ideo contempſimus, quòd nullius unquam deprecatio conſtitutionis uim habere uiſa eſt, nec enim in iudicium uenire poteſt. Quare neceſſe eſt, quum cauſa in iudicium non ueniat, nec cauſa conſiſtat, deprecationem conſtitutionem non eſſe. Non ergo cum alijs conſtitutionibus, aut cum partibus earum ponenda eſt, quippe quum unius partis inueniatur. Nã accuſator præter intentionem nil aliud habet quod ad probandum cauſam afferat: quòd ſi dicerent acceptam à ſe fuiſſe deprecationem, nòn quòd ſibi conſtitutio uideretur, ſed quia tractanda nonnunquam eſt, aut apud populum, aut apud Imperatorem, qui iuratus legibus non ſit, non id quidem tanquàm malè factum reprehenderim: ſed nulli dubium eſſe uolo, de

lo, deprecationem conſtitutionem non eſſe. Multa *uerò ab oratore ſuſcipi poſſe, quæ conſtitutione careant, quum de demõſtratiuo diceremus genere, altius aperiemus.* Cõceßi*onem uerò quam illi per purgationem appellãt, idcirco in imprudentiam, fortunam, ac neceßitatem non diuidimus, quòd in conſtitutionibus, ut ſuprà diximus, locorum diuerſitas, quæ diuerſitatem rerum arguit, conſideranda eſt.* Eo*ſdem uerò locos omnibus his accommodari, etiam ipſi teſtantur, quare ſuperuacaneũ uiſum eſt, eam adhibere partitionem, quæ nihil utilitatis ad locorum afferret perſpicientiam.* V*erùm rationales iam ſatis patent, nunc legitimam conſyderemus.* Legitima *eſt conſtitutio generalis, quum ex ſcripto controuerſia naſcitur.* In *legitima conſtitutione conſyderandum eſt, uno'ne an pluribus ſcriptis controuerſia naſcatur.* Si *ex uno, aut uoluntas ſcriptoris cum ſcripto ipſo diſſentire uidetur, aut ſcriptum ipſum duas uel plures ſententias ſignificat, aut res de qua nulla propria lex inuenitur, per ſimilitudinem legi accommodatur.* Primum *genus ſcriptum & ſententiam, alterum ambiguum, ultimum ratiocinationem uocamus.* Scriptum *& ſententia eſt legitima conſtitutio, quum unus & ut plurimum accuſator ſcripto, alter ſcripti ſententia utitur, hoc modo,* Lex, Peregrinus *ſi murum aſcendat, morte ſupplicium det.* Q*uum ciuitas obſideretur, peregrinus quidam murum aſcendit, hoſtium ducem interfecit, capitis accuſatur.* Ambiguum *eſt legitima conſtitutio, quum ſcriptum plures ſententias ſignificat, quod multis modis fieri poteſt.* Nam *& multiplici poteſtate uerborum & accentu, & genere, & numero, et aſpiratione, & dictionis tam compoſitione, quàm redditione, & ut breuiter omnia cõprehendã, quibuſcũq; modis uaria poteſtas ac ſignificatio uerborũ*

Legitima.

commutatur, fieri poteſt. Hoc ex redditione dictionis oritur, Meretrix ſi coronam auream habeat, publica eſto. Habere quædam inuenta eſt, & accuſator publica ad meretricem reddit, meretricis defenſor ad coronam. Illud dictionis compoſitione fit, Quidam duos habebat filios, quorum unus Omnialeo, alter Leo uocabatur: Is ita teſtamentum fecit, poſt mortem meam habeat mea omnia Leo. Multiplici ſignificatione uerbi, hoc modo: Paterfamiliàs amico taurum legauit, poſt mortem eius amicus ſeruum nomine Taurum petit, hæres ſe bouem debere dicit. In cæteris quoque ambigui generibus non grauaremur exempla ponere, ſi rem non ſatis claram uel uno exemplo allato duceremus. Ratiocinatio eſt legitima conſtitutio, quum res, quæ ſine propria lege uenit in iudicium, cuipiam legi accommodatur, hoc modo, Lex, Meretricis filius in concione orationem non habeat: corrupti uiri, & parum honeſtè pudicitiam habentis filium in concione quidam ne dicat prohibet: hanc rei accommodationem non uni legem ſolum, ſed etiam pluribus adhibere poſſe propter rerum & legum multitudinem, nemini dubium eſſe debet. Sin autem ex pluribus ſcriptis controuerſia naſcitur, contrarias leges conſtitutionem appellamus. Plura uerò ſcripta dico ſi unum etiam eſſet ſcriptum, quod tamen diuideretur, ac una parte actor, altera defenſor uteretur. Contrariæ leges ſunt conſtitutio legitima, quum in pluribus ſcriptis, aut etiam in uno diuiſo, non per ſe, ſed ex circunſtantia contradictio inuenitur, & omnino contrariæ leges duplicem quæſtionem habent, ſcripti & ſententiæ: prioris partis exemplum hoc ſit, Lex, Damnatus de pecunijs repetundis, in concione orationem non habeat. Et Lex, Augur in demortui locum, qui petat in concione nominet.

πανταλέων.

Ex Hermogene.

minet. Hæ leges per ſe non contrariæ ſunt, ſed addita circunſtantia contrariæ fient, hoc modo, Augur quidam damnatus de pecunijs repetundis, in demortui locum, qui petat, nominauit. Vnius ſcripti diuiſi exemplum huiuſmodi ſit, Lex, Vitiata uirgo, eius qui uitiauit uel mortem uel coniugium eligat: intempeſta nocte duas quidam uitiauit, quarum una mortem, altera eius coniugium eligit. At conſtitutiones quidem parteſq́; earum oſtendimus. Nunc quania, & qua ratione eas tractari conueniat, demonſtrandum erit, ſi prius dixerimus, quid opus ſit ab ambobus in cauſa deſtinari. Oportet igitur tam ab accuſatore, quàm à defenſore iudicatio inueniatur, quæ eſt ſumma iudicij quæſtio, ad quam omnes rationes totius orationis conferuntur. Et naſcitur ex coniunctione rationis, & firmamenti. Ratio eſt quæ continet defenſionem. Firmamentum eſt, quod quum contineat accuſationem contra rationem affertur in eodem ſtatu, ex quibus ſic componi ſolet iudicatio. Intentio, Interfeciſti matrem Oreſtes. Depulſio, Interfeci, ſed iure. Ratio, Illa enim patrem meum occiderat. Firmamentum, ſed non abs te filio matrem indemnatam occidi decuit. Iudicatio, Quum mater Oreſtis patrem eius occiderit, iure ne à filio indemnata mater occiſa ſit. In coniecturali tamen, quoniam ratio non ſubeſt (factum enim negatur) non hoc modo, ſed ex intentione ac depulſione iudicatio naſcitur, ut occidiſti Aiacem Vlyſſes, non occidi: occciderit'ne, hæc Iudicatio, ad quam ut dictum eſt, totius orationis tanquàm ad finem rationes conferuntur. In his cauſis quæ difficiliores ſunt, non excogitanda ſolum, ſed omnino aperienda eſt, ut iudices intelligant, quid ſit de quo quæritur. Aperitur uerò in oratione iudicatio, quum difficilis cauſa eſt, non ita paucis uerbis ut ſu-

perius dictum eſt, ſed pro re noſtra, multa & confutanda & confirmanda nonnunquàm ſunt, ut quam uolumus appareat ſumma iudicij: quod ut apertius ſit, ea cauſa, quam pro Milone diuinitus dixit Cicero, nobis proponatur. Intẽtio, Interfeciſti Clodium Milo: depulſio, interfeci, ſed iure. Ratio, inſidijs me ipſe occidere conatus eſt. Ad hanc rationem quàm multa ab aduerſarijs firmamenta aſferentur, è quibus etiam acceſſoriæ conſtitutiones nutuabuntur. Nam quemadmodum ex depulſione intentionis principalis cauſæ conſtitutio naſcitur, ſic ex firmamentis acceſſorius ſtatus proficiſcitur, quod paulo pòſt *latius repetemus. Quum igitur multa firmamenta ad unicam rationem dicerentur, ante narrationem ſummus ille orator tres conſtitutiones complexus eſt, quæ ex tribus firmamentis naſcebantur. Quartam poſt narrationem reliquit, cuius rei rationem in diſpoſitione collocabimus, nunc firmamenta exponamus. Interfeci, ſed iure, Milo inquit, ipſe enim inſidijs me aggreſſus, interficere conatus eſt. Firmamentum primum, At interfici nullo* modo homo poteſt. Iudicatio, Vtrum caſu aliquo, iure interficere hominem poſſimus. Conſtitutio iuridicialis abſoluta, & locis abſoluta à Cicerone abſoluitur. Alterum ad rationem illam firmamentum, At ſenatus decreuit cædem illam contra remp. factam, quod & ſi præſcriptionis loco prius eijcit, tamen eius ſententiam poſtea capit: Scriptum aduerſarijs reliquit. Tertium firmamentum, At de ea cæde ut quæreretur, Cn. Pompeius iuſſit: ambiguum eſt, nam aduerſarij ita intelligebant, ut quæreretur de cæde tanquàm de re contra remp. facta: At Cicero, ut quæreretur, iure ne an iniuria, intelligit. Quartum firmamentum, At non ille tibi, ſed tu illi ſtruxiſti inſidias. Iudicatio, uter utri,

*mutabũtur

*altius

Firmamenta ſtatus.

*iure

duplex

duplex coniecturalis eſt, de qua ſuo loco dicemus. Manifeſtum ergo iam puto in difficilioribus cauſis etiam diſſerendo iudicationem inueniri. Nam hic Cicero tribus illis prioribus confutatis, hanc iudicationem ſtatus acceſſorij declarauit, quam ſi probaſſet, principalis ilico ſequebatur iudicatio. Principalem enim iudicationem putamus eam, quæ in principali conſtitutione uerſatur. Conſtitutionem porrò principalem eam iam diximus, quæ à prima depulſione naſcitur, unde incipit cauſa, & in quam neceſſariò deſinit, quæ hic relatio criminis eſt. Ac de inuentione principalis ſtatus latius in diſpoſitione dicetur, ubi etiam clarius apparebit, quare confutatione aliarum quæſtionum quæ incidebant, coniecturalem ſtatum aperuit. Verùm quemadmodum à firmamentis, quæ multa nonnunquam ad unicam rationem afferuntur, multi naſcuntur acceſſorij ſtatus, ſic ſæpe ad unicam intentionem multæ rationes afferuntur, ex quibus principales conſtitutiones oriuntur: Quarum in unaquaque iudicationem inuenire neceſſe eſt, ut in propoſita cauſa, Interfeci Clodium, ſed iure, ſalutem enim reip. peperi: Comparatio criminis eſt. Sceleratiſsimum uirum, & omni cæde dignum occidi: Altera relatio criminis eſt. Cum igitur cauſa huiuſmodi eſt, ut multas rationes cauſæ noſtræ non inutiles afferre poſsimus, omnes ideo adhibēdas cenſeo, ut pluribus cōſtitutionibus adiumentis noſtris magnā copiā præparemus. Quod Cicero pro Milone diligenter facit, quamuis comparatione ac illa relatione, iure reip. uexatorem interfeci, cæteris intermiſcendo, quoniam non multum per ſe uirium habere uidebantur, cautius utatur. Vnde & quodammodo diuidendo tam deprecationem quàm comparationem propoſuit. Quanquam in hac cauſa iudices, Titi

Annij

Annij tribunatu rebus omnibus pro ſalute reip. geſtis non abutemur, niſi oculis uidebitis inſidias Miloni à Clodio *factas: nec ſumus deprecaturi, ut crimen hoc multa propter præclara in remp. merita condonetis: nec poſtulaturi, ut ſi mors* P. Clodij *ſalus ueſtra fuerit, idcirco eam* Titi Milonis, *potius quàm populi* Rom. *felicitati aßignetis: Sed ſi illius inſidiæ clariores hac luce fuerint, tunc denique obſecrabo. & cætera.* Nam *hic quoniam comparatio non multum per ſe ualet, coniectura admiſcetur, quemadmodum & deprecatio, quam etiam bis propoſuit, quoniam & ſi per ſe in iudicium non ueniat, tamen cæteris annexa conſtitutionibus uehementius mouet auditores. Quare rationes inuenire quàm plures placet, quæ ſi non ita firmæ ſunt, firmioribus accommodentur, ut in diſpoſitione latius oſtendemus.* Firmamenta *quoque multa niſi nugatoria eſſent ad unaquanque rationem ſi accuſamus, inuenire conabimur: cuius rei eadem ipſa pro* Milone *diuina* Ciceronis *oratio, comprobatio eſt.* Non *ſolum enim aduerſarios* Milonis *multis uſos patet firmamentis, ſed* Ciceronem *quoque rationibus relationis, comparationis, deprecationis, in defendendo* Milonem *cæteris inſeruiſſe manifeſtum eſt. Quæ tamen ita ſe in ea cauſa habent, ut altera ſequatur ex altera.* Nam *ſi ſceleratum uirum, & tyrannicum interfecit, ſalutem* Reipublicæ *peperit: & ſi ſalutem* Reip. *peperit, ſceleratum & tyrannicum uirum interfecit. Quatuor igitur ſunt quæ bene conſyderata totam cauſam ita ibi aperiunt, ut & quid dicendum ſit, & quo ordine dicendum ſit, facillime teneas, intentio, depulſio, ratio, firmamentum. Quorum duo ſtatum, duo iu*it *dicationem* conſtituunt, ſed firmamentis et rationibus infirmationes quoque nonnunquam aduениunt, ex quibus*

quic

quicquid accedit, acceſſorium ſtatum appellamus. Infirmatio eſt rationis aut firmamenti, quæ ſtatum acceſſorium faciat, depulſio: ut ſi quum dicat Oreſtes interfeciſſe matrem, quoniam illa patrem necauerat: At non illa, ſed Aegiſtus, diceret aduerſarius, coniecturalis duplex ex infirmatione rationis naſceretur, ab utro interfectus ſit. Item occidi Clodium, ſed iure: inſidias enim mihi ſtruxerat, & ſceleratum, ac tyrannicum uirum occidi. Hæ rationes relationem faciunt, illa comparationem, rempub. quam ille in prætura uexaturus erat firmaui. Has rationes ſi quis infirmationibus negaret, plures coniecturas redderet. Qui concedit, is cauſam ſuam euertit, niſi firmamentum inferat. At hominem interficere nullo pacto licet: immo licet, infirmando inquit defenſor. Quare ex firmamẽti infirmatione etiam abſoluta iuridicialis acceßit. Similiter ex aliorum firmamentorum cauſæ quæ ſuperius expoſita ſunt infirmatione, ſtatus accedunt. Infirmatio à firmamento differt, quòd illa ſtatum mutat, hoc confirmat.

DE PROPOSITIONE, ET DIVISIONE.

HIs ita conſyderatis, poſt narrationem confirmationem aggrediemur, in qua proponere quod agimus in ſimplici quidem & clara cauſa, quum auditores id de quo agitur probè teneant, fortaßis neceſſe non eſt, maxime ſi exitus narrationis huiuſmodi fuerit, ut ipſam rem quæ in iudicium uenit aperiat, quod coniecturæ ac translationi plerunque accedit: In obſcura uerò quæcunque ſit & duplici, & quum factum conuenit, ſed iure an iniuria factum ſit quæritur, neceſſaria mihi uidetur propoſitio. Propoſitio ergo ut nunc accipimus, nihil aliud eſt, niſi totius rei, qua de agitur, breuis demonſtratio, ut parricidij

accuſo,

accuſo, & econuerſo. Facile igitur uobis oſtendam iudices non modò non patratum, ſed ne cogitatum quidem mihi parricidium. Poſt propoſitionem ſi diuiſio uidetur neceſſaria, quod non ſemper accidit, ea conſequetur. Inter hanc propoſitionem, et illam qua argumentationis initium ſumimus, hoc intereſt, quòd in illa locus proponitur: hac, tota cauſa, unde fit ut illa una ſemper argumentatione abſoluatur, hæc ſæpe argumentationes & locos multos contineat: ſic proponit pro Milone Cicero, quod per totam coniecturalem acturus erat. Num igitur aliud in iudicium uenit, niſi uter utri inſidias fecerit? Profectò nihil, ſi hic illi, ut ne ſit impune: ſi ille huic tum nos ſcelere ſoluamur: deinde alteram partem tantum, hoc modo, Quonam igitur pacto probari poteſt inſidias Miloni feciſſe Clodium? Quòd ſi quæſtiones plures* inſeruntur, omnes occupandæ ſunt, quod quum accidit ipſa quæſtionum enumeratio principalis diuiſio erit, ut ſacrilegij, parricidij, proditionis accuſo. Si multiplicatio, ac uarietas cauſæ ex firmamentis, ac rationibus uarijs earumque infirmationibus oritur, totam cauſam tanquam ſimplicem proponemus, deinde agendo cætera locis ſuis proponentur. Vt pro Milone Cicero his uerbis, Niſi oculis uidebitis inſidias Miloni à Clodio factas. Quam rationem antequam contextum orationis abſoluat, ſic repetit, Si illius inſidiæ clariores hac luce fuerint, tunc denique obteſtabor uos iudices ab inimicorum audacia, telisq; uitam ut impune liceat defendere. Hæc totius cauſæ, hæc principalis conſtitutionis in relatione facta propoſitio eſt, acceſſorium deinde proponit, Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſum fateatur. Quo improbato infert aliud. Sequitur illud, quod à Milonis inimicis

*inſtruuntur

cis ſæpißime dicitur, cædem, qua P. *Clodius occiſus eſt, ſenatum iudicaſſe contra remp. eſſe factam.* Hoc quoque *abſoluto proponit tertium,* At *enim* C*n.* P*ompeius rogatione ſua & de re, & de cauſa iudicauit.* Ibi ergo propoſitiones acceſſoriarum quæſtionum fient, ubi ipſæ quæſtiones (ut in diſpoſitione dicetur) collocandæ ſunt. Aut ergo primò principales proponemus, deinde acceſſorios loco ſuo ſeruabimus, aut omiſſo principali ordine locis ſuis & proponentur, & explicabuntur acceſſorij: Ac demum poſt omnes inferetur principalis, quod tunc debere fieri putamus, quum aut uehementi turpitudine implicita, aut difficilis factu, ac creditu, aut omnino impoßibilis principalis exiſtimatur: quare ne animum auditoris offendat, alijs quæſtionibus lenito, aut omnino diſſuaſo principalis*deferatur. Verum quemadmodum ſi offendat, nouißimo demum in loco ponitur, ſic ſi iuuat, ſæpius tangenda, ut rurſus idem in fine primæ quæſtionis, *inſidiatorem iure interfici poſſe*: firmißimum quoque ex acceſſorijs ſæpius tangendum eſt, ut Cicero *ab utro factæ ſint inſidiæ* ſæpius*dicit. Propoſitionem uerò optimè ac breuiter complectemur, ſi iudicationem excogitabimus: ipſa enim iudicatio, uel tota, uel ex altera ſui parte, uel pars eius proponi ſolet, quorum alterum ſimplicibus, alterum duplicibus accidit cauſis. Sed à Cicerone ad confuſionem huius facultatis peſtium hæc ſumantur. Ex altera parte ſolum, ut illud, *quonam modo probari poteſt inſidias* Miloni *feciſſe* Clodium? tota uel ſine apertione, ut in eadem oratione ſtatim poſt exordium, uel cum apertione ſeiunctionis, ut poſt narrationem. *Illud iam in iudicium uenit, non, occiſus'ne ſit, quod fatemur: ſed iure an iniuria, quod multis antea in cauſis iam quæſitum eſt.*

*inferatur

*tan

Inſi

Inſidias factas eſſe conſtat, & id eſt quod Senatus contra Rempublicam factum iudicauit, ab utro factæ ſint inſidiæ incertum eſt, de hoc igitur latum eſt, ut quæreretur, ita & Senatus rem non hominem notauit, & Pom. de iure non de facto quæſtionem tulit. Nunquid igitur aliud in iudicium uenit, niſi uter utri fecerit inſidias? profecto nihil. Inter iudicationem uerò & propoſitionem hoc intereſt, quòd propoſitio ſummam totius negotij plerunque

Indicatio. ſolam, Iudicatio cum rationibus continet. Præterea Iudicatio ſæpe multis in locis, & tota ex altera parte dici poteſt. Propoſitio non niſi cum probatio ſequatur. Qua-

Propoſitio. re Propoſitio quidem de qua loquimur, aut iudicatio ex altera parte ſemper erit, aut pars iudicationis, iudicationem propoſitionem nunquam eſſe neceſſe eſt. Quare iudicationem niſi cauſa clariſsima ſit, & ſimpliciſsima, ut ex ipſa narratione quid in iudicium ueniat claré appareat, ſemper proponemus. In duplici & difficili, ut cauſa poſtulat, principalem aut initio confirmationis, aut poſt acceſſorias, aut in utriſque locis locabimus: firmiorem quoque ex acceſſorijs ſæpius tangemus, ſemel proponemus, & ſi ex multis unam relinqui uolumus, quæ nobis facilior probatu, & utilior ſit, cæteras tanquam ſi conuenire deberent, ac quaſi quæſtionibus ſeiunctionem aperientibus ita proponemus. Quibus explicatis, quum ad firmiorem uenimus, quæ probauimus tanquam ſi conuenirent accipiemus, & firmioris controuerſiam aperiemus, quæ omnia à Cicerone factitata uerbis ſuis oſtendimus. Ad hæc acriter conſyderandum, ſi tota cauſa ſimplici propoſitione comprehendi poteſt, quam in partes ſuas diuidere confeſtim liceat, ut in præficiendo Pompeio imperatore, quum genus belli proponat, & pro P. Q. Negamus te bona P.

Quintij.

Quintij. Sex. Neui poſſediſſe ex edicto prætoris, in eo ſponſio facta eſt: oſtendam primum cauſam non fuiſſe, cur à prætore poſtulares ut bona P. Q. poßideres, deinde ex edicto te poßidere non potuiſſe, poſtremò non poſſediſſe. Sed huius uoluminis iam finis ſit, cætera in aliud transferantur.

LIBRI PRIMI FINIS.

GEORGII TRAPEZVNTII RHETORICORVM LIBER SECVNDVS.

DE CONFIRMATIONE, ET CONFVTATIONE.

QVONIAM in primo libro de exordio, narratione, diuiſione breuiter diximus, ac ut facilius cætera abſolueremus, conſtitutiones quoque declarauimus, & quomodo iudicationem inuenire conueniat docuimus, in hoc libro dabimus operam, ut uniuſcuiuſque ſtatus loci quibus confirmationem & confutationem fieri neceſſe eſt, quàm dilucide pateant: & quoniam coniecturalis ad alias quoque cauſas ſæpe utilis eſt, eam primum exponemus, quam etiam ea ipſa de cauſa diligentius tractare conſtituimus. Verum ut omnia facilius & intelligi, & memoriæ commendari poßint: & in hac & alijs conſtitutionibus unumquenque locum certo uocabulo nominare operæpretium uidetur: quæ res & ſi durior

propter uerborum nouitatem uidebitur; tamen quoniam perutilis eſt, non fuit ſuperſedenda, uerum etiam ideo audacius conficienda, quoniam antiquiſſimos Latinæ linguæ autores, ac ipſum Ciceronem id factitaſſe perſpicuum eſt.

Conſtitutionis coniecturalis loci.

Conſtitutionis coniecturalis ratio his locis comprobari ſolet, recuſatione, nonnunquam teſtium petitione, cui loco etiam quæſtiones, præiudicia, rumores, tabulas, iuſiurandum, quoniam teſtimoniorum uim habent, iure inſerimus, uoluntate, poteſtate, comprehenſione, abſolutione, repulſione, tranſpoſitione, inuerſione, qualitate communi. Horum locorum accuſatoris quidem proprius is ſolus eſt, quem repulſionem dicimus: defenſoris uerò recuſatio, abſolutio, tranſpoſitio, inuerſio. Cæteri autem communes tam accuſatoris quàm defenſoris.

Recuſatio quibus modis conſideretur.

Recuſatio eſt locus, quo totam cauſam à nobis reijcere conamur: hæc ſi aut lege, aut firma conſuetudine, aut iudicatis adiuuatur, non locus, ſed perfecta eſt conſtitutio, quam translationem appellamus: Recuſatio autem (quæ locus eſt) à circunſtantijs inuenitur, & his quatuor modis præcipuè conſyderatur: aut enim ab eo quòd res deficiat, ut ſi prodigi pater non appareret, & parricidij prodigus accuſaretur, utetur enim in hac coniecturali recuſatione, quòd hanc cauſam ſubire non debeat, niſi conſtet patrem occiſum eſſe: Aut ab eo quòd plurimas perſonas propter diuerſitatem uitæ, una ac eadem ratione damnari non conueniat, ut ſi decem iuuenes nunquam uxorem ducere coniuraſſent, & malè inter ſe uiuere accuſarentur, unuſquiſque per ſe iudicari debere confirmabit, quòd alio more atque cæteri uixiſſet: Aut quòd ab eo quod alij fecerunt, iudicium ſubire non debeamus, hoc modo, Viri fortis ſtatuas et trophæa hoſtes cõſtituebãt, et hic apud ſuos proditionis accuſatur: reijcit

reijciet enim iudicium, nec debere ſe cauſam dicere aſſirmabit eius quod ab alijs factum eſt. Aut à tempore, *hoc modo,* I*gnaui cuiuſdam filius magno animo, magnis'que uiribus ſæpius hoſtes fugat, & pater eius matrem adulterij accerſit:* D*icit enim mulier multis tranſactis annis, hoc crimine modò accuſari non conuenire. Sunt qui putant hunc locum non in coniectura ſolum, ſed in omni cauſa perutilem, quod aiunt* Alcibiadem *adhuc puerum intellexiſſe.* N*am cum* P*ericles magna cura angeretur, quonam modo pecuniarum rationem reip. redderet, dixiſſe fertur, potius conſiderandum eſſe quo modo non redderet: quibus uerbis eum affirmant hunc locum uoluiſſe ſignificare, quo prius conamur à ceruicibus reijcere cauſam.* Deinde *ſi parum hoc procedit, cæteros quoque locos adhibendos aiunt.* Ego *in alijs quoq* [illegible]*ſis hunc locum inueniri non facile negauerim, quum ſemper ipſam quoque perfectam translationem quærendam cenſeam: ſi ea legibus, moribus, iudicatis non inuenitur, per circunſtantiam aliquam translatiuum hunc locum quæremus.* Tutius *enim eſt, & multum iuuat ſequentia, primum ſi non debere nos eius rei ſubire iudicium aſſeretur, deinde per obſiſtentiam ad cætera tranſire, quàm ſtatim, ac ſi ad nos ea res clarè pertineret cauſam ſuſcipere.* In *petitione teſtium conſiderandum, utrum ab accuſatore teſtes de re afferantur.* Nam *ſi teſtes producuntur, defenſor à uoluntate, de qua mox dicemus, teſtimonia eorum improbabit, quòd ſcilicet aut gratia, aut ſimultate, aut affinitate, aut pretio, aut metu, aut ambitu, quæ omnia ad retiocinationem pertinent, aut impulſione commotus, ut metu, ira, aut perturbatione ſubita in dicendo teſtimonio mentitus ſit, quæ ita eſſe uita ſua compro=*

Alcibiadis inuentum.

Te[illegible]

babuntur. Nam ubique cauſa, qua aliquid quempiam uoluiſſe dicimus, non multum ualet niſi ſimul cum uita hominis congruere dicatur. Quare patet teſtes uoluntate & demonſtrationis locis, qui perſonæ attribuuntur, & comprobari & reijci ſolere: neque ſolum quæ priuatim, ſed etiam quæ communius in quempiam dicuntur, maxime ſi teſtimonia publica eſſent, accipienda ſunt, ſicut Cicero pro L. Flacco, & leuitatem nationis & inconſtantiam, perditosq́; Græcorum uſque ad danda mutuo teſtimonia mores ampla oratione inſequitur. Ad hæc infirmatio teſtium coniecturali quadam ſuſpicione comprobari poteſt, ſi aut non eſſe factum quod dicant, aut non potuiſſe fieri argumentabimur, & id aliquo coniecturæ loco aſſequemur: deinde ſi ea quæ à teſtibus dicta ſunt, aut eorum aliquid cum ſignis et argumentis non conueniat. Præterea ſi unus alteri contradicit, aut idem ſibi, ut aliud ſuperius, aliud inferius dicere uideatur: aut ſi rationibus & argumentis, quòd dicat comprobare nititur. Nam hæc duo poſtrema cupiditatem eius arguunt, uel gratia, uel odio, uel cæteris huiuſmodi uehementer accenſam. Econtra uerò ab his omnibus accuſator teſtimoniorum firmabit conſtantiam. Quòd ſi teſtes non eſſent, reus eos circunſtantijs omnibus, ſi eam facultatem res patitur, diligenter petet, quis uidit? ubi uidit? quo tempore? quomodo rem factam dicit? aut quomodo uidit? ubi ipſe quum uideret erat? aut etiam ſic, tantum ſcelus ſine teſtibus credi non oportere, præſertim de Bruto modeſtiſsimo uiro, quum id uir omnium perditiſsimus, & eius inimicus aſſerat, & maxime in rep. ubi nihil temere, ut in tyrannide credi ſoleat. Accuſator hic dicet, plus ſignis & argumentis quàm teſtibus credi oportere, hæc enim exponi ut geſta ſunt, teſtes

corr

corrumpi poſſe. Quòd ſi ſeruos in teſtimonium per quæſtiones more maiorum trahere uolemus, dicemus dolore homines cogi ueritatem aperire. Deinde quæ in quæſtionibus dicta ſunt, ueriſimilia eſſe coniecturæ locis affirmabimus, & ſignis & argumentis conuenire oſtendemus. Reus in his quæſtiones interponi non oportere, quæ ſignis & argumentis ita patent, ut quæſtionibus decipi non poßimus: deinde alium alio recẽtiorem ad dolorem eſſe, et ingenioſiorem ad comminiſcendum: aut quòd ſcire poſſet, uel ſuſpicari, quid quæſitor audire uelit, cui ſi quid conueniens dicat, intelligat ſibi finem doloris futurum. Quare dolori non eſſe credendum: quæ omnia aliqua coniecturali argumentatione, ſi res poſtulat, comprobabuntur. Nam id (ne ſæpius repetatur) hoc loco dictum ſit, quòd non ſolum in hac conſtitutione, ſed etiam in alijs quandocunque aliquid infertur, quod quoniam infirmum ſit, negari ab aduerſario poteſt, id à nobis aliquo coniecturæ loco comprobandum uideri. Præterea ſcire oportet accuſatorem non ſeruos in quæſtiones, ſed ipſum reum ſæpe trahere debere, quod ſimili modo tractandum eſt, niſi quòd hæc tormenta, quæ ad reum conferuntur in peroratione comprobata cauſa per amplificationem aut commiſerationem diſtribui aptius poßint, quamuis & aliorum locorum omnium, non quæ hic ponitur, ſed quomodo diſponendi ratio poſtulat collocatio ſit. Inter præiudicium & exemplum, quod à iudicato ducitur, hoc intereſt, quoniam iudicatum eſt quod de re ſimili, aut maiore, aut minore, uel æquali profertur: Præiudicium eſt eadem ipſa de re qua de agitur lata ſententia. hoc & in iudiciali inuenitur, ut illud contra Milonem: ſenatum iudicaſſe cædem factam in Appia uia contra remp. uideri, hoc enim ſenatus decreto pri*

Quæſtionum refutatio.

* A in

to priuſquàm in iudicio cauſa agitata eſſet, condemnatum Milonẽ aduerſarij dicebant. Et *in coniecturali, ut pro* Clu*entio, iure damnatum* Oppianicum *ueneficij duobus præiudicijs oſtenditur: prius enim* Scamãder C. Fabritij *libertus accuſatus & dãnatus fuerat, deinde ipſe* C. Fabritius *ſimiliter per eoſdem iudices tanquã conſcius ueneficij condemnatur:* Ex *quibus iure dãnatũ* Oppianicũ *ſequitur: hoc igitur præiudicium ſi inuenitur in iudiciali, ut plurimum per legitimum ſtatum tractatur.* In *coniecturali negabimus ad hunc hominem ea præiudicia pertinere, illos damnatos, quoniam & alioquin nocentes homines, & infames fuerunt, non oportere damnationem ſceleratorum hominum integro uiro nocere, & cætera huiuſmodi, quæ tum locum habent, cum qui præiudicijs premitur, honeſtioris uitæ uidetur.* Præterea *teſtes eorum iudiciorum corruptos fuiſſe, & utemur loco contra teſtes: ad hæc ſi poſſumus, dicemus callidos ac diſertos accuſatores fuiſſe, bonos patronos reis non adfuiſſe.* Item *corruptos iudices uel ineptos, ſtultos'ue fuiſſe.* Denique *iudices rogabimus, ne alieno iureiurando ſuum condonent.* Quare *omne præiudicium, uel earum perſonarum differentia, qui rei ſunt, fueruntq;, iudicum, patronorum, teſtium infirmatur, uel quòd ad eam rem non pertineat, uel quòd aliter intelligendum, quod legitimo ſtatu obſoluitur.* Quorum *omnium contrarium comprobari poteſt.* À *rumoribus dicemus, ſi non temere naſci rumorem oſtendemus, quin ſubſit aliquid. nulla enim cauſa poſſe rem quampiam omnibus eſſe in ore, ſi ita res ſe non habeat.* Rumores *etiam nonnullos ueros commemorabimus, ac eis fidem dari oportere nonnullorum autorum uerbis comprobabimus.* Econtrario *argumentis eſſe agendum non conficta fabula, quam unuſquiſq; inimicorum, loco,*

tem

tempore, cauſa conflare ita poteſt, ut & dißipetur, & credibilis uideatur, multa rumoribus credita fuiſſe pro ueris, quæ poſtea falſa inuenta ſunt. Infirmos aduerſarios argumentis, ad rumores, rem incertam confugere. Rumoris inſtabilitatem autoritate confirmabimus, multos in eo aduerſarios fuiſſe & eſſe, quibus nos fidem non habemus. Tabulæ quoque afferuntur non-nunquam quas refellimus, ſi aut inhoneſtum quid, uel non credibile, aut omnino impoßibile continere uideantur, non recti affuiſſe aßignatores, aut etiam aliquem abfuiſſe, uel defunctum fuiſſe, quod firmabimus, ſi tempora non congruunt. Præterea ſi quæ antecedunt in tabulis cum ſequentibus pugnāt, ſi de teſtamento et hæreditate ageretur, teſtatorem hunc qui hæredem ſe dicit nunquam cognouiſſe, uel inimicum fuiſſe ſcriptori tabularum, hunc amicißimū ſemper extitiſſe, eum corruptum largitione, quod uita & exiſtimatione hominum de eo corroborabitur, teſtatorem ueros hæredes ante mortem ſæpius multis præſentibus nominaſſe, non fuiſſe cauſam cur mutaſſet tabulas, ſi refellere non poſſumus, & ſcriptum id patitur, legitimo ſtatu explicabimus. Iuſiurandum à petitore uel defenſore uel petitur uel offertur, in utroque religio perſonæ conſideranda uidetur: ſi offertur & non accipitur, id iam ex re noſtra dicemus: ſin dabitur petitum, impudētiæ eſt ſi id rurſus repudias. Quare niſi religionem hominis noueris, offerre dementiæ eſt: accidere etiam poteſt, ut quum ab utraque parte iuratum ſit, contentionem perſonarum facere neceſſe ſit. Quòd ſi non petitum, & tamen contra nos aduerſarij iuſiurandum acceptum ſit, uel iure id fieri poſſe negabimus, uel teſtimonij modo refutabimus. Voluntas quæritur ex cauſa & uita, uita his maxime conſideratur,

A tabulis fides.

A iu[...]

quæ perſonis attributa ſunt, quos locos demonſtratiui generis eſſe manifeſtum eſt: hi ſunt huiuſmodi, nomen, natura, uictus, fortuna, habitus, affectio, ſtudia, facta, caſus, orationes, de quibus latius in tertio dicetur: Nunc breuiter aperire ſufficiat. Nomen eſt quod unicuique proprium ac certum uocabulum eſt. Naturam hic appellamus nationem, ut Græcus: patriam, ut Athenienſis: cognationem, ut Cornelius: ſexum, ut uir, mulier: ætatem, ut iuuenis, ſenex: commoditatem corporis aut animi, ut longus, ualens, uelox, memor, acutus, fortis. Incommoditatem, ut breuis, imbecillus, tardus, obliuioſus, hebes, timidus, & ſimilia, dum hæc nobis inſita non induſtria comparata ſint: nam ea quidē non in natura, ſed in habitu ponimus. In uictu conſideratur quomodo educatus ſit, apud quos uixerit, aut uiuat, quos præceptores habuerit, quibus amicis utatur, quo artificio ac quæſtu uiuat, quomodo rem familiarem adminiſtret. In fortuna, ſeruus'ne ſit an fuerit, an liber, an priuatus, an cum poteſtate: & ſi cum poteſtate, iure an iniuria, diues an pauper, clarus an infamis. In habitu eſt uelocitas, robur, memoria, ingenium, & ſimilia non natura data, ſed exercitatione quæſita. Affectio, ut lætitia, mœror, metus, audacia, cupiditas, pallor, rubor, titubatio. Studium, ut philoſophiæ, rhetoricæ, geometriæ, artis magicæ. Facta, caſus, orationes, à tribus temporibus conſiderantur, quid fecerit, quid acciderit, quid dixerit, quid faciat, quid ſibi accidat, quid dicat, quid facturus ſit, quid dicturus, quid ſibi caſurum ſit. His, ut diximus, locis & uita hominis, & per uitam uoluntas conſideratur. Nam hic accuſator ſubdolum, uerbi gratia, cognominatum dicet aduerſarium, quòd dolo ſemper æquales aggrediatur. Præterea iuuentus luxurioſæ uoluntatis

Vitæ attributa.

tis

tis argumentum eſſe facile ſolet, quam diuitiæ augent, ſupprimit paupertas. Educatio denique *& ſocietas, conſuetudo uiuendi, & cætera quæ dicta ſunt, magnam præbent copiam, qua accuſator reum uoluiſſe facile probabit, quod latius exponeremus, niſi & intellectu id facile putaremus, & initia ab arte, cætera ab exercitatione proficiſci exiſtimaremus. Illud etiam præmittendum, quòd pleriq; locorum, qui perſonis attributi ſunt, poteſtatem magis arguunt, ut fortuna, habitus, ſtudia: nonnulli uoluntatem magis, ut nomen, uictus, affectio.* Reliqui *communes tam uoluntatis, quàm poteſtatis mihi uidentur. Verùm non ſine ratione uoluntati omnes attribuimus, quoniam & poteſtas ipſa uoluntatem inducere ſolet. At nonnunquàm et ſi antè noluerimus, tamen quum copiam ad aliquid commodè faciendum nactos nos arbitramur, ita mouemur, ut quod nolebamus iam cupere uideamur. Quare nobis uiſum eſt omnes hos locos uoluntati attribuere, ac hinc ad poteſtatem quoq; transferre omnia quæ ad eam comprobandam pertinere poſſunt. Cauſa eſt, quæ ad ſuſcipiendum facinus inducit.* Ea *diuiditur in impulſionem & rationem. Impulſio eſt temerarius impetus animi ad aliquid faciendum ſine cogitatione, ut cupiditas nimia, iracundia, uinolentia, timor, & omnino omnis perturbatio animi, quæ rem conſilio & cogitatione uideri non ſinit.* Ratio *eſt quæ aut commodorum ſpe, aut incommodorum euitatione ad maleficium hominem impellit, ut quum dicimus adipiſcendi, uel retinendi, uel augendi commodi: aut econtrario euitandi, reijciendi, uel diminuendi incommodi cauſa ad facinus impulſum eſſe, quæ comparatione etiam conſyderari poſſunt. Vt quum dicimus maioris adipiſcendi commodi, aut maioris euitandi incommodi cauſa facere uoluiſ-*

 ſe: præ

ſe: præterea odio, inuidia, aut gratia impulſum: hic accuſator eius cauſæ uim, propter quam reum commotum dicit, uerbis ample oſtendat oportet, quam uitæ in quantum poterit accommodabit. Nam cauſa ſæpe parum ualet, niſi hominis uitæ conueniat, ut ſi dicas eum auaritiæ cauſa feciſſe, ex antè factis, aut dictis, aut etiam caſibus, & alijs quæ perſonis attribuimus, quæq; ad rem accõmodari poſſunt, auaritiam eius immenſam oſtende: Sin luxuria commotum dicis, quum uim eius cauſæ breuiter ac uehementer expoſueris, quod facilius facies, ſi nationẽ, ætatem, fortunam cauſæ inſeras, luxurioſe eum uixiſſe oſtende. Id quoque his opportune dictum ſit, uim cauſæ uehemẽtiorem multo uideri, quum ita effertur, ut ad eam accommodentur quàmplurima perſonis attributa, ut ſi magnam rei uenereæ cupiditatẽ dicamus, præſertim in Cyprio & eo iuuene, ac natura ſanguineo, & ſucci pleno. Deinde à uita, qui à pueritia ſic uixerit, & apud tales: ſi non poterit uitæ uitium cauſæ idoneum reperire, reperiet diſpar unum, aut quod melius eſt, plura, ut ſi non poterit auarum demonſtrare, quem lucri cauſa commiſiſſe dicit, perfidum luxurioſumq; ſemper demonſtret fuiſſe, deniq; non eſſe mirandum ſi quum tot ac tanta nequiter fecerit, id quoq; perperam commiſiſſe: Sin uehementer uita hominis integra æſtimabitur, argumentis potius ac ſignis quàm famæ, quæ plerunq; ſimulatione acquiritur, dicet credi oportere, non eſſe mirandum ſi quum omnium rerum initium ſit, modò peccare cœperit: quod quum ita poßit eſſe, non anteactam uitam, ſed argumenta eſſe ſpectanda. Ad hæc ſi res patitur, connexa ex utraque parte uirtutibus uitia occupabimus, ut ſi liberalem prodigum, atque inde conſumptis ſuis, in rapinam uerſum affirmares. Defenſor autem cauſam omnino

nino negabit, ſi poterit, aut eam ita extenuabit, ut non tantam uim quantam aduerſarius dicit habere, probet: Iniquum eſſe omnes ad quos aliquid commodi ex aliqua re perueniat, ad ſuſpicionem maleficij deuocari, uitam quoque ſuam ſemper alienam ab eo uitio fuiſſe. Hic ſi ipſe reus cauſam dicit, maxima ſummaq; cum cautione omnia ſibi dicenda arbitramur, ne aut nimia ſui laude auditores offendat, aut parum de ſe dicendo totam peruertat defenſionem. Sin aduocatus pro reo dicit, multò latius omnia complectetur, & iudicio meo ſemper quum res aliquid ponderis habere uidetur, parum nos, aduocatus totam cauſam explanabit. Nam & plena uoce laudare, & aduerſarios uehementius criminari, & aut eiuſdem aut grauioris culpæ reos arguere, ſine odio facere poteſt: quòd ſi bonæ etiam exiſtimationis ſit, tunc uerò non iam aduocati ſolum, ſed etiam grauis teſtimonij autoritatem afferet. Si uita hominis defenſor impedietur, aut falſos rumores de innocentis uita ſparſos fuiſſe dicet, idq; ex antè factis, ſi quæ ab eo probè geſta ſunt, cæteriſq; perſonæ attributis confirmabit: aut calumniari aduerſarios aſſeret, & quoniam id crimen quod inferunt ueris ſignis & argumentis comprobare nequeant, ad anteactam uitam confugere. Sed de uoluntate hactenus, de qua ut longius diceremus producti ſumus, quòd accuſatoris & defenſoris propoſitiones oſtendere breuiter uoluimus, quas multo plures etiam dictis inueniri conſtat. Non enim omnia, ſed principia & fundamenta facultatis dici poſſe confidimus. Harum autem propoſitionum quæ à locis ſumuntur rationes, confirmationes, exornationes in tertio libro, ubi de argumentatione tractabimus, non minore induſtria, quàm opus ſit, exponemus.

A poteſtate. nemus. Nunc de Poteſtate dicamus, parum enim refert uoluiſſe, niſi etiam potuiſſe diligenter explicetur. Poteſtas ut iam dictum eſt, ex attributis perſonæ conſyderatur. Nam ut diuites, ingenioſi, robuſtiq; ſunt, qui commiſerunt: ut eorum amici, ſodales, liberi, ſeruiq; ſe habeant, potuiſſe, aut non potuiſſe confirmabitur: præterea loco, tempore, ſpe celandi, comparatione perſonarum, rei ſcilicet & eius qui paſſus eſt. Locus conſyderatur, ſi opportunus aut inopportunus ad rem eſſe dicatur, quod quæritur ex magnitudine, longinquitate, propinquitate, ſolitudine, celebritate, natura ipſius loci: præterea publicus'ne ſit, an priuatus: & ſi priuatus, rei'ne an eius ipſius qui paſſus eſt, qua ex opportunitate is ſcilicet plurimum potuiſſe confirmabitur. Qui eius loci conditiones non ignorauerit, ac omnes uias & inuia eius pertriuerit, ſi locum inopportunum eſſe conſtaret, aut propter cupiditatem id non uidiſſe reum dicemus, aut commodum ſibi putaſſe. Nam in omnibus fere parui refert, reuera ita fuiſſe ut dicimus, niſi ſic opinatum reum demonſtremus. Tempus in quo rem geſtam dicemus, in ſpatium & occaſionem diuiditur. Spatium quæritur ſatis'ne longum ad eam rem perficiendam fuiſſet, & potuerit'ne ſcire reus ſatis ſpatij futurum. Occaſio eſt tempus idoneum ad aliquid faciendum, eam diuidimus in publicum, commune, ſingulare. Publicum dicimus, quod uniuerſa ciuitas celebret, ut ludus, dies feſtus, bellum, pax. Commune, quod accidit omnibus eodem fere tempore, ut meßis, uindemia, calor, frigus. Priuatum, quod uni ſoli accidit, ut nuptiæ, ſomnus, funus, conuiuium. Spes celandi, cum ex loco & tempore, tum ex conſcijs & adiutoribus quæritur. Comparatio rei & eius qui paſ-

Poteſtati attributa.

ſus

ſus eſt, ex his locis, quos perſonis attribuimus, comparatiue proferτur, ut ſi ex una parte diuitiæ, conſilium, uires, apparatio uidebitur fuiſſe, ex altera paupertas, ſtultitia, imbecillitas, inapparatio: hic collatio non ab re fieri poteſt, hoc eſt, comparatio ipſius rei, aut cum his qui uidebuntur eandem rem uoluiſſe ac potuiſſe facere, aut etiam cum ſeipſo. Hæc perſonarum, loci, temporis, occaſionis contentio, quædam iudicij recuſatio eſſe uidetur. Quum autem omnis recuſatio in principio locum habeat, hæc poſt uoluntatem & poteſtatem non iniuria collocata eſt, quoniam earum comparatione uim arripit, quamuis ad dicendum nihil interſit, unus'ne cum uoluntate & poteſtate, aut recuſatione putetur, aut diuerſus: hic accuſator dicet nemini alij cõmodo fuiſſe, et ſi cui commodo fuit, eum eiuſdem uitæ non eſſe: aut neminẽ commoditatem loci, temporis, et aliorũ quæ dicta ſunt, æque ac ipſe habere potuiſſet. Si ad ipſum reum hæc cõparatiuè referuntur, dicet eum aut alio tẽpore & loco, et alijs rationibus id facere non potuiſſe: aut ſi potuit, fugiſſe eum eas rationes, quæ præteritæ ſunt. Sin meliorem commoditatem futuram reum dicturum intelligit, aut ipſum id tunc non uidiſſe, aut cupiditate impulſum expectare non potuiſſe: reus alijs quoq; æquè commodo fuiſſe dicet, & uitam eorum magis facinori conuenire: ſe ſi uoluiſſet, aut uſurum fuiſſe meliori occaſione præterita, aut expectaturum futuram, nec eum ignoraſſe. Hæc ab accuſatore eo genere dicendi exponentur, quod Defenſorium appellamus. Defenſor non utetur accuſatoris uehementia, ſed medio quodammodo genere inter accuſatorium & defenſorium, ne ut ſe defendat, falſo alios accuſare uideatur, niſi fortè adeò magnam uim collatio habeat, ut magis alius accuſandus uideatur, quàm qui reus eſt.

Quare

Quare putamus ſi minorem, aut ſi etiam æqualem uoluntatis, & poteſtatis loci in alios poſſunt afferre ſuſpicionem, poſt eos collationem, ſiue alium quis ſeparatim habendum, ſiue eundem quis locum putet (quoniam nil aliud eſt niſi eorum ipſorum quædam inter ſe comparatio. Parum enim curamus, dum ea utendum ſciamus): Si minorem ergo, aut æqualem in alios ſuſpicionem affert collatio, poſt uoluntatis, & poteſtatis locos collocandam ita putamus, ut non magis nos quàm alios accuſandos, uel potius non magis alios quàm nos omni ſuſpicione liberandos oſtendamus: ſin atrociorem in alios conflare poteſt ſuſpicionem, recuſationi coniungendam, & ante alios locos, & uehementius agendam, ut clarè à noſtris ceruicibus in alios crimen reijciatur: quod quum accidit, translationem duplici ex perſonis coniectura abſolui dixerim. Comprehenſio eſt ſignum circunſtantijs implicitum, per quod res arguitur certioribus argumentis, & quaſi firma ſuſpicione. Is locus quum circunſtantias fere omnes comprehendat, ac coniecturalem cauſam confirmet & conſiſtere faciat, ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, hoc eſt, ab initio ad finẽ à nobis appellari ſolet. Circũſtantiæ uerò ſunt ſex, quis, quid, ubi, quãdo, quomodo, quamobrem. Nam facultates quam ſeptimam circunſtantiam quidam putauerunt, his ſex attribui debere arbitramur. Fluit ergo is locus maxime atq; proprie ex ea circunſtantia quam quid appellamus: eſt ea ut nunc quidem capitur, argumentum quoddam atque indicium à quo res facta uideatur, ut ſi relictum telum aut ueſtimentum eum cuius ſit, criminis coarguat, ad quod etiam cæteras concurrere circunſtantias neceſſe. Niſi enim & tempore quo, & in loco ubi patratum facinus ſit, ſignum percipiatur, plerunq; nihil hic nobis ad dicendum datur. Quare ut

uim

uim totam ſimul uti Græcè facimus, Latinè quoque comprehendamus, comprehenſionem hunc locum uocare placuit, cuius quaſi fundamentum res eſt, quam in coniecturali, ſignum appellamus: ſemper enim locus ab initio ad finem, aut ab affectione quadam, aut à dictis, aut à factis, aut à rebus relictis inuenitur. Ab affectione, Arcem factioſus & potens crebrò reſpiciens lacrymat, ac tyrannidem affectare accuſatur. A dictis, Triduò antequàm in Appia uia inſidiæ factæ eſſent, Milonem periturum dixit Clodius. A factis, Sepeliebat in ſylua cadauer, & cædis accuſatur. A rebus relictis, ut ſi in loco ubi quicquam commiſſum eſt, ueſtigium quoddam, ut uerbi cauſa, ueſtimentum alicuius inueniatur. Hic illud ad maiorem huius loci partium intelligentiam ſciendum eſt, quòd illam circunſtantiam, quam quid appellauimus, quod totius coniecturalis fundamentum, ſignum ac argumentum eſſe neceſſe eſt (ſine enim certo quodam ſigno, quod accuſatori cum defenſore conueniat, nulla unquàm coniecturalis conſiſtet cauſa) à tribus temporibus conſyderari licet. A præterito, ſi in eo loco ubi hòminem interfectum conſtat, paulo ante geſtionem negotij armatus perſpectus ſit: aut ſi aliquid dixerit, quod rem arguere poßit. Ab inſtanti, ſi quum negocium gereretur, aut rei uox, aut ipſius qui paſſus eſt, quũ nomine reum appellaret, exaudita eſſet. A conſequenti, ſi aut poſt geſtionem negocij circa eum locum cruentus conſpectus eſſet, aut aliquid eo in loco relictum ſit, quod indicet à quo geſtum ſit, ut gladius, calceamentum, & quæ huiuſmodi ſunt. Huic ſigno, quod à conſequenti tempore capitur, etiam id adiungimus quam conſecutionem nonnulli appellauerunt, ut ſi reus quum ad

Con[...] quid.[...] porib[...]

eum

eum uentum ſit, erubuerit, titubauerit, inconſtanter locutus ſit, quæ ſigna conſcientiæ ſunt. Defenſor hæc magnitudine periculi non cōſcientia peccati ſibi accidiſſe dicet. Si non pertimuerit, fretum innocentia negabit eſſe commotum. Ad quod accuſator uſq; adeò præmeditatum fuiſſe reſpondebit, quid ſibi eſſet uſui futurum, ut confidentiſſime reſiſteret: quæ ſigna non innocenciæ, ſed confidentiæ & exhauſti pudoris ex continuo peccandi uſu eſſe affirmabit. Illud etiam tenendum reor, quòd ſi is locus accuſatoris ſolum eſt, quod ſæpius accidit, cæteri loci qui ſequuntur quiq; inciaunt, omnes defenſoris erunt: quòd ſi hic tam ad accuſatorem quàm ad defenſorem pertineat, cæteri quoq; loci communes ambobus erunt: quod tum inuenitur, quum duæ res, hoc eſt, duo ſigna in coniecturali reperiuntur. Quorum uno accuſator, reliquo defenſor utitur, hoc pacto, Lex, Forti uiro, qui contra hoſtes rem bene geſſerit, à rep. præmium quod uelit: quidam affectatæ tyrannidis reus fuit, eius frater antequam hæc cauſa ageretur, uirtute ſua triumphum ab hoſtibus duxit. Impetrauit à rep. ut fratris hæc ſibi condonaretur accuſatio. Oppreßit ille graui tyrannide ciuitatem, eum frater priuatus qui triumphauit, depoſuit. Accuſatur huius fraternæ tyrannidis conſcientia: hic accuſator ea petitione, qua reus fratrē ab accuſatione tyrannidis extorſit, & his circunſtantijs, quæ circa eam petitionem ſunt, loco ſcilicet, tempore, modo, cauſa: defenſor depoſitione tyranni, & alijs quæ circa hanc rem ſunt diligēter utetur, ac ab utroq; alterius hæc argumenta ſoluenda ſunt. Id quoq; ſciendum eſt, ſolius nunquàm defenſoris hunc locum inueniri, niſi fortè his in cauſis, quibus non accuſatio, ſed petitio agitur, hoc modo, Quatuor quidam habebat filios, eorum tres uno tempore amiſit, dolore

uictus

uictus laqueo gulam frangere conſtituit, eum quartus filiorum laqueo abrupto à propoſito tunc abripuit, ſacrilegio poſtea in urbe commiſſo, pater ſe ſacrilegum indicat, ac ſibi debitam mortem petit, eius petitioni filius contradicit. Hic non uideo quomodo petitor hunc locum orationi ſuæ inſerere poſſit, at filius qui eum uel nolentem defendit, quum ſuperioribus locis uſus fuerit, uehementer per hunc locum, fratrum mortem, deſperationem patris, ſuſpenſionem, ſolutionem, locum, tempus in quo hæc fuerint ante oculos adducet: pater autem nec uerbum quidem de his faciet: Nam ſi quid dicat, non eſſe ſe reum ſacrilegij demonſtrabit. Abſolutio eſt locus per quem defenſor licuiſſe ſibi eam rem facere oſtendit, qua pro ſigno maleficij aduerſarius utitur. Is locus nullo modo incidere poteſt, ſi id quod ſuſpicionis ſignum dicitur, non à nobis, ſed ab alijs geſtum ſit. Quum autem propterea in iudicium trahimur, quòd nos ipſi aliquid fecimus, quod ſuſpicionem inferat ſemper inuenitur, niſi quum neceſſariò rem arguit, quum & coniecturalem cauſam minimè conſiſtere perſpicuum eſt. Hæc abſolutio abſolutæ conſtitutionis locis confirmatur, quamuis ab ea multum differat, quoniam in ea id quod pro crimine infertur, in abſolutione non illatum crimen, ſed criminis argumentum, ac ſignum totamq; comprehenſionem licere nobis aſſerimus, hoc pacto, *In ſolitudine quidam inuentus cadauer ſepelire, accuſatur*: licere enim dicet hominem ſepelire. Abſolutio ei loco, quem ab initio ad finem nos, Latini comprehenſionem appellare poſſunt, oppoſita eſt, quare omnia ea occupabit, & licere aut non eſſe prohibita dicit, quæ per ſigni comprehenſionem uehementer dicta crimen ante oculos ponebant. Repulſio non in hac conſtitutione ſolum, ſed

Abſolutio. Rep

g ubicunq;

ubicunque inuenitur, ſemper abſolutioni contraria eſt. Quare ſi accuſator hoc aut illo utetur loco, altero ſemper defenſor utetur. Hæc repulſio dupliciter agi ſolet, inficiatione ac obſiſtentia. Inficatio eſt abſolutionis perfecta negatio, quam enſtaſim nominamus, ut licet ſepelire, non licet ſepelire. Obſiſtentia eſt, quum non per ſe ipſam abſolutio, ſed ex aliqua circunſtantia negatur, hanc Græcè ἀντιπαράςασιν dicimus, ut non licet ſepelire hominem, & ſi licet, attamen non ſolum, neq; in ſolitudine, aut non eo tempore, in quo tu ſepeliebas, aut non eo modo. Inficiatio & obſiſtentia incidentibus ſæpe ſtatibus comprobantur. Et quoniã ſimilitudo magna in rebus eſt, ſi quæ res incidit parum iuuat, ſimilem quærendum, quæ ſi magis prodeſt, eò retorquere orationẽ oportet: & ſi omnia infirmiora ſunt, omnia ſic occupanda, ut cum ui orationis unum ſub aſpectum ponantur, firmiſſima uideantur, quæ res nõ in huiuſmodi loco & ſtatu ſolum, uerum ubiq; ferè diligenter conſiderãda. Neq; enim facile crediderim utilius quicquàm, aut melius in difficilibus cauſis inueniri poſſe: qua ſi quis facile uti uelit, dabit operam, ut in quo differant, & in quo conueniant, tam loci quàm ſtatus, memoriæ commendet. Tranſpoſitio eſt locus per quem comprehenſionis cauſa à defenſore profertur. Quæ quũ aut ab affectione, aut à dictis, aut factis, aut à rebus relictis inueniri ſoleat, quadripartitò & tranſpoſitio ei opponitur: nam aut conceſſione, aut ſcripto & ſententia, aut infinitione, aut translatione ipſam oppugnat. Conceſſione utemur, quum ab affectione ſignum coniecturæ conflatur, hoc pacto, Iuuenis diues & factioſus crebrò in arcem reſpiciens, cum motu capitis, lacrymas emittit, & quòd tyrannidem affectet accuſatur: incommoda enim ciuitatis, quæ in tyrannide patitur, & uitam

Inficiatio. ἔνςασις. Obſiſtentia. ἀντιπαράςασις. [...]ſitio. [...]

tam tyrannorum omni ſolicitudine plenam recordatus, lacrymaſſe dicet, & ſi quid aliud his ſimile inueniet. Sripto *& ſententia in tranſpoſitione utemur, quum ea quæ diximus ſuſpicionem faciunt, hic ambigi quoq; poſſe nemo dubitat, hoc modo,* Quidam *iuuenis diues ac factioſus prope carcerem hac uoce, ingenti uſus eſt ſpiritu,* Confidite o-*mnes, nam breuiter abſoluemini: reus fit præparatæ tyrannidis: quum enim hæc uerba dixiſſe concedat, qua intentione dixerit quærendum eſſe dicet, ad cõſolationem enim eorum dixiſſe confirmabit.* Infinitione *tranſpoſitio quæritur, quum à factis ſignum colligitur, honeſtum enim humanumq́; dicet inſepultum hominem ſepelire, hæc infinitio finalibus locis tractatur, de quibus in negociali dicemus.* Translatione *fieri dicitur tranſpoſitio, cum relictam rem quæ ſignum dicitur, ſi noſtram eſſe non negamus, ab alio ſumptam, ut impune res ſibi conficeretur, nos loco eius cruciaremur, dicere poſſumus, hoc modo,* Duo *quidam ſimul in tabernam diuertunt incœnati, unà diſcubuerunt:* Caupo *unum eorum quem grandem pecuniam ſecum afferre comperiſſet, gladio alterius interfecit, pecunias abſtulit, gladium in uaginam recondidit:* Ille *cuius gladio homo occiſus erat, ſummo manè gladium, & cætera quæ ſecum attulerat ſuſtulit, ſolus profectus eſt:* Non *multo pòſt caupo clamitat hominem occiſum, & cum quibuſdam diuerſoribus eum qui antè exierat, conſequitur, atq; comprehendit, gladium è uagina educit, reperit cruentum, peregrinus cædis accuſatur.* Nam *hic gladium quidem, quem quamuis ſecum attulerat, tamen quia modo rei relictæ ad inueniendum utimur, in relictis connumeramus, ſuum eſſe negare non poteſt, ſed dicet cædem eo ipſe non feciſſe, cauponem uel quempiam alium criminabitur, ſe eo*

non uſum inuerſione confirmabit. Nam *neq; ita ſecurus recta uia ſibi conſcius iter faceret, nec gladium ſecum attuliſſet. Ad huiuſmodi translationem non inconueniens erit, integram coniecturam duplicem pertractari, in qua utriuſque uita, occaſio & ſignum, partim quòd ſuus gladius cruentus in uagina repertus eſt, partim quòd recta ad ipſum uia non ad alium diuerſorem concurrerat, per collocationem conſideranda ſunt. Itaq; uita hominis cum uita hominis, occaſio cum occaſione, ſignum cum ſigno, & cætera quæ utraque incidunt conferentur. Id palam eſſe arbitror, omnia quæ per tranſpoſitionem dicuntur, ſi ab his quæ à nobis facta aut dicta ſunt iudicamur, cum aſſeueratione dici, ac inter ſe coniungi oportere, hoc modo: Sepeliebam, quoniam humanum eſt, ſepelire hominem, & quoniam nullus non conſcio timor incidit, & quoniam huic rei præmium à deo redditum iri creditur: hæc omnia & quæcunq; alia inueniri poſſunt, huiuſmodi ſunt, ut inter ſe ipſa copulentur. Sin ab ijs, quæ alij fecerunt cauſa in iudicium uenit, tranſpoſitio neque conſtans, neque ſibi conueniens, ſed ſibi ipſi contraria erit, & cum diſiunctione profertur, ut ſi quis proditionis cauſam dicat, quòd neq; ægros ſuos hoſtes populati ſint, & ſtatuam ſibi conſtituerint: dicet enim hoſtes aut admirari uirtutem ſuam, aut ad ſimilem uirtutem ſuos incitare uoluiſſe, aut ut eorum miſertus eſſet, aut ut odium in ſe ac ſuſpicionem ciuium ſuſcitarent. Hi enim colores omnes ſibi ipſis conſtare non poſſunt. Verùm hæc tum conſideranda ſunt, quum aut comprehenſio unica eſt, aut ſi utriuſq; eſt, recta eſt: obliquam enim comprehenſionem raró his modis traſponere poteris. Nam quum negationis ſignum ſit, difficile poteris ea occupare, quæ affirmationis ſigno, quam rectam comprehen*

*henſionem appellamus,cõueniunt.Aut ergo incidẽti ſtatu, aut horũ oppoſitis plerũque utemur,ijs ipſis rarius.*Tranſ*poſitionem ſoluet accuſator,aut quòd non conueniat uitæ ſuæ , aut pietate commotus conſolari miſeros uolui.* Atqui *te nunquàm pium cognouimus, aut quòd aliorum conſilio facere debuiſſet , hoc modo ,* Potens *quidam & factioſus, tyranni qui propinquæ ciuitatis potiebatur,filiam in uxorem duxit,quòd tyrannide affectet accuſatur:quum in utilitatem reip. unumquenque incumbere deceat , ego id feci ut affinitate mea tyrannum ciuitati ſemper placabilem redderem.* Atqui *ſi ideo feciſſes,ſenatui,aut populo id communicaſſes.*Ex *his iam patet, colorem & cauſam comprehenſionis in defenſionem tranſpoſitione afferri.* Inuerſio *eſt locus , per quem comprehenſionem inuertimus , quod fit quum hæc ſigna,quibus aduerſarius aliquid à nobis patratum confirmat,potius indicare dicimus nihil huiuſmodi à nobis commiſſum, hoc modo,* Crebrò *arcem reſpicis, ſuſpiras , lacrymas , huc & illuc caput iactas , arcem ergo ipſam,et tyrannidem aggredi paras.*Atqui *ſi hoc unquam facere cogitaſſem, neque crebrò ego reſpicerem, nec ſuſpirarem , nec lacrymarem , nec caput huc atque illuc iactarem , ne ſuſpectum me ciuibus facerem.* Item *ſepeliebas cadauer ſolus in ſylua , interfeciſti ergo.* Atqui *ſi interfeciſſem , non in ſepeliendo homine eſſem occupatus.* Is *locus defenſionis adeò aduerſarium urget, quando inuenitur, ut quum bene eum ſoluere non poſſit , aut ad prouidentiam diuinam confugiat, ut : oportebat te pœnas dare , ac ideo ſepeliebas,tantum enim facinus impune te facere diuina ira paſſa non eſt:aut ad ignorantiam,quòd ignoraſti quod tibi utile foret , uel non putaſti te perſpici poſſe , quod uel amentia,uel ebrietate,uel aliqua re ſimili cõfirmabit.*Hunc

Inuerſio.

locum fruſtra quærenus (neque enim inuenitur) quum ſignum neceſſariò rem de qua agitur, aut antecedit, aut conſequitur, aut in geſtione negotij ſit, uel & ſi nullam neceßitudinem afferat, tamen rei ualde propinquum eſt, hoc modo, Potentis ac factioſi cuiuſdam domo deiecta fulmine, armorum maxima eò cōgeſta copia inuenta eſt. Accuſatur ad euerſionem reip. arma præparauiſſe, hic enim non poterit inuertere. Nam omnes qui potiri rerum uolunt, arma præparant: quod cum accidit, accuſatur. Hoc ipſum ſignum quodammodo in diffinitionem rei trahet, quæ quoniam nos βίαιον ὅρον uocamus, Latinè uiolenta diffinitio appellatur: dicet enim tam maximæ armorum copiæ præparationem nil aliud eſſe, niſi tyrannidis præparationem. At defenſor quum id inuertere non poßit, hoc ipſo rem ſuam tutabitur, quòd res cum ſigno non conuertatur. Nam quum dicere non poßit; atqui ſi tyrannidem cuperem non arma præpararem, dicet, Et ſi qui tyrannidem exoptant, arma præparant, non tamen omnes qui arma præparant, tyrannidem appetunt. Hæc ſigna quæ rebus uehementer propinqua ſunt, abſolutionis quoque uim ſic diminuunt, ut aut omnino prætermittenda ſit, aut callidè inferenda, hoc modo, Nulla unquam lex, nulla unquam conſuetudo arma parare uetuit. Item quæ lex, quæ conſuetudo prohibet, undecunque tibi placeret uxorem ducere? Nam quemadmodum uehementes locos multo uehementiores oſtendit quædam orationis tractatio dicendiq; modus, ita eos qui ferme deficiunt, penè ut uehementes appareant, facere ſolet orationis commoditas, quod melius intelligetur in elocutione, ſi de grauitate uera, ac apparente differemus. Qualitas communis eſt, qua utimur ad extremum confirmata ſuſpicione, hæc ſit per locos communes.

βίαιος ὅρος.

munes. Communis eſt locus, qui ab his, quæ aut antecedunt, aut conſequũtur rẽ, aut quæ in geſtione negocij ſunt, uel auget peccati atrocitatem, uel conqueſtione miſericordiam captat: qui communis ideo appellatus eſt, quia quamuis contra hunc, aut illum dici uideatur, tamen ad uniuerſos eiuſdem criminis reos efferatur neceſſe eſt, quod latius in peroratione orationis aperiemus. Communes loci Cõmunes loci. *accuſatoris non coniecturali ſolum, ſed omni conſtitutioni conuenientes ſunt, quum auget peccati atrocitatem, & quum negat malorum miſereri oportere: defenſoris ſimiliter, quum miſericordiam captat, & illata crimina extenuat. Nunc ne quid quod ad coniecturalem pertineat prætermiſſum nobis eſſe uideatur, breuiter quæ ſimplices, quæ duplices, quæ perfectæ, ac imperfectæ coniecturæ ſint aperiamus, ut & ad dicendum uia nobis ampliſsima ſit, & ad intelligendos certa ratione oratores quàm præclara præcepta. Nam qui hæc ignorant, eos uideo, quum orationes Ciceronis exponant, ea dicere, quæ neſcire multo melius eſſet. Omnis coniecturalis cauſa ſi conſiſtit, aut perfecta eſt, aut imperfecta: præterea tam perfectam* Coni perfect ... *quàm imperfectam bipartitò diuidimus, in ſimplicem ſcilicet ac duplicem. Perfecta ſimplex eſt, quum in iudicio certa perſona, certa de re trahitur, hoc modo, In eo cubiculo Cæſar interfectus inuenitur ex quo Brutus cum gladio cruento exiſſe uiſus eſt, accuſatur cædis, negat occidiſſe. Imperfecta ſimplex eſt, quum certa perſona in iudicium non affertur, eſt ea huiuſmodi, Ignotus quidam hominem ſepelire in ſolitudine inuentus eſt, negat ſe interfeciſſe. In hac cauſa cum quiſnam is ſit omnino ignoretur, loci ferè omnes, qui à qualitate perſonarum fluere ſolent, ut fortuna, educatio, ſtudia & cætera huiuſmodi, quæ*

ad uoluntatem & poteſtatem comprobandam multum intereſſe diximus, quærendi non ſunt. Imperfecta ſimplex, quæ certam habet perſonam, rem uerò nullam, quoniam non conſiſtit abijciatur. Nam Minutianus qui dicit huiuſmodi cauſam conſtari, ſi quis prodigum, quòd nullibi pater eius inueniretur, parricidij accuſaret, uehementer errat, nec uidet rem hic afferri, quòd pater nullibi appareat. Sed deceptos putamus nonnullos, quòd non magnam uim hac in cauſa hi loci habent, qui à re confluunt, ut eſt ſignum ac tranſpoſitio. Nam omni in cauſa, quæ non ab eo quod nos, ſed ab eo quod alij fecerunt in iudicium uenit, minorem uim huiuſmodi loci præbere ſolent. Duplex perfecta coniecturalis eſt, quum tam perſonæ, quàm res geminatæ in iudicium afferuntur, hoc modo, Aeſchines & Demoſthenes à legatione Philippi reuerſi, alter alterum proditionis accuſant, quòd Demoſthenes magnum inde auri pondus reportaſſe inuentus eſt, & Aeſchines orationem ſcripſiſſe, qua ſe à crimine proditionis defenderet, hic & perſonæ duæ feciſſe inter ſe criminantur, & ſigna duo inſunt, quibus alter alterum arguit. Hac in cauſa nullo modo is locus, quem petitionem teſtium uocamus, incidere poteſt. Nam nihil per eum locum ab uno dici poterit, quod non æque ab altero inferatur: Cæteri omnes incidunt dupliciter. Nam quum uterque & alterum accuſet, & ſeipſum defendat, & confirmatio & confutatio dupliciter incidunt. Confirmabit enim uterque non ſe, ſed aduerſarium feciſſe, & rationes aduerſarij dupliciter confutabit, eas primò quibus aduerſarius eum feciſſe arguebat, deinde coniunctim eas etiam quibus non ſe feciſſe confirmabat. Quare quum ita duplex confirmatio & confutatio incidat, cauẽdum eſt ne prius totam unam cauſam confirmes,

firmes,te ſcilicet non feciſſe,deinde alteram,ſed illum alterum ſcilicet:Verum ſic totam confirmationem toti confirmationi, & confutationem ſimiliter confutationi, diligenter per collationem inferas, ut cùm ab uno loco confirmare tuas rationes incœperis,non diſcedas ab eo,niſi per eum accuſationem quoq; comprobaueris,qua aduerſarium criminaris, quod inferius etiam exemplo patebit. Hic tamen ſciendum eſt unius cauſæ confirmationem alterius eſſe confutationem: nam quum dicis,non ego feci, neque enim habebam cauſam, ſed tu qui & auarus ſemper fuiſti, & magnam inde pecuniam aſſequebaris, ſimul te defendendo illum accuſas. Incidere tamen etiam tunc confutatio poteſt ſeorſum ac dupliciter, quum rationes quædam tam pro ſe, quàm contra nos ab aduerſario antè ſic dictæ ſunt, ut earum confutatio in duplici confirmatione non appareat. Imperfecta duplex dupliciter fit, aut enim ex parte perſonarum, aut ex parte rerum deeſſe ſibi cauſa uidetur. Imperfecta duplex ex parte perſonarum eſt, cui quum certæ ac notæ perſonæ non ſubſint, res, hoc eſt,ſigna, geminata ſunt,ut ſi quis diceret duos quoſdam ſe inuicē proditionis accuſare, quoniam quum ab hoſtibus redirent, unus magnum argenti pondus, alter orationem, qua ſe à proditionis crimine defenderet, ſecum habere ab alterutro conſpectus ſit,hac in cauſa omnes loci qui à perſonis fluunt,omnino deficiunt:Cæteri præter petitionem teſtium eodem modo, ut in ſuperiori cauſa,tractandi ſunt. Imperfecta duplex ex parte rerum eſt, cui perſonæ inſunt geminatæ, res nulla, non quòd nihil conſtet eſſe factum (cauſa enim non conſiſteret) ſed quoniam nullū ſignum primum affertur, quod aut hunc aut illum reum demonſtret, hoc*

*cōfutatio

modo, Quidam ſeruam ac nouercam habebat, is ſignis ueneni mortuus eſt, mulieres ſe inuicem accuſant, in hac cauſa omnes locos, qui à re, hoc eſt, à ſigno profluunt, deficere neceſſe eſt: hi ſolum inſunt, qui à perſonis trahuntur. Quare qualitatem perſonarum, hoc eſt uoluntatem & poteſtatem, nil aliud quærere oportebit, quæ cauſam habebat, cui locus, cui occaſio commoda, cuius uita ſuſpecta, cui facultas opportuna. Huiuſmodi eſt ferè illa coniecturalis quam in oratione illa pro Milone tractauit Cicero, uter utri inſidias fecerit: nam qualitate perſonarum per contentionem multa conficit. Ac primò à cauſa dicit Clodium ut prætor eſſet neque à Milone conſule impediretur quo minus quæ uellet faceret, cædẽ facere uoluiſſe, Miloni aſſerit non modò nihil profuiſſe, ſed obfuiſſe interitum Clodij. Deinde antequam cauſæ uitam adiungat, duplici utitur confutatione, quam inde incœpit, At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriæ, punitor doloris ſui. Quid ſi hæc non dico maiora, fuerunt in Clodio quàm in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc? Quid uultis amplius? Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ? Ille erat ut odiſſet primo defenſorem ſalutis meæ, et cætera. Vitam etiam dupliciter hoc modo deridendo proponit, Nihil unquam per uim Clodius, omnia per uim Milo. Qua in re diligenter etiam illud aduerti: aut unam partem per totum unum locum confirmare oratores, deinde per contentionem (ut diximus) alteram aggredi ſolere, ut in prædicta oratione Cicero factitauit: aut ſi cauſa patitur & rationes multæ uno ex loco ita fluunt, ut particulatim per collationem dici poßint, ſingula ſingulis opponere, hoc modo, Quum cauſa homines impellat, nulla hic, multis ille ad maleficium commotus eſt: odio ille maximo

maximo in hunc exardebat, nullo iſte in illum: huius uiri uirtus peſsimam inuidiam inuidi hominis incitabat, in eo nihil erat, cui plus hic uir inuidere poſſet: morte huius magnum ille aſſequebatur commodum, eo mortuo ſegetem ac materiem ſuæ gloriæ hic amittebat, quæ non ſic exiguè ut nos exempli gratia dicimus, ſed rationibus etiam ſubiectis, prout cauſa poſtulat exponemus: uel ſi longis rationibus cogimur totum locum ex una parte, deinde ex altera occupabimus: poſtea, maxime ſi longior oratio facta eſt in unoquoq; loco concludendo, ac per ſingula contentione per repetitionem utemur. Illud etiam nõ prætermittam, medias inter perfectas, atq; imperfectas inueniri duplices, qualis illa pro Milone mihi uidetur: altera enim pars, & quod dixerit, & quod fecerit Clodius, indicium putat ab eo factas inſidias: altera ferè nihil niſi rem ipſam. Præter hos coniecturæ modos tres alios ponimus, quos coniunctos appellamus, incidentem, præprobatam, comprobatam. Incidens eſt, quum in tranſpoſitione principalis cauſæ alia quædam coniecturalis incidat, quam neceſſe ſit ſuis locis diuidere, deinde ad principalis cauſæ inuerſionem reuerti, hoc pactò, Lex, Proditionis ſuſpectus quouſque de conſcijs indicium faciat, in domo Imperatoris cuſtodiatur: & Lex, Si cum uxore adulterum inueneris, utrũq; liceat occidere. Proditionis quidam accuſatus, quum in domo Imperatoris cuſtodiretur, ab eo tanquàm adulter interfectus eſt, & eiuſdem proditionis conſcius fuiſſe accuſatur. Cauſa coniecturalis eſt, cuius ſignum, quòd eum interfeciſſet, ne de conſcijs indicium faceret: tranſpoſitio cauſæ, Adulterum interfeci: ad quod accuſator, At neq; ille tanti criminis reus adulteria quæreret, neque mulier infami uiro cruciatu citò perituro ſe ipſam traderet. Incidens coniecturalis coniuncta,

Duplex coniecturalis.

Coniuncti coniecturalis mo[di]

utrum adulterium commiſiſſe tanti criminis reum, & ei ſe mulierem tradidiſſe ueriſimile ſit. Quæ cùm omnibus locis qui incidunt uſque ad tranſpoſitionem, abſoluta fuerit, ſimul qui conſequuntur loci, quiq́; incidunt ex utraque parte tractabuntur. Qua in re fieri plerunque ſolet, ut quum una cauſa ad diſſoluendam alteram incidat, idem quoque locus, prout utrique cauſarum applicatur, ſibi ipſi opponatur, atque ſeipſum diſſoluat. Nam qui ita inuertit, Atqui ſi adulter fuiſſet, non occidiſſes, quem maiores cruciatus expectare ſciebas, ne te in ſimilem ſuſpicionem conijceres: ei reſponderi poterit, Immo ſi conſcius eſſem, ne me ſuſpectum facerem, etiam adulterum non occidiſſem, ſed alia ratione, ne quæſtionibus fides adhiberetur prouidiſſem. Qua in cauſa etiam illud ſciendum, quòd accuſator in incidenti defenſoris perſonam induitur, & petitionem habebit teſtium, quis uiderit, ubi uiderit, quando uiderit, & ſimilia. Præprobata coniecturalis coniuncta dicitur, quum ante quam ad principalem cauſam ueniamus, alia quædam coniecturalis expedienda ſit, hoc modo, Imperator pauperis inimici tres filios, tanquàm proditionis reos cruciabat, eorum duo in quæſtionibus perierunt, tertium qui confeſſus fuerat in carcere tenebat, donec ex conſuetudine, patris arbitrio proditor filius interficeretur: At is quum nihil contra filium fateretur, aut diceret, ab eodem Imperatore, ut eiuſdem criminis conſcius accuſatur. Hic principalis eſt cauſa, an conſcius pater proditionis ſit, cuius comprehenſio quòd filium proditionem confeſſum ex conſuetudine non condemnaſſet: reus negat eum proditorem fuiſſe, quoniam neque fratres ſui fratrum ſuorum morte permotum fuiſſe ait, ut quum mori neceſſe dolore ſibi uidiſſet, ſine maximo*

cruciatu

cruciatu per confeßionem mortem elegerit. Hæc ergo *coniecturalis antequam ad principalis ſtatus confirma=tionem ueniamus, ab utraque parte tractabitur, deinde ad principalem tranſitus fiet, quam accuſator per aſſeuera-tionem faciet, defenſor per obſiſtentiam: dato etiam quòd illi proditores fuerint, hic tamen omni proditionis crimine caret.* Aſſeueratio *eſt quum non ut per obſiſtentiam faci mus, concedendo, ſed ſuperiora confirmando pertranſimus ad conſequentia, ut hic, accuſator & eos proditores ſem=per dicet, & patrem conſcium: nam ſi ſuperius conceſſerit quòd illi ſcilicet non prodidiſſent, quid aget poſtea non habebit.* Comprobata *fit, quum ſigna, quibus ſuſpicio con-flatur, non ut in cæteris per ſe conſtant, ſed unum ab al=tero comprobatur, hoc modo,* Conſuetudo *erat, ſeruos li=gatos die Saturnalium dimitti: quidam ſuſpicatus ſerui cum uxore adulterium, ſeruum ligauit, ipſe rus iuit.* In-*terim die feſto ab uxore ſeruus dimittitur, poſtero die do-minus ruri interfectus inuenitur, ſeruus profugit, & uiri cædis conſcia eſſe mulier dicitur, hic enim alterum alte=rius ſignum eſt.* Nam *quòd à ſeruo dominus interfectus ſit, à ſuſpicione adulterij, propter quam eum ligauit, com=probatur: quòd adulterium commiſiſſet arguitur, quo=niam dominum ſeruus interfecerit: mulierem con-ſciam fuiſſe confirmatur, quòd ſeruum dimiſerit.* Item *adulteram mulierem credimus, quòd ſeruum dimiſerit: dimiſiſſe ſuſpicamur, quòd adulterium cum ea commit=teret, & propter adulterium conſciam cædis arguimus.* His *in cauſis omnia perſpicienda ſunt, & ita diſponenda, ut ex uno alterum conſequi uideatur, quam rem latius in diſ=poſitione dicemus.* Inuenitur *etiam nonnunquàm alia con=iecturalis, quam quum* ἀπὸ γνώμης *nos uocemus,* Latini *forſitan*

συγκατασκευαζόμενος.

forſitan commodè, ex ſententia uel ex animo appellabunt: ea ſit, quum & factum pateat & qui fecit non ignoretur, uerùm quo animo fecerit ſolum perquiritur: ea eſt huiuſmodi. Lex, Mente captum, *ſi hominem occiderit, homicidam non eſſe.* Mulier *quædam quum mente capta uideretur, filium percußit, priuignum interfecit, & ſanata in iudicium accerſitur.* Hæc *conceßio non eſt, ut quidam putant, nam in conceßione ſemper id conuenit, ac conſtat quo reus ſe permotum fuiſſe dicit, hic nihil aliud in iudicio quæritur niſi mente'ne capta fuerit, an ſimulatione inſaniæ filium leuiter percuſſerit, priuignum interfecerit.* Hos *coniecturalis modos in diuiſione conſtitutionum non poſuimus, quoniam non ſpecies coniecturalis, ſed modos eſſe putamus.* Nihil *enim additur per huiuſmodi coniecturales generi, quod ſpeciem faciat.* Quare *non alijs, ſed eiſdem locis quibus omnis coniecturalis tractatur, & confirmantur & improbantur, diſpoſitione quadam à tractatione, quod facile omnibus patere arbitror, inter ſe differentes, quæ res facit ut & ad priſcorum oratorum orationes intelligendas, & ad omnem uim artemq́; dicendi non parum utiles eſſe uideantur.* Præterea *non ſum neſcius nonnullos alias quoque coniecturalis diuerſitates tradere uoluiſſe:* Verum *ſi quis ea quæ nos,* Hermogenem *ſecuti poſuimus, bene tenuerit, eum putamus omnia quæ ad coniecturalem pertinent, facile intellecturum.* Nam *cætera quidem quæ ponunt, nullo pacto à ſuperioribus differre mihi uidentur.* Ea *enim duplex, cuius exemplum mox ponam, quam putant diuerſam eſſe, quòd petitio teſtium in eam incidat, cum in alijs duplicibus, quoniam æque ab aduerſario peti teſtes poßint, non incidat, nullam facit difficultatem.* Non *enim quòd aliquis locorum*

inci

incidat nec'ne, diuerſitatem quandam conſtitutiones accipere putamus: Sed diſpoſitione quadam locorum, & tractatione differre arbitramur. Quare ſi quis hæc præcepta in diſpoſitionem tranſtuliſſet, non fortaßis extra rem facere uiſus eſſet. Nunc coniunctim ea his interſerere non alienum uidebatur. Verùm eorum quod ponere pollicitus ſum, exemplum, hoc eſt, Medicus unà cum alijs duobus uiuebat, alter eorum ſignis ueneni mortuus fuit: Alter cum medico recriminationem habet, quam nos ἀντικατηγορίαν appellamus: hic quis non uiderit, quòd ille alter petitione teſtium utetur, hoc pacto, Oſtendas quis mihi uenenum dederit, unde emerim, quomodo confecerim, quæ omnia medicus dicere non poterit? Quare hoc iam ſatis hic cautum ſit, locos qui æque ab aduerſario atq; à nobis tractari poſſunt, prætereundos eſſe, eos quærendos qui non eodem modo ab utroque, ſed diuerſo proferri poßint: hæc igitur à ſuperioribus non differt. Imperfecta enim duplex ex parte rerum eſt. Fruſtra enim alium modum coniecturalis dicemus, quum penitus eodem modo tractare ipſam conueniat. Quòd ſi quoniam aliquis locus, uel incidit, uel non, alium modum coniecturalis putauerimus, in infinitum nobis hæc modorum inutilis procedet diuiſio. Præterea cum omni in conſtitutione, tam eundem quam diuerſum ſtatum poſſe incidere arbitremur, ac quomodo idem incidat dictum eſt, diuerſum quoque intercurrere exemplo demonſtremus, Formoſus adoleſcens, ac pauper, aut eo anno ſe diuitem fore, aut pudicitiam ſuam uenditurum prædicabat: Interim quidam mortuus, teſtamento eum hæredem reliquit, reus eſt proditæ pudicitiæ: hic tranſpoſitionem cauſæ reus per diffinitiuam conſtitutionem abſoluet, quum dicat prædicationem illam

prodi

proditionem pudicitiæ non fuiſſe, quam accuſator quum in his fuerit, quæ ab initio ſunt occupabit, & quum uterque quæcunque à diffinitione de qua nunc dicemus, ad utilitatem ſuæ cauſæ commodè trahi poſſint, pertractauerit, principalis ſtatus locos, ſiqui ſunt, perſequetur.

DE DIFFINITIVA CONSTITVTIONE.

Diffinitionis loci.

DIffinitionis ratio in hos locos diſtributa eſt, expoſitionem, diffinitionem, oppoſitam diffinitionem, ratiocinationem, Intentionem legiſlatoris, Ampliationem, comparationem, Aſſumptionem, quæ ſi incidet, & repulſio, & abſolutio conſequentur qualitatem, & intentionem. Expoſitio in hac conſtitutione ferè idem eſt quod in coniecturali, ea quæ ab initio ſunt. Nam ſtatim ſecundum narrationem exponimus cum quadam amplificatione, quæ à circunſtantijs circunſtantiaſq; conſequentibus inuenitur, hoc modo, Quidam à templo uaſa argentea cuiuſdam priuati ſuſtulit, reus eſt ſacrilegij. Expoſitio, conſultò templum petijſti, ingreſſus quàm maxime occulte es, uaſa inde argentea abſtuliſti, deinde negare audes ſacrilegium commiſiſſe? hæc expoſitio ab his quæ ab initio in coniecturali dicuntur differt, quòd hæc ea exponit, quæ condemnationem non fugiunt, ſed comprehenſio quantum in ſe eſt, nullam ſuſcipit condemnationem. Ad hæc expoſitio diffinitionis fundamentum eſt, ad expoſitionem accuſatoris defenſor diffinitionem affert. Diffinitio eſt qua totam uim & poteſtatem uocabuli breuiter ad noſtræ cauſæ commodum comprehendimus. Ea ſemper ab his ſolet inueniri quæ derelicta ſunt, ut ingreſſus templum ſum, nullam tamen ſtatuam ſacram uiolaui, nulla uaſa ſacra tetigi, nullam rem templi ſuſtuli. A quibus poſtea infert diffinitio

Expoſitio προβολὴ Hermogeni appellatur.

...tio

ſinitionem, hoc modo: ſacrilegium enim eſt rem ſacram tangere, uiolare, ſurripere. Oppoſitam diffinitionem appellamus, quæ contra diffinitionem defenſoris ab accuſatore affertur. Eam ab iis, quæ in expoſitione dixerat, breuiter colliget, qua ex re manifeſtum eſt defenſoris diffinitionem ab iis quæ ab reo derelicta ſunt, accuſatoris ab iis quæ facta ſunt, non à genere, & differentiis, ut nonnulli huius artis totam uim ignorantes crediderunt, ſemper ferè inueniri. Nam etſi oratorem huiuſcemodi eſſe uolumus, ut etiam eas diffinitiones, quæ genere ac differentiis conſtant, inuenire facile poſsit, tamen quoniam uehementiores, atque faciliores intellectu à quouis auditore uidentur hæ quæ aut ab iis quæ derelicta, aut ab his quæ facta ſunt, tanquàm à partibus conſtituuntur, his oratorem potius, non illis uti debere cenſuerimus: Conſultò templum, ut aliquid inde auferret, introiuit, ne uideretur cauit, quæcunque citius ſurripere potuit, hæc abſtulit: hæc ab reo facta uidentur, hæc accuſator ſacrilegium eſſe dicet. At reus his, quæ ab eo facta non ſunt, ut iam expoſitum eſt, diffiniet, & derelicta ſicut ille expoſitionem, ut res poſtulat, ad diffinitionem accommodabit. Ad oppoſitam autem diffinitionem & ratiocinationem accuſator adducet, quæ per obſiſtentiam utraſque diffinitiones ita colligit, ut nihil differre hanc ab illa confirmet, ut ſi poſſet dicere nihil afferre, Vt enim tunc imaginibus deorum immortalium uiolatis, ſceleſtus eſſes, ſic nunc tanquam qui religionem contempſiſti, profanus es, ac à templis deorum expelleris: Vel non differre: ſic enim deos contemni, quauis re à templo ſurrepta, ſicut cum imagines indignè tanguntur. Quòd ſi quid tale à conſequentibus non inuenitur, quod fieri poſſe arbitror, conſultò dicet templum pe-

Oppoſita diffinitio.

Ra- per

tiſſe, clàm ingreſſum eſſe, argentea uaſa inde ſubſtuliſſe, nihil differre, quàm ſi imagines aggreſſus eſſet, & hoc aut illud feciſſet. Qua in re curandum eſt, ut quum non nimis à re geſta, ea quæ derelicta ſunt diſtare uidentur, tamen idem hoc illi eſſe contendamus, ut ſi idem eſſe contenderes, crebrò in aliquem manum attuliſſe, & uerberaſſe, eadem enim contumelia eſt. Quòd ſi nimis diſtarent, aut nihil aut parum differre dicemus hoc modo aut illo iniuriari, uerbis etiam amplioribus hoc, illud anguſtioribus amplectemur. Hæc ratiocinatio, quæ loci uim obtinet, à conſtitutione differt, quoniam hic ea quibus ratiocinatio conficitur, imperfecta ſunt, ibi perfectum quid ex perfecto conſequitur. Item notandum arbitror, ubicunque diffinitio inuenitur, eò ratiocinationem neceſſariò conſequi. Nam ſicut ubique abſolutioni oppoſita depulſio eſt, ſic diffinitioni ratiocinatio. Quare neceſſe eſt ſi horum uno accuſator utetur, alterum defenſori relinquatur: quum uerò & oppoſita diffinitio diffinitioni contraria ſit, in eo maximè ratiocinatio ab ea differt, quòd illa per inficiationem, hæc per obſiſtentiam nititur, à qua in hoc differt, quòd obſiſtentia non colligit. Illud etiam ne aliquem lateat uolo, quòd utile eſt, & fortaßis neceſſarium, diffinitionem aduerſarij refutari, quòd aut falſa, aut turpis, aut inutilis ſit. Primum ex opinione doctorum hominum, aut conſuetudine loquendi, aut ſcribendi probabit: Cætera honeſtatis utilitatisq; partibus aperientur, de quibus pòſt dicemus. Verùm ne quis, quoniam raro fit, fieri quoque non poſſe arbitretur, ſcire oportet has diffinitiones, defenſoris ſcilicet & accuſatoris, quam oppoſitam nuncupauimus, & ſi à factis derelictisq; tanquam à partibus conſtituãtur, etymologica tamẽ uocabuli interpretatione non-

nunquam abſolui poſſe. Ea autem quæ à genere & diffe-
rentijs conſtat, fortaßis erit utendum, ſi aut auditores do-
ctiores eſſent, aut maxime ſi more ciuitatis, quum huiuſ-
modi res* accedit, quæ doctorum hominum ſententia poſ- *accidit
ſit diffiniri, ſoleant hæc ad doctiores reijci, ac eorum opi-
nione diſſolui: Verùm quoniam de ſolutione quoque ra- Ratiocinationis
tiocinationis dicendum eſt, ne cui confuſio accidat, etiam ſolutio.
ſuperiora clarius repetantur. Hæc igitur omnia, diffini-
tio, oppoſita diffinitio, ratiocinatio, ratiocinationis ſo-
lutio, quamuis quatuor quædam eſſe uideantur, ui tamen
& poteſtate duo ſunt, ijſdem enim ferè rationibus diffi-
nitionem & ratiocinationis * ſolutionem defenſor confi- *diſſolutio-
ciet. Nos autem diuiſimus, ut quod unicum re ipſa eſſe ui- nem
deretur, propter uſum atque utilitatem dicendi duo fice-
remus, quamuis quæ tempore concurrunt, tractatione dif-
ferant: quæ tractatione conueniunt, temporibus diſtent,
quod & ſi ratione exercitatis pateat, breui tamen, ſi exem-
plum poſuero, omnibus palàm erit. Vt diffinitio ergo utra-
que ea continebit quæ rem antecedere ſolent, cum ipſa
geſtione negocij, ſic ratiocinatio ac ratiocinationis ſolu-
tio ab his quæ rem aut natura aut conſuetudine conſequun-
tur conficientur, hoc modo, Inſanus interfecit tyrannum:
& ſanatus præmium petit, contradicitur: diffinitio defen-
ſoris à derelictis, quòd tyrannicida ſit, qui conſilio, quum
ſciat quantam rem acturus ſit pro reipublicæ libertate, ty-
rannum occidit: Tu conſilio uti non potuiſti, tu quid quan-
tamq; rem aggrediebaris, ſentire non poteras, tu reip. li-
bertatem tibi non proponebas, hæc enim omnia ratione
fiunt, quam inſanis nullam eſſe neceſſe eſt. Oppoſita diffini-
tio, quæ accuſatoris eſt, cuius locũ qui petit obtinet: tyranni
cida eſt, qui aſcendere arcẽ, & tyrannũ occidere auſus eſt:

Ego arcem aſcendi, tyrannum occidi, neque differt, ſi nullo conſilio uſus ſum. Quæcunque enim, ſi ex conſilio tyrannũ occidiſſem, conſequerentur, bona omnia conſecuta ſunt. Tyrannus interfectus eſt, Reſpublica liberata. In arce nullus quem timeamus: hæc à conſequentibus ratiocinatio eſt. Ratiocinationis ſolutio ab ijs quæ conſequi oportuiſſet, multum differt, multa enim conſecuta eſſent, ſi prudens interfeciſſes, quæ nunc nulla fuerunt. Qui enim conſilio tyrannum interficit, laudibus ilico extollitur, triumphis decoratur, tu poſt cædem medicis, & magis ſubiectus ligatus iacebas. Quæ à factis fluit ratiocinatio uehementior eſt, ei derelicta, uel conſequentia, uel eius rei auferendæ, quam abſtulimus, intentionem opponemus: ſi lex incidit, intentio legislatoris ab utroque ad commodum ſuum explicabitur: ut, tyrannicida præmium petat. Orator perſuaſit tyranno liberam ciuitatem dimittere, petit præmium, quæritur ſi tyrannicida ſit: hic orator tyrannidem ſe expuliſſe dicet, libertatem peperiſſe, leges ciuitati reſtituiſſe, quod tyrannicidium eſſe legislatorem uoluiſſe nullus dubitat. Ad hunc enim finem tyrannus occiditur: & idem dicet ex perſuaſione ciuitatem aſſequutam, quod ex tyrannicidio conſequeretur: defenſor noluiſſe legislatorem tyrannum impunitum diſcedere: uidiſſe, quod cuique intellectu facillimum eſt, tyrannum multis modis expelli poſſe, tyrannicidæ ſolum præmium conſtituiſſe, quòd & ultus tyrannum eſſet, & omnem in poſterum ab eo uiro tyrannidis inferendæ ſuſpicionem remouiſſet. Vnde infert perſuaſionem ab interfectione multum diſtare. Neque aliqua re differt hæc diffinitio, quæ id diffinire uidetur, quod in ſcripto poſitum eſt, ab illa quæ ſine ſcripto uenit in iudicium, niſi quòd ad ſuam diffinitionem

uterque intentionem ſcriptorum accommodat, & ab aduerſarij diffinitione ipſam in quantum poteſt, diſtare oſtendit: quod ut clarius pateat, breuiter repetendum uidetur. Expoſitio petitoris, Tyrannidem depoſui, præmium uolo. Diffinitio defenſoris, Nullum capies præmium, tyrannicidium non eſt, & diffiniet ab ijs quæ derelicta ſunt. Deinde intentionem ſcriptoris diffinitioni ſuæ & ſolutioni ratiocinationis accommodabit. Hoc illum uoluiſſe dicet ut tyrannus pœnas penderet, ut nulla ſuſpicio inferendæ tyrannidis remaneret, & ſi quid huiuſmodi: petitor oppoſitam diffinitionem adducet. Non enim hoc eſſe tyrannicidium dicet, quod ille diffiniuit, ſed tyrannidem quouis modo deponore, ciuitatem oppreſſam liberare, neque differre perſuaſionem ab occiſione, quum ex utriſque leges ciuitati reſtitutæ ſint, quod ſcriptorem uoluiſſe oſtendet. Quare patet ratiocinationi, & eius ſolutioni intentionem legis applicandam: quòd ſi non quæreretur utrum quod factum ſit, idem eſſe uideatur, atque illud quod in lege ſcriptum eſt: Verùm lex allata omnino dubia eſſe uideretur, legitima locis qui incidunt hic pertractanda eſt. Stultum autem eſſe cenſemus, aut quia nonnunquam legitima cauſa diffinitioni complicatur (quod & cæteris omnibus conſtitutionibus accidere ſolet) aut quia nunc hunc locum à lege ortum habere uideatur, legitimam eſſe diffinitionem putare. Non enim hoc conſyderandum eſt, ſi à lege adiuuatur, nam hoc & alijs accidere poteſt, ſed ſi tota controuerſia eius à lege proficiſcatur perſpiciendum eſt, quæ res ut clarior ſit, exemplum propoſitum in coniecturalem trahamus, hoc modo, Expuli tyrannidem, præmium mihi dandum eſt, non expuliſti: coniecturalis eſt, cuius ſignum, liberam eſſe ciuitatem. Legitima

Intentio legiſlatoris.

Leg[illegible] diff[illegible] ſtar[illegible]

gitima huc etiam incidit. Attamen propter hoc coniecturalem legitimam nemo unquam dixit, acceſſorium autem legitimum aut incidentem poſſe in coniecturali ſtatu inueniri nullus dubitabit. Quòd ſi locus legitimus eos terret, illud me magis terret, Cæteros omnes diffinitionis locos non à lege, ſed inde potius oriri, unde & tota quæſtio proficiſcitur. Nam is quem diffinitionem appellamus, ſic totam cauſam continet, quemadmodum coniecturalem ea quæ ab initio appellamus. Vnde & ab eo cauſa diffinitiua appellatur, & eo deficiente, diffinitiua cauſa nunquàm conſiſtet. At diffinitio, hoc eſt locus ipſe qui cauſam continet, nunquàm à lege, ſemper autem ab his quæ geſta ſunt, aut derelictis, ut iam planum fecimus, inueniri ſolet. Quare cum is locus qui cauſam continet, & ſine quo nunquàm diffinitio erit, à rebus aut derelictis, aut actis naſcatur, relinquitur, ut qui diffinitiuam in legitimis ponit, & legitimæ conſtitutionis ſpecies, & hanc diffinitiuam parum intelligere uideatur. Præterea omnis ſtatus, ut etiam ſuperius dictum eſt, non ab eo quod probat, ſed ab eo quod probatur, & oritur & denominatur. Quare hic ſi principaliter de intentione legiſlatoris quæreretur, ſcriptum & ſententia fortaßis eſſet, nunc autem non id quæritur, ſed ſit'ne tyrannicidium res ab oratore confecta, an non. Verùm de his hactenus. Nunc ad præcipiendum redeamus. Si ergo lex incidat dubitanda, incidens ſtatus legitimus occupandus eſt. Quòd ſi ſola intentio exquirenda ſit, locus tunc ab intentione ſolum quæritur, qui tum incidit cum quæritur utrum id quod in lege ſcriptum ſit, tale quid ſit, quale factum dicatur nec'ne. Verbi gratia, quum in lege tyrannicida ſcriptum ſit, oporteat'ne hunc qui perſuaſione tyrannum depoſuit, tyrannicidam arbitrari, aut non: ex quo

ex quo etiam facile perſpicitur non ex ui legis, hunc locum quem intentionem appellamus, proficiſci, ſed quod factum eſt, legi accommodari debere, quam accommodationem nonnunquàm per incidentem fieri legitimam, non incongruum eſſe, iam diximus. Quare nil iam diffinitiuam legitimæ conſtitutionis habere, manifeſtum eſt. Illud etiam hic dicendum uidetur, quòd quandocunque lex quæ affertur, nos magis quàm aduerſarios iuuat, plurimum in lege commorabimur, eamq́; ſingulatim cum commoratione, ſi opus fuerit, exponemus. Verum ſi ex aduerſariorum cauſa lex eſſet, eam quum recitauerimus, non per ſingulas particulas, nec cum commemoratione, ſed totius legis ſimul ſententiam comprehendemus, & breui ad firmiora recedemus, quod præceptum hic dictum, etiam cùm legitimas tractamus, memoria optimè tenendum eſt. Quòd ſi nulla lex incidit, aut hunc locum omnino prætermittemus, aut ex uniuerſalioribus aliquid trahemus, hoc modo, Quæ lex unquàm hoc uoluit? quis legislator hoc ſenſit? non'ne hæc una omnium legum intentio eſt, ut mali puniantur? boni præmijs honorentur? Item ex alia parte tam peccatorum quàm eorum quæ fortiter geſta ſunt diuerſitates legislatores uiderunt, quod & punitionum & præmiorum oſtendit uarietas, & ex effectu potius quàm pro intentione hominis, cum pœna aut præmio afficiunt: ſed plura fortaßis quàm opus ſit, de hoc loco dicta ſunt, non enim quæ dici poſſunt inuenire, ſed ipſos locos oſtendere propoſuimus, nunc ad reliqua tranſeamus.*

*commemoratione.

*Ampliatione rem magnam eſſe oſtendes, ſi accuſas: paruam, ſi defendis, & non ſolum à circunſtantijs, ſed à quantitate etiam & qualitate rei confirmabitur, ut ſi dicas, multa ciuitatem hinc incommoda aut commoda recepiſſe.

*[illegible] tio[illegible]

Comparatio πρός τι ab Hermog.

Comparatio ad ampliationem ita ſequitur, ut multò maius aut minus oſtendere coneris, quod factum eſt, quàm quod aduerſarij dicunt, hoc pacto, Maius etiam atque diuinius, ſine cæde, ſine ſanguine, ſine armis, quàm prælio aut manu Rempub. liberare. Quum autem quatuor modis comparatio fieri poßit, ad æquale, aut ad maius accuſator: ad minus aut ad contrarium defenſor conferet, hoc modo, Non eſt minus perſuaſione tyrannum deponere, quàm gladio: imò eſt maius, ſine ſanguine, ſine cæde, ſine tumultu libertatem parere, quàm cum periculis omnia redundent, ciuitati exagitatæ uix iam deſperatam quietē reddere. Item multo minus hoc eſt quàm interficere, neceſſe eſt enim hunc unum timere, quo interfecto ſecurus uiueres. Aut etiam in contrarium, ſi diceret, præparare potius hoc ac conſtituere tyrannidem eſſe, quod coniectura approbabit, ſi poſſet oſtendere, deſtituto armis, aut pecunias non habenti facilius perſuaſum: Interim timendum eſſe, ne melius rebus confirmatis ſuis nos opprimat: quam rem facile confirmabimus, ſi in tyrannorum naturam amplificando inuehamur, ac oſtendemus, quanta cupiditas dominandi ſit, ut ex hoc appareat illum, quoniam ſuis copijs deſperaſſet, tyrannidem depoſuiſſe, hic & ſuſpicionibus terreri orator poterit. Aſſumptio prout hic ſumitur, eſt locus, qui per comparationem aut conceßionem, aut remotionem, aut relationem rem purgat, quæ ab huiuſcemodi differt ſtatibus, quod uno loco ſolum abſoluitur, qui etiam aſſumptiuè diuerſas conſtituit ſpecies, poſſumus tamen plerunque totam aſſumptiuam interſerere, ac omnibus locis ſuis, niſi prædictis ijdem eſſent, aſſumptionem hanc approbare. Quoniam uerò non ſemper aſſumptio inueniri ſolet, ne fruſtra laboremus in

his

his inquirendis, quæ rei natura minime præbet, declarandum puto quibus in diffinitionibus inueniatur. Omnis ergo *diffinitio aut petitionem, aut accuſationem continet: hæc rurſus ultima aut ad perſonam * infertur, aut rem quampiam immiſcet actioni, aut in pura actione conſiſtit.* *refertur

His igitur habitis, ſciendum nec quum de petitione agitur, nec quum accuſatio in pura actione conſiſtit, aſſumptionem inueniri, ut in oratoris cauſa, qui præmium petit, aut eius priuata uaſa à templo ſuſtulit. Quum autem res immiſcetur actioni, aut diffinitio ad perſonam transfertur, ſemper inuenietur, hoc modo, Eunuchum in lecto cum uxore inuenit quidam, & ut adulterum interfecit: hic cum ad perſonam quæſtio transferatur, quid ſit adulter, quòd non eunuchus: aſſumptio relatiua cadit, quòd dignus erat interfici. Hic etiam dicendum, quòd quando ſic ad perſonam diffinitio transferetur, totus ordo commutatur. Nam quum in alijs accuſator à factis, defenſor à derelictis: è conuerſo hic, à derelictis accuſator, à factis defenſor diffinitionem conſtituunt, quamuis & reus eunuchi accuſatione ſe defendit, & accuſator eunuchum defendendo, reum condemnandum oſtendit. Res actioni ſic immiſcetur, Eduxit imperator ad prælium è caſtris exercitum, cum ferè manum cum hoſtibus inſeruiſſet, ui pluuiæ impulſus cum exercitu ad caſtra fugit. Accuſatur Rempublicam tradidiſſe: hic cum alijs locis diffinitionis demonſtratum fuerit quid ſit Reſpublicas tradere, aſſumptione per conceſſionem criminis non eius quod eſt Reſpublicas tradere, ſed eius quod eſt fugere, defenſor utetur. In hac ipſa cauſa etiam comparatiua inuenitur aſſumptio, ſi dicet ſe tempeſtate coactum, commodius cepiſſe conſilium, quòd ex eo loco unde hoſtes irruebant, nimbi incidentes,

hoſtes iuuarent, ſuorum proſpectum eriperent. Non ignoro hanc cauſam ſine diffinitione, uel per comparationem ſolam, uel etiam per conceßionem agi poſſe: uerùm quoniam ſemper diffinitio incidit, ad propoſiti noſtri exemplum eam traximus. Eſt autem ſciendum, cum multis conſtitutionibus cauſa agi facile poteſt, optimum factu eſſe omnes occupare, unamq; earum principalem facere, alias acceſſorias: uel ſi non multum iuuarent, omnia quæ ab unaquaque earum inueniuntur, in huius loci commoditatem diſtribuere. De diſpoſitione uerò iſtiuſmodi ſtatuum, qui locorum uim ad principalem afferunt conſtitutionem, aut ei accedunt, cum de ipſa diſpoſitione dicemus, prout res poſtulabit denodabimus. Verum quoniam tres aſſumptiuas incidere diffinitioni oſtendimus, * quomodo incidit identidem, ut locus remotio, nunc aperiamus. Lex, Timidus puniatur: ad Philippum quum legationem ageret Demoſthenes, timore uocem amiſit, ac penè cecidit, reus eſt timiditatis: quum locis diffinitionis uſus fuerit, remotione utetur, ſi dicet, Aeſchinem cauſam huius rei habuiſſe, qui prope ſtans irridebat. Ad aſſumptiuum locum ſequitur repulſio, quæ hic huiuſmodi eſt, At non cecidiſſe debebas propter Aeſchinem, quem licebat poſtea iudicio co[illegible] demnare. Ad repulſionem ſequetur omnino abſolutio, ut in coniecturali docuimus, per quam hic defenſor natura id ſibi licuiſſe oſtendet. Qualitas ut hic ſumitur, eſt locus qui perſonæ rationibus communem locum adauget. Nam ſicut communis locus uniuerſam rei alicuius qualitatem conſiderat, ita hæc qualitas ipſius qui reus eſt, priuatam diſpoſitionem inquirit. Quare ut plurimum communi loco hæc qualitas coniungi ſolet, quæ ſi certa perſona in iudicium trahitur, ab omnibus ferè quæ perſonis attribuuntur

*quando

[R]emotio locus.

tur

tur copiam dabit: Sin perſona certa non eſſet, nec tamen omnino infinita, ut pater, orator, dominus, ſeruus, quæcunque ad has perſonas antecedere, aut conſequi ſolent, diligentius exponemus: quòd ſi omnino infinita perſona eſſet, per coniecturam à re præſente, quiſnam in præterito tempore fuerit, quis erit, ſi impunitus abierit, aut ſi punietur dicemus: nam is locus per tria tempora diuiſus eſt, præteritum, inſtans, conſequens, quod ſolum dupliciter proferri ſolet. Nam & quid utilitatis, & quid damni ex punitione, aut impunitate iſtius conſequi poterit aperiemus: quam utilitatem uel publicam dicemus, quòd omnes hoc iudicium expectent, ut uideant quid ſibi ſequendum ſit: uel priuatam, quòd is ipſe melior, ſi caſtigabitur: aut perniciosior, ſi dimittetur futurus ſit. Intentio eſt cum conſideramus qua uoluntate id egerit, ut ſi ſacrilegus eſſe nolebas, quare ingreſſus templum es? quare inde pecunias abſtuliſti? Defenſor autem ſi commode fieri poteſt, aduerſarium criminabitur, ut ſi dicat, quum reip. furti ſe pœnas dare ſufficiat, qua ille uoluntate ſacrilegij accuſat: quòd uel ob nimiam crudelitatem, uel ob priuatas ſimultates facere dicet: aut per deprecationem, ideo magis in templo furtum commiſiſſe, quòd facilius latere ſperaſſet. Hi duo ultimi loci his in conſtitutionibus ſolent inueniri, in quibus rei uita quemadmodum in coniecturali ad probationem cauſæ non accipitur, quos ultimum poſuimus, quoniam parum à communi loco differre uidentur. Nam ſicut per locum communem generaliter omniũ huiuſcemodi hominũ uolũtas quæritur, et præterita uita cõſideratur, et euẽtus proſpicitur, ſic per hos omnia eadẽ priuatim quærũtur. Vnde quamuis hic eos à cõmuni loco ſeparauimis, ut clarior* præceptio fieret, & oratoris iudicio diſiunctim'ne, aut coniectim, tam hi quàm

Intentio. γνώμη.

*pe

alij

alij loci tractari debeant, relinquendum putamus: ſciendum tamen unà cum communi loco in agendis cauſis cõmodius poſſe abſolui. Locus *communis unà cum qualitate & intentione, ut diximus, ab accuſatore maximè tractabitur:* Defenſor *per commiſerationem indignationis partibus utetur, quòd quum rem confiteatur, in maius tamen periculum accuſatoris iniquitas ipſum trahere conetur.* Quem*admodum autem plures coniecturæ modi ſolent inueniri, in quibus non facilis argumentorum inuentio eſt, niſi quis eos cognouerit, ſic diffinitionum quum plures modos eſſe conſtet, ut facilius quæ incidunt inueniamus, & diſponamus, breuiter eos tangemus.* D*iffinitionum aliæ* S*implices, ut illa oratoris petitio, & eunuchi quaſi adulteri cædes: aliæ* D*uplices, quas quinque modis comprehendimus, pronominatione, collectione, perſonarum duplicatione, incidente, duabus diffinitionibus.* Pronominans *eſt, quum à reo nomen nomini opponitur, ut ſacrilegus es, & dabis pœnas capite: immo fur, & dabo quadruplum.* Hanc *ita tractamus, ut de coniecturali duplici dicebamus, dupliciter locos omneis occupantes.* E*xpoſitio accuſatoris hoc modo,* C*onſultò templum, ut aliquid ſurriperes ingreſſus es, argentum inde ſubſtuliſti, ſacrilegium commiſiſti.* D*efenſoris expoſitio huiuſmodi eſt,* T*emplum introiui, imaginem nullam tetigi, rem ſacram nullam uiolaui, priuati cuiuſdam argentum ſubſtuli, furtum commiſi: furtum enim eſt, & diffiniet ab his, quæ facta ſunt.* S*acrilegium autem non eſt, & diffiniet à derelictis.* D*iffinitio accuſatoris, quam oppoſitam appellauimus, ſacrilegium à factis diffiniet, & per ratiocinationem nihil differre hoc ab illo, ut diximus oſtendet, furtum deinde à non factis diffiniet: uerbi gratia, ſi diceret furtum eſſe, priuatam domum ingredi, inde*

Diffinitionis alij loci.

Pronominans.

priua

priuatim aut quamcunque auferre pecuniam. Defenſor, multum differre à factis quæ derelicta ſunt, comprobabit. Hæc autem non ut dicta ſunt diſponentur, ſed ad commodum cauſæ diſtribuentur, & alijs ſimiliter dupliciter utendum. In pronominanti notandum eſt, quum utrunque fieri debeat, rem quam admittis à factis, quam renuis à derelictis, tibi diffiniendam. Item pronominationem ita fieri poſſe, ut qui pronominat meritum adducat, ut in hoc exemplo, Quum L. Saturninus legem frumentariam ferret, ſenatus à Cæpione, qui per id tempus quæſtor urbanus erat, doctus tantam largitionem ærarium pati non poſſe, decreuit ſi eam legem ferret, aduerſus rempublicam uideri eum facere. Saturninus nihilominus ferre cœpit: eum concionantem Cæpio, impetu cum bonis uiris facto deturbat, accerſitur læſæ maieſt. dicit ſe non modò non diminuiſſe, ſed conſeruaſſe. Accuſator ergo, tollere ſuffragia populi, & magiſtratus conſilium, quibus ex rebus ciuitatis amplitudo conſtat, id quod intendit, eſſe dicet: contrà conſeruationem eſſe, populo poteſtatem deliberandi reddere, eorum potentiæ obniti, qui populi autoritatem diminuunt. At defenſor, qui ærarium conſeruauit, qui libidini malorum reſtitit, eum amplitudinem ciuitatis conſeruaſſe affirmabit. Verùm pecunias publicas cuiuis erogare, ærarium ſpoliare, ſenatus uoluntati non obtemperare, hoc eſſe ciuitatem detrimento afficere, hoc maieſtatem diminuere, hoc bonos omnes euertere. Non ſum neſcius, quamuis nos ad propoſitum traximus, alio etiam ſtatu hanc cauſam agi poſſe. Nam & per ſe relatio criminis ſuſcipi poteſt & * iuridiciali abſolutæ coniungi. Cæterum illud in primis memoriæ commendandum in huiuſmodi pronominatione, diffinitionem à factis eius qui aut accuſationi, aut petitioni*

*eſ

*iu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

titioni reſiſtit, uiolenter tractari poſſe: ſed locos aperire, rhetoris: ordinem locis, & tractationem naturæ rerum idoneam accommodare, id uerò grauis oratoris putandum eſt. Colligens eſt cum reus pronominat, accuſator autem tam huius quàm illius criminis reum eſſe affirmat, hoc modo, Lex, Si reipublicæ iniuriam afferas, occiditor. Lex, Qui uirginem uitiauerit, præbeat dotem. Quidam cum in legationem proficiſceretur, Imperatori filiam commendauit, eam imperator uitiauit, pater reuerſus, iniuriæ* publicæ imperatorem accuſat, quòd filiam legati uitiaſſet, ipſe dotem defert. Is diffinitionis modus uehementer pronominanti ſimilis eſt, qui ut ille locos dupliciter occupat: differt autem quòd ibi ex negatione unius alterum ponitur, ut ſacrilegus es, non fur, & è conuerſo, fur ſum, non ſacrilegus: hic niſi utrunque ſimul accuſator comprehendat, nihil ſibi quod aget relinquetur, ut uitiaſſe uirginem confiteor, reipub. iniuriam attuliſſe nego. Immò & uirginem uitiaſti, dicet accuſator, et rempublicam læſiſti, quia legati filiam &c. Perſonas duplicans eſt, quum una res ad duas perſonas refertur, hoc modo, Lex, Primus regis filius regnum habeat: Dario mortuo Xerxes cum fratre diſceptat, quòd* ſimiliter primus filius eſſet, Xerxes quòd primus regi Dario natus: & is ſimiliter duplicantis locis tractatur. Huic duplicationi perſonarum pronominantem (ſi quum ex merito pronominetur recuſatio fiat) poſſe nonnunquàm ſubijci manifeſtum eſt, hoc modo, Perſuaſit orator tyranno: eum exeuntem ex arce, quam liberam dimiſit, quidam ut tyrannum occidit, ambo petunt præmium: orator pronominat homicidium hoc eſſe, non tyrannicidium. In duplicante perſonas acriter conſiderandum eſt, ſi uni finis & alteri principium accommodatur: aut ſi utrun

Collectio. ὁ κατὰ σύλληψιν ὀνομαζόμενος.

*reip.

[Per]ſonarum [dupli]catio.

[ſimil]iter

utrunque uni, alterum alteri, ut in ſuperiore regni contentione. Alterum uerò alteri, hoc modo: Lex, Sacerdotium ſucceßione habeatur: fortis uir cui præmium ex lege debebatur, petijt cuiuſdam ſacerdotium, & habuit: poſt mortem eius de ſacerdotio filij contendunt: hæc conſideratio ad intentionem legislatoris explicandam adhibenda nobis uidetur. Incidens eſt, quum ut in coniecturali inter agendum cauſam alia incidit diffinitio perfecta, hoc modo: Incidens. *Lex, Si quis in conſilio acta homini neſcio cui dixerit, capite pœnas ſoluat. Quidam in ſomnijs quæ acta eo die à ſenatoribus eſſent, uidere uiſus eſt. Senatori cuidam ſibi amico quæ uidit narrat, deinde interrogat ſi ita ſe habent ut uidit, annuit ille, & quaſi edixiſſet accuſatur. Hic quum quæratur an annuere ſit ea dicere, quæ in conſilio acta ſunt, Conſtitutio diffinitiua eſt, ea uſque ad comparationem procedit: deinde alia perfecta incidit diffinitio quid ſit neſcius, quæ ſimiliter per omnes locos uſque ad comparationem confirmatur. Reliquis locis poſtea ſimul utranque amplectemur. Illud bene notandum uelim, quòd in incidenti à derelictis accuſator, à factis defenſor diffinitionem rimabitur. Commutata enim quæſtione, ille defenſoris, hic accuſatoris officio utitur. Duæ diffinitiones ſunt, quum duo nomina ad unicam perſonam ita referũtur, ut non pronominet, hoc pacto, Vir mundus, & à mundo natus, habeat ſacerdotium. Quidam patrem adulterum interfecit, et repellitur à petitione ſacerdotij: hic nõ ut in pronominanti unum negatur, alterum infertur, ſed quum accuſator utrunque neget, defenſor utrunq; confirmat. Quare non ut ibi, locũ loco, aut rationẽ rationi opponemus. Verũ quia quæſtiones diſiũctæ ſunt, nec una cõfirmat alterã, primo per omnes locos quid ſit uir mundus explanabimus, in* Duæ diffinitiones.

quo

quo accuſator conabitur oſtendere eum qui hominem & maxime patrem interfeciſſet, mundum eſſe non poſſe: Reus mundum ſe dicet, quòd ſecundum leges interfeciſſet, qua diffinitione perorata, ad alteram uenient, quid ſit natum eſſe à mundo, quòd non ab adultero: defenſor natum à mundo ſe dicet, quoniam pater eo tempore quo natus ipſe fuerat, adulter non erat. Non ignoro hanc ſecundam quæſtionem etiam per ambiguum poſſe abſolui, ſed tamen quum hic legitima à diffinitione proficiſcatur, quæritur enim primo, quid ſit natum eſſe à mundo, deinde accedit utrum legislatoris ſententia eſſet, ea quam accuſator aut ea quam defenſor interpretatur, duas diffinitiones hic eſſe nemini dubium eſt.

DE ABSOLVTA IVRIDICIALI.

NVnc quoniam abſoluta complures diffinitionis locos ſuſcipere uidetur, ut facilior præceptio fiat, antequam de negotiali dicamus, de abſoluta prius quomodo nobis

...a loci. tractanda uidetur, dicendum eſt. Abſoluta igitur his locis abſolui ſolet, expoſitione, partibus iuris, perſona, diffinitione, ratiocinatione, intentione legislatoris, ampliatione, comparatione, abſolutione, repulſione, aſſumptione, altera repulſione, infinitione, qualitate, & intentione: hi loci ferè omnes inueniri ſolent, quum cauſa huiuſmodi eſt, ut magnum ex ea damnum, præſertim publicum, ſecutum eſſe uideatur: quum autem uilis, & priuata eſt, plerunque partibus iuris ſolum abſoluitur, ut in hoc exemplo, Mimus quidam Actium poëtam nomine appellauit, ille iniuriarum agit: quoniam cauſa priuata eſt, nec calamitas quædam factum inſecuta eſt, partibus iuris ſolum agi facile poterit.

...ſitio. Expoſitio eodem modo hic, & in diffinitione tractatur.

Partes

Partes iuris, M. Tullium ſecuti, ſex eſſe putamus, natu- ram, legem, conſuetudinem, iudicatum, æquum & bonum, & pactum. Naturæ ius eſt, quod nobis non opinio, ſed quædam innata uis inſeruit, quod in ſex partes rurſus di- uidimus, religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obſeruantiam, ueritatem. Religio eſt uis inſita, quæ deo- rum metu, & ceremonijs hominem ducit. Pietas eſt, in pa- triam, aut in parentes, aut alios ſanguine coniunctos offi- cium. Gratia eſt officiorum, honoris, amicitiarum memo- ria, & remuneratio. Vindicatio eſt, quæ uim & contu- meliam defendendo aut ulciſcendo propulſat, et per quam peccata punimus. Obſeruantia eſt, per quam ætate, aut ſapi entia, uel aliqua dignitate antecedentes ueneramur. Veri- tas eſt, quæ nos monet, ut facta pro factis, infecta pro infe- ctis dicamus. Lege ius eſt, quod aut populi, aut Impera- toris iuſſu ſancitum eſt. Conſuetudine ius eſt, quod ſine le- ge propter uetuſtatem æque ac ſi legitimum ſit, uſitatum eſt. Iudicatum eſt ſententia, quæ ſimili de re lata eſt. Iudi- cata plerunq; inter ſe diuerſa inueniuntur, etenim eadem de re poteſt aliud alius iudicare, quod quum euenerit, iu- dicem cum iudice, tempus cum tempore, numerum cum numero iudiciorum conferemus. Aequum & bonum eſt, quod ſine lege ac conſuetudine ab omnibus comprobatur. Pactum eſt, quod aliqui inter ſe pepigerunt. Verum ut facilius cætera exponamus, exemplum quoque proponа- tur, Pictor naufragium diligenter in tabulis depinxit, ta- bulas apud portũ impoſuit, naufragij periculo moti aliarũ ciuitatum mercatores, non nauigabant. Reſpub. quæ maxi- me rebus aduentitijs iuuabatur, ſummis incommodi affe- cta eſt, expoſitio accuſatoris manifeſta eſt. Breuiter enim exponet quid pictor fecerit, quid factum eius conſecutum Partes iuris

ſit. Partes iuris, quòd æquo & bono, ac conſuetudine unicuique artifici facere, & pictori ſimiliter pingere, ac quò uelit imponere licet, id accuſare non potes. Item quòd nulla lex unquam uetuit, nullum iudicatum unquam reprobauit, & ſi quæ cætera incidunt. Perſonam hic appellamus locum quo à qualitate quadam perſonæ rei per obſiſtentiam ad partes iuris reus defenditur, hoc modo, Quòd ſi etiam ea in iudicium trahi poſſent, quæ nulla lex uetuit, nulla conſuetudo deiecit, nec æquo & bono reprobantur, tamen publicæ iniuriæ pictor pœnas non dabit. Nam hi uniuerſam Rempublicam afficere incommodis poſſunt, qui Rempublicam gerunt, ut oratores, legati, Imperatores: priuati autem quod non gerunt, nec bene nec male id geßiſſe unquam credentur. Is locus deficit, quum perſona huiuſmodi eſt, ut facile uideatur rem patraſſe potuiſſe, ut ſi Imperator læſæ maieſtatis accuſetur. Diffinitio ſic ad perſonam per obſiſtentiam refertur, ſicut ipſa perſona ad iuris partes referebatur, hoc modo, Etſi pictor Rempublicam uiolare poßit, non tamen in pingendo: non enim pingere, incommodis afficere rempublicam eſt, ſed naues hoſtibus tradere, mœnia deijcere, ſocios abſtrahere, ærarium depilare: hi tres loci proximi & defenſoris ſunt & coniunguntur ut plurimum. Alius enim alium quodammodo confirmant, & primus per inficiationem, cæteri per obſiſtentiam proferuntur. Quare uim recuſationis quoniam iudicium ſubire recuſant, habere uidentur, hoc modo, Non oportet cauſam in iudicio eius rei dicere, quam nulla lex uetuit, nulla prohibet conſuetudo. Quòd ſi etiam rei nõ prohibitæ cauſam dicere æquum eſſet, pictorem tamen P. cauſæ non oportet, nec enim pictor unquam rempublicam lædere poſſet: quòd ſi poſſet, non tamen

Perſona. Diffinitio.

men pingere, Reipublicam lædere eſt, ſed hoc aut illud. Ratiocinatio utrunque colligit, hæc enim quæ reus fecit, ita pernicioſa reipublicæ dicet, quemadmodum & ea quæ ab ipſo reo pernicioſa eſſe conceduntur, nec differre affirmabit pingendo, aut hoſtibus naues tradendo, rempublicam lædere: ſi lex incidit intentio legislatoris ab utroque ex re ſua explanabitur. *Ampliatio accuſatoris magnum quod eſt commiſſum, oſtendit. Comparatio, quòd & multo maius, quàm ea quæ dicit, hoc eſt, maius eſſe detrimentum approbabit rebus neceſſarijs carere, quàm naues, aut mœnia hoſtibus tradere. Sciendum autem, quòd ampliatio & comparatio per comprehenſionem, hoc eſt, ab ijs, quæ ab initio ad finem ſunt comprobantur: nam tam perſona quàm re, loco, tempore, modo, cauſa, magis hos locos quàm cæteros affirmare ſolemus: cæteros enim ſæpe uel una circunſtantia ſtabilire contentamur, hos niſi uis comprehenſionis approbauerit, meo quidem iudicio potius prætereundi ſunt. Verum quoniam perſona & res maxime continent comprehenſionem, exemplo demonſtremus quo pacto ampliatio & comparatio his* efferuntur. Ex perſona igitur magnam rem factam dicemus, quòd pictor unus tam magnam ciuitatem tantis incommodis affecerit, & quòd multo maius eſt, à priuato & pictore ita oppreſſos eſſe, quàm ab Imperatore, aut aliquo magiſtratu, quoniam ad perniciem contempti, ſpretiq; ſumus. Ex re magnum eſſe factum dicemus, quòd rebus neceſſarijs priuati, fame torquemur, & quòd multo maius quàm mœnia deijcere, naues hoſtibus tradere, quæ recuperari facile ſolent, fames nos, non noſtra conſumit, & ut noſmet hoſtibus ciuitatem tradamus plerunq; cogit. In quibus etiam ſi ita placuerit, coniunctim ad maiorem uehementiam, reliquam

Ratiocinatio.

Ampliatio.

*ãplificatio

Comparatio.

*effici

comprehenſionem inſerere non incongruum erit, hoc modo, At in qua hæc ciuitate fecit, in quàm ampla, & quàm felici, & quàm maiore ac feliciore cæteris, & quo tempore? & quod in anguſtiore cum penuria eſſet annonæ, & quomodo, depingendo ad portum picta naufragia deferendo, ut quum ex parua re magna pernicies ſequeretur, nos magis doleremus. Sed de his ſatis: Illud non prætereundum puto, quòd hi proximi tres accuſatoris loci ad perſonam & diffinitionem, duos defenſoris locos, opponuntur, & ampliatio quidem ac comparatio comprehenſione approbantur: Ratiocinatio uerò ſola perſona, & re nititur, hoc modo, Nihil differt ſiue pictor ſis ſiue Imperator, dum Rempublicã lædas. Item, idem eſt te hoſtibus ciuitatem tradere, & fame opprimere, quæ plerunque homines cogit, ut ſeſe hoſtibus tradant. Abſolutio à partibus iuris capitur, & tribus proxime poſitis locis maximè opponitur, ut non eſt maius hoc quàm naues prodere, nec ita magnum ut fingis: hoc enim natura & lege, & cætera, licet, illud prohibetur. Differt tamen abſolutio à partibus iuris, maxime in duobus. Nam abſolutio ex partibus iuris: Partes iuris aut inter ſe, aut adductis alijs rationibus approbantur: & partes iuris, quum in principio confirmationis ponantur, in reiectionem iudicij accipiuntur. hoc modo, Non licet id accuſare, quod nulla lex, nulla conſuetudo prohibuit, quod natura præbet, omnes factitant. Abſolutione autem non dicemus, non licere aduerſario id accuſare, ſed eſſe tale negabimus, aut natura, aut lege, aut conſuetudine, aut æquo & bono, aut pacto, aut his omnibus, aut pluribus, quale aduerſarius ratiocionatione, ampliatione, ac comparatione oſtendit, hoc modo, Multum differt hoc ab illis: hoc enim licet, illa uetita ſunt.

Abſolutio.

ſunt. Abſolutione inuenta, neceſſario repulſio, per obſiſtentiam quidem ſemper, per inficiationem uerò quum aut natura, aut lege, aut pacto abſolutio nititur, impudentiſſimum eſt dicere, non licuiſſe. Sin autem à conſuetudine illa confirmatur, poterit repulſio etiam per inficiationem inueniri. Aſſumptio, hic locus eſt repulſioni oppoſitus, qui aliquid extra aſſumendo, rem licitam oſtendit. Eam quadripartitò, ſicut & omnem aſſumptionem, partimur. Eſt enim omnis aſſumptio aut conceßionis, aut relationis, aut remotionis, aut comparationis. Quare conſyderandum eſt, qua ratione aſſumptio ad abſolutam conſtitutionem trahitur. Nec negauerim aliquam aſſumptiuæ ſpeciem omnibus ſuis locis, qui tamen ab abſolutæ locis differant, hac in conſtitutione poſſe inueniri, quod etiam quum de diffinitione diceremus, latius diximus. Ea igitur aſſumptio huiuſmodi eſt, depingere in portu naufragia pro his ſtatui, qui cupiditate lucri ſæpe præter tempus nauigare feſtinant. Quare in propoſito themate comparationis eſt. Nam rem talem dicit eſſe, ut emolumenta ex ea non damnum ciuitas perſequi poſſet. Non ſum neſcius coniectura quoque propoſitam cauſam poſſe defendi, ſi diceret, non quoniam ille naufragium depinxit, ſed alia de cauſa aut noluiſſe uenire, aut tardaſſe nauigantes. Sed iam dictum eſt, quod etiam Cicero ſæpißime in Vetere confirmat, unam atque eandem cauſam multis nonnunquam conſtitutionibus tractari poſſe, & ad unam conſtitutionem alias quoque poſſe accedere: quod quum accidit, quid faciendum ſit in diſpoſitione, dicendum uidetur. Verum ut nullus dubitet alijs quoque tribus modis aſſumptionem in abſoluta inueniri, exemplis id explanare non grauabimur, Quidam fortem uirum, ſummum imperatorem, libe- Aſſumptio.

ratorem patriæ, ut adulterum interfecit, accuſatur læſæ reipublicæ, defendit lege licitum. Aſſumptio relationis eſt: *iure enim interfectum adulterum dicet.* Item, *ſoror trium* Horatiorum *interfectis* Curiatijs *tres fratres ouanteis, ac hoſtium ſanguine cruentos uidit, lacrymas effudit.* Accuſatur *quòd iniquo animo ferat ciuitatis uictoriam, defendit natura licitum:* Aſſumptio conceßionis eſt: *amplius, quædam ciuitas crebrò deficiebat, eius mœnia deijcere imperator perſuaſit, cæteri deinde ſocij ab ea ciuitatæ quæ rerum potiebatur deficiunt.* Imperator *læſæ reipublicæ accerſitur, defendit lege, conſuetudine, æquo & bono licuiſſe in concione proponere quicquid reipublicæ utile arbitraretur: quòd ſocij defeciſſent, ſe pœnas dare non oportere:* Aſſumptio remotionis eſt: *transfert enim culpam ad ſocios: altera repulſio aſſumptioni oppoſita eſt, ſi nauigantibus prodeſſe uolebas, alio modo, quo reipublicæ non obeſſes, illis conſulere debebas.* Vnde *manifeſtum eſt hanc alteram repulſionem nunquam per inficiationem, ſemper per obſiſtentiam niti.* Concedit enim rem, *quòd ſcilicet in utilitatem nauigantium feciſſet, ſed tempus, aut locum, aut modum, aut omnino aliquam circunſtantiam reprehendit.* Hanc repulſionem, *tanquam altera ſequitur*
inio, *abſolutio, is locus quem nos* θέσιν, Latini Infinitionem
σις. *appellare poſſunt.* Ea *eſt huiuſmodi, oporteat ne unumquenque ut poteſt, reipublicæ pro uirili parte conſulere.* Cuius *affirmatiuam partem hic defenſor habebit:* alteram *accuſator, quamuis nonnunquam parumper eam commutet, hoc modo,* Nulla *oportet in perniciem reip. arte uti.* Sciendum *autem quòd ſemper uterque aduerſariorum hac infinitione uti poterit ſi cauſa dubia eſt, id eſt, inter honeſtatem, & turpitudinem media.* Nam *in re honeſta defenſo-*

ris, in

ris, in re turpi accuſatoris infinitio uehementior eſt. Quali tas & Intentio quomodo conſyderētur iam dictum eſt. Abſolutæ modos quatuor ponimus: omnis enim abſoluta, aut ſimplex eſt, aut duplex: rurſus ſimplex, uel propter rem geſtam in iudicium uenit, uel propter aliquem euentum, qui rem geſtam conſecutus eſt. Duplex uerò aut per coniunctionem aut per diuiſionem fieri ſolet: nonnulli plures abſolutæ modos arbitrati ſunt, ſed omnes ad hos reduci manifeſtum eſt, quare prætermittendi omnino uiſi ſunt. Fruſtra enim in hac dicendi ac inueniendi præceptione dicuntur, quæ ſolum numerum faciunt, cæterum ad dicendum nihil amplius afferunt. Quòd uerò hi quatuor modi neceſſario à nobis poſiti ſunt, exemplis melius proſpicitur. Simplex, quæ ex re geſta in iudicium uenit, huiuſmodi eſt, C. Pompilius, quum à Gallis obſideretur, uenit cum hoſtium ducibus in collocutionem, ita diſceßit ut exercitum educeret, impedimenta amitteret, poſtea hanc totam rem in anulis & poculis cælauit. Accuſatur quòd aduerſitate reip. gaudeat: huiuſmodi ſimplex abſoluta incidentibus locis, quos expoſuimus, agetur. Altera fuit quæ ab euentu, qui rem geſtam conſecutus eſt, in iudicium uenit, in qua ſi quod conſecutum dicitur, non eadem ratione eueniſſe probabile ſit, coniecturalis accedit, quale illud fuit pictoris: ſin res geſta huiuſmodi eſt, ut plane poßit dici, niſi id feciſſes, hoc nō accidiſſet, locus cōceßionis omnino incidit, ut in hoc exemplo, Philippus Athenienſibus optionem dedit, ut uel duo milia captiuorū, uel mille qui in prælio ceciderunt acciperēt, perſuaſit Demoſthenes mortuos accipere, captiui à Philippo interficiūtur, accuſatur læſæ reipublicæ. Huiuſmodi abſoluta recuſationē habet perfectam, quam ſi placebit partibus iuris, perſonæ, ac diffinitioni coniungemus: meo autem*

Qualitas, & Intentio.

Abſoluta quatuor modi.

** pſpicietur*

Simplex.

iudicio poſt comparationem collocabimus, ea eſt huiuſmodi, Non potes me huius rei accuſare, quid enim accuſas? utrum quod poſtea conſecutum eſt? ſed non oportet eius rei pœnas pendere, quæ ab alijs geſta eſt, non ſi familiares, non ſi propinqui, non ſi fratres eſſent qui geſſerunt. An fortaßis accuſas, quæ in concione populo conſului? at tunc uel ſi cōtradixiſti iudicio populi repulſus, nunc non me ſolum, uerùm uniuerſum populū accuſas: uel ſi non contradixiſti, aut habebas optimum quid dicere, quod conticuiſti, & tu potius huius mali cauſa quàm ego eſſe uideris: aut nil aliud dicere habebas, & hoc ipſo ignorantiæ futurorum crimine, quo me accuſas, ſimiliter accuſandus es. Sed hæc longius iam proceſſerūt quàm oporteat. Nam hoc libro locos ſolum intētionis, non quid ab unoquoq; loco inuenire poſſumus, docere propoſitum eſt. Etenim omnia quærere, quæ dici poſſunt, quum artem doceas, ſtultū mihi uidetur, quare ad propoſitum redeamus. In huiuſmodi ergo abſoluta poſſumus etiam aſſumptione conceßionis optime uti, hoc modo, Nullus unquam hominum futura ſciuit, quare ſi hac natura hominum ego etiam futurorum euentum ignoraui, reprehendendus non ſum. Hæc aſſumptio in hoc maxime ab ea, quæ fermè ſemper incidit, differre uidetur, quòd illa ad rem, quam reus fecit: hæc ad id quod conſecutum eſt, commode refertur. Duplex abſoluta per coniunctionem fit, quum duo crimina inter ſe ita coniuncta afferuntur, ut alterum ab altero ſeparatum crimen non ſit, & tamen utrūq; cum altero culpabile uideatur, hoc pacto, Quidam in concione omnibus ſemper contradicit, ipſe quid fieri cenſeat, nunquam dicit, is læſæ reipublicæ accerſitur: hic duas eſſe abſolutas, nemini dubium. Licet enim unicuiq; dicere quæ uelit in concione: Item ſilere licet. Huiuſmodi

abſol

abſolutæ illud maxime propriũ eſt, quòd accuſator utrunque coniunget. Nam ſi ſeparabit, nihil unquam confirmare poterit defenſor. Quoniam unaquæq; res ab altera ſemota, nullam habet culpam. Et quemadmodum accuſator neutrum per ſe, ſed coniunctim ambo conſiderat, ſic defenſor alterum ab altero diuiſum tractabit. Duplex abſoluta per diuiſionem fit, quum duo huiuſmodi crimina cauſæ inſunt, ut etiam utrunq; per ſe crimen uideatur, hoc modo, Crebrò quidam quas habuit uxores expellebat, ac non ſolum denuo alias ducebat, ſed etiam adoptione ſibi filios multos comparabat. Accuſatur turpis uitæ, defendit licere diuortio dimittere uxorem, aliam ducere, ac filios quoſcunq; uelit adoptione aſciſcere. Hic ſciendum eſt duplices nos eas appellare cauſas, quæ ſimplices non ſint, ſi etiam ampliores quàm duæ quæſtiones in ea inuenirentur. Huiuſmodi abſoluta à ſuperiore differt, quoniã unumquodq; per ſe uenire in iudicium poteſt. Quare tam ab accuſatore quàm à defenſore ſeparatim hæc omnia orari poſſunt: Quamuis uehementior ſit accuſatio, ſi quemadmodum in ſuperiore, coniunctim agentur omnia: non dico ut in coniecturali duplici ſit, unum prius ab aliquo loco, deinde alterum confirmetur, antequàm ad alium locum tranſeamus, ſed quum ab aliquo loco propoſitiones trahis, eas ad omnia quæ incidunt crimina ſimul accommodabis, ut uerbi gratia, Si ampliatione magnam rem oſtendere uelis, ſumme illum remp. offendere dices, qui oratione ſua populo perſuadet ne quid earum rerum fiat, quas alij fieri oportere aiunt, quum quid faciendum ſit nullo modo aperiat. Deinde à circunſtantijs ad hoc confirmandum inuenies rationes, ut in tertio libro dicemus. Qui putant alios quoq; modos abſolutæ inueniri, id maxime

à ſuperioribus differre arbitrantur, Quidam ſe inuicem adulterij accuſabant, inter moras iudicij, dimittere accuſationem, & uxores commutare placuit. Accuſantur turpis uitæ. Hic duæ perſonæ ſunt, quæ in iudicium trahũtur, & ab utraq; quadrupliciter abſoluta ſumitur, hoc modo, Accuſare aliquem licet, dimittere accuſationẽ nullus prohibetur, diuortio à ſe uxorẽ ſeparare nemo uetatur, aliam etiam ducere licet. Quæ quamuis ita ſint, tamen quoniam à ſuperioribus & agendæ & dicendæ cauſæ huius artificium facile intelligitur, hos abſolutæ modos, qui ad dicendum neceſſarij non ſunt, omnes ſilentio tradere utilius uiſum eſt. Nunc de iuridiciali aſſumptiua dicemus.

DE ASSVMPTIVA IVRIDICIALI.

QVoniam *iuridicialis aſſumptiuæ conſtitutionis ſpecies, quas quatuor eſſe, in primo libro declarauimus, eiſdem ferè locis pertractantur, ne lõgiores quàm opus ſit,* ſumptiua *eſſe uideamur, ſimul de omnibus dicemus. Omnes igitur his locis abſolui ſolent, expoſitione, diffinitione, nonnunquàm ijs quæ ſequuntur diffinitionem uſq; ad comparationem, intentione, ipſa aſſumptione, qui locus, quoniã cauſam denominat, totam quæſtionem continet, ac ideo cauſam, aut comparationis, aut remotionis, aut relationis, aut conceßionis appellamus: Item intentione, repulſione, comparatione, diffinitione uiolenta, infinitione, altera repul-* io. *ſione, abſolutione, qualitate, intentione. Expoſitio eorum quæ facta ſunt, breuis cum amplificatione, quamuis modica, hoc modo, Arma, equos, cæteraq́; militaria inſtrumenta hoſtibus tradidiſti, remp. læſiſti. Item in conceßione, Inſepultos homines, qui uitam reip. condonauerant, dimiſiſti, effeciſti ne alij pro repub. mori uelint, quare rempub. læſiſti,*

læſiſti, & ſimiliter in alijs his. Diffinitione *ſimiliter ac in abſoluta utemur, deinde cæteris quæ diffinitionem ſequi uſque ad comparationem diximus, hoc modo,* Non *eſt lædere rempublicam, exercitum ſeruare, ac milites è magno periculo incolumes omnes educere.* Item *è contrario,* Quippe *hoc eſt lædere rempublicam, arma hoſtibus tradere, equos amittere, infirmos milites, ac ſub iugum miſſos educere.* Item *in remotione,* In *debitam legationem non proficiſci hoc eſt rempublicam lædere.* Defenſor *ſi oppoſitam diffinitionem afferre non poßit, non hoc dicet, ſed detrimento afficere, exercitum perdere, mœnia deijcere.* In *conceßione negabit peccatum eſſe commiſſum imprudentia, aut neceßitate.* Item *in relatione, hoc eſt parricidium, conſultò indemnatam matrem occidiſſe.* Item *è contrario, non eſt parricidium, adulteram, ac patris interfectricem occidere.* Nam *quum res patrata duplex eſſe uidetur, quod comparationi ac relationi criminis accidit, utrunque à factis deſcribendum, quis non uiderit?* Ratiocinatio *ſemper accuſatoris eſt, & utranque diffinitionem ita colligit, ut non differre hoc ab illo, ſed idem contendat.* Caute *tamen in comparatione agendum eſt, ne dicas idem eſſe incolumes milites educere, et arma hoſtibus tradere, ſed potius tam hoc, quàm illud læſionẽ reipublicæ appellabis.* Tractatio *enim locorum in dicendo, paruaq; immutatio adeò neceſſaria eſt, ut nonnunquam quum eundem locum tractemus, tamen alio modo tractationis nunc aduerſarium uehementer percutiamus, modo noſmet ipſos cauſamq; noſtram ſubuertamus.* Quare *hoc ſæpius admonendũ, parua cõmutatione, tũ propoſitionis, tũ etiã rationũ quæ ad propoſitionẽ afferũtur, ſæpius totũ locũ aut utilem aut non ſolũ inutilẽ, uerũ etiã pniciosũm nobis fieri, ſi lex profertur.* Intẽtio legis

Diffinitio.

Ratiocinatio.

legiſlatoris ad commoditatem utriuſque poterit explanari. Ampliatio, magnum eſſe commiſſum, exercitum nudum reuerſum infamem, qui nihil amplius ad prælia ualeat, aut uires reipublicæ arma & equos tradita eſſe. Item ingentem rem eſſe commiſſam, contemptum populum, qui ad decimum diem exire iuſſerat, ſpretas leges, euerſam conſuetudinem bonam, legationis occaſionem, commodumq; tempus amiſſum. Item magnum eſſe facinus parricidium, & maioribus ſemper maxime fuiſſe curæ ne quis unquam parricida impunitus euaderet, ne deorum iram quæ parricidis deberetur in ſe conuerterent, & utetur comprehenſione, cui intentionem opponet defenſor. Quòd ſi hi loci non incidunt, poſt expoſitionem comprehenſionem locabimus, hoc modo, Modeſtus ac fortis uir, filium quòd pudicitiam prodidiſſet interfecit. Hic quoniam diffinitio non incidit, poſt expoſitionem, accuſator ex comprehenſione multa adducet, defenſor comprehenſioni intentionem opponet, quòd non ſolum ſi interfecerit conſiderandum eſt, ſed qua intentione, quo animo, qua uoluntate, & quòd inuitus uitijs ſuis coactus, & ueniet ad aſſumptionem quæ hic relationis eſt: iure enim interfectum pudicitiæ ſuæ corruptorem dicet, quòd tantum degeneraſſet, quòd dedecori eſſet ſuis, & utetur loco communi contra eum qui pudicitiam ſuam prodidit. In omnibus enim aſſũptiuis, aſſumptio quæ ſpeciem aſſumptiuæ declarat, aut per locũ communem, aut per infinitionem plerunque abſoluitur. Poterit autem & aſſumptione comparationis uti, quòd eum mori multo honeſtius ac utilius eſſet, non ſolum ſibi patri, ſed etiam ipſi filio, quàm corrupta pudicitia uiuere. Nam aſſumptiuæ ut plurimum inter ſe ita coniunguntur, ut facile una cum alia, & omnes nonnunquàm ſimul inuen

inueniantur. Quod ut clarius fiat, alia quoque congeramus exempla, Milo Clodium qui rempublicam, uexabat, interfecit. Relatio, iure interfectum uexatorem patriæ. Comparatio, utiliorem mortem eius reipublicæ quàm uitam fuiſſe. Item, Plebiſcitum iubet neminem urbis portas nocte aperire, captiui nocte ad portas urbis confugiunt, Imperator eis portas non aperit, à perſequentibus hoſtibus cæſi ad unum ſunt omnes, remotio criminis in plebiſcitum. Comparatio, melius fuiſſe, ſimul enim hoſtes ingreßi fuiſſent. Conceſſio, ignorabã eos perituros. Relatio, merito ſibi accidiſſe, quòd ita male in prælio pugnaſſent, ut uiui caperentur. Semper ergo quærẽdum eſt, una'ne an plures aſſumptiuæ ſpecies incidant. Nam magni intereſt, una, an pluribus relationibus quicquam infirmetur. Verùm quoniam perutile ad dicendum eſt, principaliorem in his cognoſcere, nunc quidem id, ne longiores ſimus, prætermittere conſtituimus. In quarto uerò libro, quoniam ad diſpoſitionem pertinet, diligentius declarabimus: Id autẽ memoriæ etiam commendandum puto, quòd aſſumptiuis multo facilius cæteræ quàm aſſumptiuæ illis immiſcentur. Quare cum ad confirmandum, tum maxime ad ſoluendum unumquenque locum diligenter conſiderabimus, ſi quid ab alijs conſtitutionibus, & à coniecturali maxime, incidere uidetur. Altera intentio accuſatoris eſt, locus defenſoriæ intentioni oppoſitus, quòd non propter hoc quod dicit, ſed propter aliud fecit, quod quàm multis & firmis coniecturis poterit comprobabit. Nam id uniuerſaliter in omnibus iam dictum uelim, intentionem eius qui fecit, ſemper coniectura quæri, & ſi bona ſunt quæ à reo facta dicuntur, ſic accuſatori ad intentionem eius confugiendum eſſe, quemadmodum ſi mala uidentur quæ defendimus, intentionem ſpectari oportere demon

Relatio.

Comparatio.

Al...tio.

demonſtremus,quam coniecturæ locis,ut diximus, probam Repulſio. *fuiſſe aperiemus.* Repulſio *aſſumptioni oppoſita eſt.* Nam *omnis aſſumptio repulſione ſoluitur, & aut per inficiationem, ut diximus, aut per obſiſtentiam tractatur: per inficiationem, quum eam omnino negamus, quam de-* *aut *ſenſor per aſſumptionē adduxit, hoc modo,* * At *nullam ignominiam tibi adducebat, aut non abs te omnino degenerauit: per obſiſtentiam, & ſi degenerauit,* alio *modo ignominia repellenda erat, caſtigatione, exilio, abdicatione.* Item *in comparatione,* At *inutile omnino fuit, arma, equos, cæteraq; impedimenta hoſtibus tradere: & ſi utile, attamen non ita fœdus fieri oportebat, ut exercitus ſub iugum miſſus magnam* Romano Imperio *contraheret ignominiam. Hæc locis utilitatis, ac honeſtatis, de quibus in quarto libro dicemus, confirmabuntur:* Quare *inde quæ cauſæ commoda uidebuntur, diligenter trahemus.* Si *neceßitudine quapiam, aut ignorantia, ueniam quærimus ſimiliter, aut per inficiationem negabimus id cauſæ fuiſſe, aut per obſiſtentiam dicemus ignoſci non conuenire: uel quia nō ſit data opera ut ſciretur, & conſilio in neceßitudinem uenerit: uel quia potuit illa uis omnino euitari, aut diminui ratione, aut tantam non fuiſſe, aut culpa ſua eueniſſe, & ſi quæ ſimilia ſunt.* In *remotione criminis ſimiliter, aut non uerè crimen remoueri: & ſi uerè, non æquo & bono, non ex utilitate reipublicæ, non ex conſuetudine, et quæ huiuſmodi ſunt.* Præterea *conſultò eum feciſſe, quòd ſi uoluiſſet antequam dies legationis tranſacti eſſent, ad maiores magi-* [...]tio. *ſtratus quæſtores appellaſſet.* Comparatione *uterque utetur, & accuſator multo maius dicet, hoc quod reus commiſit, quàm illud in quo filium criminatur deliquiſſe, defenſor contrà: in comparatione criminis, utrum utilius, condu-*

cibilius

cibilius honeſtiusq́; fuiſſet contendetur. In conceſsione *uis neceſsitatis, ac imprudentiæ facto comparabitur, & dicetur tantam rem, tam pernicioſam, ac tam tetram atq; tyrannicam, uel ſi moriendum eſſet, non ſuſcipiendum fuiſſe:* In *remotione autem criminis ſimiliter accuſator culpam & crimen auget, quod à reo aſſumitur extenuabit: defenſor ècontra culpam diminuet, aſſumptionis uim amplificabit.* Is *locus in quo ab ampliatione differat, manifeſtum eſt, ibi enim magnum eſſe commiſſum oſtendimus ſine collatione:* Hic *eius quod aſſumitur & criminis comparationem peragimus.* Ab *ea uerò comparatione quæ poſt ampliationem in diffinitiua inuenitur, quam & in aſſumptiuas incidere poſſe non negamus, hanc comparationem ſeparamus, quòd ibi non criminis & aſſumptionis collatio fit, ſed diffinitionis et rei.* Violenta *diffinitione ſimiliter ambo utentur, quæ quoniam non ita apertè in propoſitam incidit relationem, alio declaretur exemplo,* Ob*ſidione ſimul ac fame ciuitas laborat.* Imperator *ſenatui perſuadere conatus armis hoſtes repellendos, non perſuaſit, noctè clàm eam partem murorum deiecit, quam minus hoſtes obſeruabant, conflixit cum hoſtibus, reportauit uictoriam, accuſatur læſæ reipublicæ.* Violenta *diffinitio, non eſt uictoria hoc, ſed* **totius ciuitatis captiuitas atque ſubuerſio.* Iacent *enim mœnia, undiq; hoſtes irruere poſſunt.* Item *è contrario, non eſt hoc deijcere mœnia, ſed deiecta erigere & firmiter munire.* Hoſtes *enim uicti expulſiq́; ſunt, ciuitas obſidione ac fame liberata.* Ex *hoc patet uiolentam diffinitionem ideo appellari, quòd uim uiolationis habere, aut quòd ui orationis ipſam naturã rei retorquere uideatur.* Nã *aut id quod factũ eſt, aut id quod conſecutum eſſe conceditur, in oppoſitam partem retrahitur.* Quare, *quoniam maximam uim huic*

Violenta diffinitio.

*pot

huic loco ineſſe arbitramur, & diligenter quærendum cenſemus, & quum inuenitur uehementi orationis genere pertractandum. Verùm ſi non ita accidit, ut oppoſitum inferre poßimus, non inutile erit diſparatum, aut dißimile inferre, hoc modo, Non eſt parricidium hoc, ſed adulterij euerſio, domus Agamemnoniacæ reſtitutio ac reparatio. Item, non eſt dedecus, aut contemptus militum, qui pro republica ceciderunt, eos tempore tempeſtatis inſepultos relinquere, ſed hoc eſt uiuos milites non ſepelire, incolumes Reipublicæ conſeruare. Non enim erat dubium ſi cadauera militum ſepelire uoluiſſem, quin uiuos milites obruiſſem. Item, non eſt hoc non proficiſci in legationem, ſed potius proficiſci. Nam ſi abſque his rebus, quibus legatio, & confici, & decorari ſoleat profectus eſſem, ut aduerſarius uult, quænam illa legatio fuiſſet, omnes uidetis. Verum id quoque ſilentio prætereundum non puto, quòd uiolenta diffinitio in comparatione criminis ſemper inuenitur, &

Recta. quum oppoſitum inferat, fortaßis Rectam eam nominare non incongruum eſſet, quod etiam ut plurimum in remotione accidere ſolet: In conceßione uerò ac relatione quum

αγία. inuenitur, non recta, ſed obliqua ferè ſemper, quam πλαγίαν dicimus, reperitur: non enim rectè oppoſitum, uerùm dißimile aut diſparatum, ut dictum eſt, & exemplo demon-

initio. ſtratum, inferri poteſt. Infinitio, oportet Imperatorem omni modo, quoad poteſt, ciuitati conſulere, & parum nonnunquam officere, ut multum prodeſſe poßit. Item è contrario, non oportet Imperatorem ſine conſilio ſenatus quicquam agere, præſertim cum res multum officiat, parum proſit: qua tunc utendum, quum oppoſitus infinitioni locus, partibus iuris nequaquam à natura infinitionis remotis, non corroboratur. Item, oportet ulciſci parentem

rentem. Item, oportebat ſaluti uiuorum conſulere, uel neceßitati nullam pœnam, ignorantiæ paratam ueniam eſſe oportere. Altera *repulſio rurſus accuſatoris eſt, quæ per obſiſtentiam, non ad omnem circunſtantiam, ſed ad perſonam fertur, hoc modo,* Attamen *non tua, ſed aliorum iudicandi poteſtas fuit, quod omnibus aſſumptiuis pro re accommodabimus.* Senatus *enim aut populi iudicium, cui ſolum attributa poteſtas eſt uel de pace, uel de bello, arripuiſti: aut ſine legatorum, ac tribunorum, uel militum conſenſu contra mores maiorum tuo ſolum uſus conſilio fuiſti.* Item *quum pecunias à quæſtore non acceperis, decreuiſti non proficiſci, quum poteſtas huiuſmodi decreti, ſenatus aut populi ſit: uel ſic, oportebat tamen te, quod pecunias non acceperis, rem claram ſenatui facere.* Et *ſimiliter paucis pro re commutatis, in alijs.* Abſolutio *repulſioni oppoſita eſt, ac ideo ad eandem hic perſonam neceſſariò referri ſolet, hoc modo,* Licet *imperatori exercitui conſulere: ea enim conditione milites ei traditi ſunt, ut quoad poßit, ſibi ac uitæ ſuæ prouideat.* Item, *patri licet conſulere filio, & ſi dignum morte inueniat, ſuo iudicio eum condemnare licet.* Item, *licet* Imperatori, *quod ſibi melius ac utilius reipublicæ uidetur, facere: tempeſtatem huiuſcemodi fuiſſe, ut ſi in ſepeliendis mortuis occupatus eſſet, de ſalute militum dubitandum eſſet.* Verum, *hoc modo abſolutionem proponere poterimus, quum dignitas perſonæ, ac autoritas facit, ut ei licere res uideatur.* Nam *cum autoritas perſonæ hanc nobis poteſtatem non præbet, callidè ut res patitur inuenietur abſolutio.* Non *enim apertè dicemus licuiſſe* Oreſti *matrem interficere, ſed quoniam aut propter potentiam ipſius* Clytemneſtræ, *aut propter* Aegiſti *amicitias, aut quod tempus*

Altera repulſio ἡ ἱτέρα μετάληψις.

Abſolutio repulſioni contraria ἡ ἀντίληψις.

non poſtulabat, aut propter aliquid huiuſmodi inutile fuiſſet eam in iudicium accerſire, propter hæc omnia dicemus licuiſſe, quoniam non poterat rem in iudicium afferre. Id tamen ſciendum, naturam huius eſſe abſolutionis, autoritati rem attribuere, quod quum fieri non poteſt propter rei magnitudinem, aut aduerſariorum crudelitatem, aut tempus, locum, modum licuiſſe afferemus, cuius rei copiam non hic ſolum, ſed ubique à ſequentibus locis plerunq; inueniemus: neque enim abſque ratione coniunctionis, quæ ſimilitudine ac propinquitate conficitur, loci nobis diſpoſiti ſunt. Sed ne quis putet non uidere nos huius cauſæ abſolutionem, quoniam propinquam in rem traximus, illam quoque quàm breuiter exponamus, ut nec hoc tacere, & illud ſignificare uoluiſſe uideamur. Licuit ergo mihi (Oreſtes dicet) ſoli Agamemnonis filio, & regni hæredi iudicium de adultera, et cæde Agamemnonia facere. Hic etiam illud diuinum dicam, ſi ſequentes loci, aut is ipſe quo aduerſarius utitur, ſi communis eſt, minime nos iuuat, eò confugiendum, unde locus nominatur. Nam idcirco locorum plurimos à conſtitutionibus nominauimus, ut uel uno uerbo, & quid incidere poſſet, & quid ſi propria deeſſent facere oporteret, oſtenderemus. Ex obſiſtentia ergo abſolutionis, abſolutionem oppugnabimus, ex iure hic gentium per uiolentiam obſiſtentiæ reſpondebis, huic ius naturæ opponetur, ac demum comparatio partium iuris ſequi poterit, hoc modo, Sed non antequam hæreditatem adires, at defuncto patre, filius paternarum rerum omnium ius tenet: & qui hæreditatem regni iure habet, is rex eſt iure, quamuis rem non teneat, mihi ne rem tenerem, nihil præter Clytemneſtram obſtabat. At mater erat, & illud tibi conſuetudo quædam concedebat, ab hoc natura

tura deterrebat,cui potius parendum: aut,non tamen proprium dolorem manu propria ulciſci debebas. At iudex unuſquiſque ſuæ iniuriæ eſt, ſi in aliorum iudicium reſpicere non poteſt, ſed non in parentem: at ius neceßitudine potius, unde & ſcelerati parentes bonis odio. Nihil enim uirtute homini coniunctius, à qua qui diſcedunt alieni putandi. Hæc diximus non ut omnia inueniſſe uideamur, multa enim prætermiſſa ſunt: uerum ut rem ſubaperiamus, quæ illi ſoli clare patebit, qui communia & differentia optime tenebit. Qualitas & intentio locis communibus coniungentur. Nam accuſator in his cauſis loco communi utetur contra eum qui inutile utili præpoſuerit, cum ſtatuendi non habuerit poteſtatem. Item in relatione, contra eum qui plus uoluit uim, aut iudicium ſuum conſtitutis iudicijs ualere. In conceßione contra eum qui ignorantiam ſuam legibus antecellere uelit. In remotione contra eum qui cum peccaſſe confiteatur, tamen ſe aliorum culpa uelit defendere. Hæc diximus, non ut oſtenderemus diuerſos in aſſumptiuis communes locos inueniri, uerùm ut rem exemplis clariorem redderemus. Nam citius unuſquiſque his ita dictis uidere poterit, unum his omnibus, ut etiam cætera omnia præter aſſumptionem, quæ ab ea re ſumitur, quæ diuerſas aſſumptiuæ ſpecies conſtituit, communem locum paucis pro re mutatis accommodari: quibus locis communibus, quum in qualitatem propriam trahuntur, intentionem quoq; propriam coniũgemus, et ex congerie incommodorum, quæ crimen ſuum conſequi dicimus, cũ amplificatione ita ipſos facere uoluiſſe dicemus, ut hæc conſequerentur, quod itẽ amplificãdo à qualitate propria rei, hoc eſt, à uita ſua probabilius faciemus: nam ubiq; hæc qualitas perſonæ de qua dicimus intentionẽ probat, et

Qualitas & intentio.

ambo hi loci communibus iunguntur, & quum unus alterum exaugeat, per communes locos latiſsime amplificantur. Defenſoris locus communis contra eum, qui cenſeat rem pernicioſam utili præponi, ac in alijs ſimiliter paucis uerbis pro re, ut dictum eſt, commutatis. Id tamen ſciendum, ita in remotione defenſorem indignatione magis per locum communem uti poſſe, quod culpa aliorum in iudicium, ac in pœnam iniuſte trahatur, quemadmodum in conceſsione, non conqueſtione, ſed commiſeratione magis utetur. De humanitate enim, fortuna, miſericordia, rerum commutatione, uoluntatem in omnibus dicet ſpectari oportere: quæ omnia etiam in cæteris occupare poterit, quam uoluntatem ſi poteſt, qualitate propria probabilem redderet, quum is rem, tempus, locum ante oculos ponet, ut qui audiunt, exiſtiment aut non potuiſſe, aut inutile fuiſſe aliter facere.

DE NEGOCIALI ET TRANSLATIVA.

QVoniam de coniecturali diffinitiua, iuridiciali & partibus eius, quàm breuiter ac dilucidè potui, dictum eſt, nunc antequàm ad legitimas ueniam, de negociali & translatiua diligenter diſſerere placuit, quas idcirco inter legitimas & rationales poſuimus, quòd ſolæ mediæ ſunt, quippe tam legitimæ quàm rationales inueniuntur, quòd exemplis paulo pòſt, uel digito tangi poterit. Præterea non ignoro nonnullos ita negotialem ſub iuridiciali ponere, quemadmodum ſub generali translationem. Quod & ſi ratione non careat, tamen nos optima cauſa contrà feciſſe tunc apparebit, quum tempus dabitur,

tur, ut de differentijs tam conſtitutionum quàm locorum diſſeremus. Negocialis conſtitutio, quæ ſic futurum tempus complectitur, ut etiam ad præteritum retorqueri poſſit, finalibus locis tractari ſolet, lege ſcilicet, æquo & bono, utili, poßibili, laudabili, & euentu, quæ qualia ſint, breuiter exponemus, ſi prius aperiemus quonam modo nunc legitimo ſtatu, modo per ſe negotialis abſoluatur, ut quemadmodum duplex eſt, ita duplici eam tractatione complectamur. Legitimo negotialis ſtatu abſoluitur quæ à ſcripto naſci uidetur, ea eſt huiuſmodi, Tribus de bello diebus conſuli lex iubebat: Gallorum in Italiam audito aduentu, eodem die conſulit Camillus exeundum. Per ſe tractatur quæ non à ſcripto, ſed à re naſcitur. hoc modo, Pacato orbe, Octauianus à P.R. petit Auguſtus uocari. His ita dictis, ſi à lege negotialis naſcitur, eam aliqua, uel pluribus, ſi plures incidere uidentur, legitimis agemus: quòd ſi ex re orietur, conſuetudinem loco legis diſponemus, hoc modo, Rem nouam petis, quam nullus unquam optare auſus eſt: Econtra autem defenſor per inficiationem, & obſiſtentiam, non eſſe noua dicet quæ petit, quoniam & Valerius Publicola, & Pom. Magnus cognominatus eſt: quòd & ſi rem inuſitatam petere uideretur, tamen ſibi concedi conuenire, quoniam res ab eo geſtæ incredibiles magnitudine ſint. Aequum & bonum aliquem iuridicialium obtinet: Quare dabimus diligenter operam una uel pluribus partibus eius, quod æquum & bonum ſit, aut econtra enodare. Verùm in his finalibus locis ſæpe, quum non poſſumus rem ex lege, aut ex æquo & bono, aut commodo & laude noſtra poſſe fieri oſtendere, oppoſitum addita negatione & proponere, & confirmare ſolemus, ut ſi nec cõmodis noſtris obeſſe, nec contra æquum

Negocialis conſtitutio quibus locis conſtet.

Legitimus ſtatus.

Aequ. bonum.

Vtilitas. *& bonum, nec contra ſtatutas leges fieri quid doceas. Vtilitatem in duas partes diuidimus, quarum unam uſum, alteram neceſſarium appellamus. Vſus eſt, qui & ſi quum adeſt iuuat, tamen cum abeſt non plurimum obeſt. Neceſſarium eſt, quod niſi faciamus, calamitatem allaturum eſt. Hæc dupliciter inueſtigari ſolent, nam & ſi hoc facimus, quid nobis uſui futurum ſit, & quid neceſſarium adueniet aperiemus: & ſi non facimus, ſimiliter quem uſum amiſſuri, quæ neceßitas aderit oſtendemus, quorum utrunque rurſus quadripartitò diuidimus. Nam ſi facimus, eum uſum, eas commoditates, ea neceſſaria nos obſeruaturos dicemus, quæ in præſentiarum poßidemus, multa quoque affore nobis, quorum in præſentia indigemus: Incommoda etiam quæ modo urgent, expellamus, futura prius quàm ueniant euitabimus. Item ſi nõ facimus, bona quæ nunc habentur, è manibus amittemus, futura non ſperabuntur, mala quæ adſunt inerunt, & alia quoq; conſequẽtur hac ratione ſiue hortemur, ſiue dehortemur, commoda, et incommoda, inſtanti et futuro tempore conſiderabimus, quæ omnia triplici ratione perſpiciuntur. Nam & bona quædam animi eſſe dicimus, ut religio, pietas, uirtus: & corporis, ut ſanitas, robur, pulchritudo: & rerum externarum, ut diuitiæ, poteſtas, gloria, de quibus latius ſuo loco dicemus. Cauendum autem ne id quod palàm obeſſe, aut prodeſſe uidetur, huiuſmodi eſſe negemus. Nihil enim eſt quod magis auditoris animum offendat, quàm manifeſta certaq; ratione comprobata negare. Quare multò tutius eſt, ſi quæ aduerſarij facienda dicunt utilia eſſe uidentur, utiliora dicamus ea quæ nos proponimus, ac ita per comparationem commodi & incommodi, & aliorum agamus, ut tam ex lege & conſuetudine, quàm ex æquo & bono, facilitate, commoditate,*

tate, laude, cæteriſq; ſimiliter quæ incidũt, hoc potius quàm illud faciendum hortemur. Poßibile utili adiunctum eſt: nam neque quod utile eſt, niſi poßibile, neque quod poßibile, niſi utile uideatur, ſuſcipere ſolemus. Poßibili duæ partes ſubiectæ ſunt, facile, & difficile. Si facile fieri poteſt quod dicimus, dicemus huiuſmodi eſſe, ut etiam ſi difficile uideretur, tamen non contemnendũ eſſet, nunc uerò quum ſit facilimum, & afferemus rationes: Sin difficile eſt, per inficiationem & obſiſtentiam tractabitur. Non enim eſſe difficile argumentabimur, deinde & ſi difficile eſſet, tamen oportere pro laude & honeſtate labores & pericula libenter ſufferre, & maxime ne grauioribus opprimamur, hoc autem facile ac leue eſt: quòd ſi belli aut pacis deliberatio eſſet, poßibile ab his quæ perſonis attributa diximus inueſtigaremus: nam tum animi, tum corporis, & externarum rerum commemoratione noſtras uires cum aduerſariorum comparabimus, quorum unumquodque unicuique conferemus, niſi fortè anguſtijs accideret cauſæ, ut utilius ad dicendum uideretur, non ſingula ſingulis, ſed uniuerſa uniuerſis* exponere, hac in contentione ſi non omnibus antecellimus, id quo præualemus efferendum, & omnibus præponendum. Si contradicimus, facile difficile, difficile impoßibile fore comprobabimus, quæ ſimiliter, ſi commode fieri poteſt, inficiatione et obſiſtẽtia abſoluemus. Hic locus ab his ſemper fluere ſolet, quibus res qua de controuerſia eſt, tanquam inſtrumentis conficitur, quæ ſi alijs apparantur, ea quoq; conſiderãda ſunt, ut bellum militibus et claſſe: hæc ambo pecunia. Laudabile eſt quod cõficit honeſtam et præſentem, et conſequẽtem commemorationẽ, id ex officio et uirtute naſcitur, quæ quatuor ſunt, prudenttia, iuſtitia, fortitudo, modeſtia: de quibus loco ſuo latius dicetur, hunc

Poßibile.

*oppo

Lau

locum his modis, quibus utile, conuenienter tractabimus. Nam quid facientibus, aut non facientibus, laus, aut ignominia nobis attribuetur oſtendemus, & utrunque inſtanti ac conſequenti tempore, laude & ignominia quadripartitò diuidemus, hoc modo, Si facimus, quam iam nacti exiſtimationem uidemur, conſeruabimus, & meliorem conſequemur: ſi qua ignominia ſit, aut falſa omnino putabitur, aut diminuetur: aut ſi quæ conſecutura erat, penitus euaneſcet. Cætera quoq; ſimiliter ac de utilitate dicebamus, excogitare conueniet. Item quod de æquo & bono, & cæteris dicebamus, in poſsibili maxime, ac in laudabili fieri ſolet. Nam quod clare honeſtum appellare non poſſumus, id non turpe: quod non facile uidetur, id non nimis difficile: quod non utile, id non obeſſe probabimus, ad quod aduerſarius infinitione obijciet, non debere ad eam rem faciendam ciues hortari, quæ non officiat, ſed ad eam quæ profutura ſit.* [ficiatione] [Euentus.] *Euentus eſt conſecutio laudabilis, & utilitas poſtremò conſiderata, is à laudabili & utilitate, re parum, tractatione multum differt: & re quidem differt, *quoniam conſequitur, * nunquam antecedit, hoc modo, Vtile eſt Florentinis opem ferre, ſic enim non in Venetia, ſed in Lyguria bellum erit: quod ſi non facimus, non in Lyguria, ſed in Venetia pugnabimus. Item laudabile erit, liberam ciuitatem tutari, ne in ſeruitutem deueniat: quod ſi negligemus, libertatem Italiæ non iniuria prodere uidebimur. Euentu poſtea oſtendes, amplificando, quæ lucra, quas diuitias, quam laudem, quod nomen conſequemur, ſi pro libertate in Lyguria pugnabimus. Item econtrario, quæ damna, quas iacturas, quam ignominiam nobis & poſteris noſtris hac negligentia præparabimus. Qui euentus, & ſi nonnunquam ad confirmandos eos locos,*

[...n non ...am]

*coſ,quos conſequitur, adhiberi ſoleat, tamen quia in dicendo ſcorſum etiam ponitur, ſeparandus fuit. In hoc igitur maxime à ſuperioribus differt euentus, quoniam ibi ſolum tangitur, loco ſuo ampliſsime exponitur. Præterea ibi ſine complexione ferè ſemper: hic ſine complexione ferè nunquam tractatur oratio. Amplius, ibi ad probationē aliorum inducitur, hic ad comprobādum euentum alia afferuntur. Complexione igitur tractatur euentus, hoc modo, Siue uincamus, ſiue non, utile ſimul ac laudabile eſt, libertatem tutari: cui addere poterimus, ſolum decretum ferendi auxilij conferre multum poſſe, ut & timore abſtineat, cum paratos nos eſſe ſentiat, & periculi magnitudine deterreatur. Item ſine nobis, ſiue uincant, ſiue uincantur, qui ad defendendam libertatem nos rogant, cum inutile eſt, tum ignominia plenum. Id præterea ſciendum, quòd ſi complexionibus, quæ in euentu fiunt, uim in dicendo magnam aſſequi poſſe uidemur, poterimus quum ſeparatim euentum per complexionem tractauerimus, concluſione poſtea uti, plurimis * ante rem geſtam exemplis locupletiſsima. Quòd ſi aut parum exemplorum copia ſuppetit, aut quæ ab euentu dicuntur, firma non ſunt, ab euentu & exemplis ſimul totam orationem concludemus.*

*antea … rum …

Translatio ſimiliter ac negotialis, aut ſcripto abſoluitur, aut non: & eam quidem quæ ſcripto abſoluitur perfectam præſcriptionem appellamus, quæ eſt huiuſmodi. Lex, ſi lex fertur, centeſimo die poſtquam ferri cœpit, ſanciatur, eiq; uſque ad nonageſimum diem ſolùm contradicere liceat. Quum pauper quidam legatus miſſus eſſet, quidam uirtuti eius inuidus legem tulit, Neminem Rempublicam gerere, cuius cenſus quinque talentis pluris non eſſet, poſt nonageſimum diem redit à legatione pauper, ac

Tran… ἡ μετ… ψις.

latæ legi contradicere ſtudet. Hæc præſcriptio duas ſemper ſuſcipit quæſtiones, quarum prima, uel legitimo ſtatu, uel diffinitione, altera rationali abſoluitur. Nam & in propoſito exemplo, primo ſcriptum & ſententia incidit, quum is qui legi contradicit, aſſerat legis intentionem eſſe, ne hi qui cum lex ferebatur præſentes erant ultra nonageſimum diem contradicant, ſibi abſenti eum debere intelligi primum diem, quo in ciuitatem applicuit: deinde per negotialem conſiderabimus, ſi ex utilitate noſtra, laude, æquo & bono ea lex ſanciri poßit. Præterea præſcriptionis locus, quem ſuperius recuſationem appellauimus, propoſito themati poterit accommodari, hoc modo, Quum quinque talentûm cenſum non habeas, lege lata cui præter te nemo ciuium contradixit, dicere non potes, nec omnino aliquid in Republica reprehendere: ad quod ſcilicet id dicitur, quòd non conueniat ea lege tanquam ſancta uti, de qua an ſanciri debeat, quæſtio ſit.

[No]n ſcripta. *Translatio autem non ſcripta, in hoc maxime à præſcriptione differt, quòd illa ex lege ipſam rem eijciendam eſſe oſtendit, hæc quum rem ipſam per ſe non poßit reijcere, ex aliqua circunſtantia eam reprehendit. Quum autem & recuſatio, ut in coniecturali latius dictum eſt, aliqua in circunſtantia, quæ in geſtione negotij ſit, fundari uideatur, tamen ab hac translatione, quæ à ſcripto non naſcitur, maxime diſtat. Nam recuſatio quum per ſe in iudicium non ueniat, non ſtatus, ſed locus eſt. Hæc igitur non ſcripta translatio in hos locos diſtributa eſt, expoſitionem, recuſationem à ſcripto, repulſionem, ratiocinationem, diffinitionem, aſſumptionem, alteram repulſionem, abſolutionem, infinitionem, qualitatem, & intentionem, hoc modo, Fortis uir cuiuſdam ciuis interitum petijt, ac habuit, poſtea*

poſtea clarum factum eſt, ciuem illum ab eo interfectum fuiſſe ante petitionem, reus eſt cædis. Expoſitio, occidiſti hominem: quam cum amplificatione multo maiorem dicemus, quàm in his facere ſtatibus ſolemus, in quibus amplificatio, & comparatio inueniuntur. Recuſatio, non debeo rationem eius cædis reddere, quæ mihi à populo conceſſa eſt. Inter hanc recuſationem, illamq; quæ in coniecturali nonnunquam inuenitur, hoc intereſt, quòd illa nunquam à ſcripto, hæc ſemper à ſcripto oritur. Nam hic fortis uir nullo pacto* exceptionem totius accuſationis faceret, niſi petitio eius cædis plebiſcito firmata eſſet. Repulſio rem quæ per recuſationem affertur concedit, ſed ex aliqua circunſtantia reprehendit: Non erat tunc tibi hæc cædes conceſſa, cum patrata eſt, quare quum homini uis contra rempublicam illata ſit, non effugies: nam ſi quum petebas, uiuus contradixiſſet, non traditus fuiſſet, & quæ huiuſmodi ſunt. Is locus in translatione uehementiſsimus eſt, quum aut in tempore, aut in loco fundatur: quum uerò ab alijs circunſtantijs ducitur, multo remiſsiorem uim habet. Ratiocinatio, nil aut parum differt poſt impetratam à populo cædem, aut paulo antè interfeciſſe. Hæc ratiocinatio, ut etiam ſuperius diximus, quum ea quæ per eam colliguntur multum diſtare uidentur, niſi cautius pertractetur, peruertit defenſionem, quod & cæteri loci nonnunquam faciunt. Nam ſi quis, quoniam licet comprehenſum adulterum interimere, adulterum in templo interficiat, & reus cædis ſit, non bene ratiocinationem exponet, ſi dicet nihil differre ſacro'ne in loco, an in profano adulter interficiatur, non enim parum differre uidetur. Quare non ita, ſed aut multo præſtantius hoc illo dicet, quoniam decet coram dijs adulterum pœnas pende

*expoſitionem

pende

pendere, aut ad euentum illum confugiet, qui quoniam eadem ex circunſtantia naſcitur, repulſionem conſequitur, hoc modo, Nam ſi adeò hoc differre iudicatur, ut in templo non liceat comprehenſum adulterum interficere, adulteriſs templa deorum adimplebitis. Diffinitione, multum diffiniendo differre probabimus, quæ ratiocinatione non differre colligebantur. Poſt ratiocinationem diffinitio in translatione ſequitur, quoniam accuſatio, & defenſio inter ſe commutatæ ſunt. Obtinet enim accuſator defenſoris, defenſor accuſatoris uim in translatione, quare mirum uideri non debet, ſi ad commutationem perſonarum loci etiam commutentur. Quibus illud addam, diffinitionem, quæ antecedit ab antecedentibus, quæ conſequitur à conſequentibus frequentius inueniri: quare ſi ex diſpoſitione tempore differunt, & ex inuentione tempore diſtabunt. Aſſumptio in his relationis eſt, iure enim cæſum adulterum dicemus, aut dignum cæde, populi etiam iudicio uiſum: hæc communi loco, ut in aſſumptiuis diximus, approbatur. Altera repulſio aſſumptioni oppoſita eſt, atqui te oportebat uerè rem populo expoſuiſſe, tui delicti ueniam petere, uel quòd dignum cæde occidiſti: hæc à ſuperiore differt, quoniam illa totam translationem continet, & ab omnibus circunſtantiſs inuenitur, ſine hac tranſlationem cõſiſtere poſſe manifeſtũ eſt, & ab eo modo proficiſcitur, qui eam circunſtantiam ſequitur, unde prima repulſio inuenitur. Abſolutio, licebat quod uolebam, & quomodo uolebam petere. Infinitio non particulatim, ſed generaliter proponitur, & tam accuſatoris quàm defenſoris inuenitur, hoc modo, Oporteat'ne huiuſmodi rem iudicium effugere, uel oporteat'ne uirum fortem, populum calumniari. Ex his iam patet quanta obuoluantur ignorantia,

qui

*qui translationem in conſtitutionibus non ponant. Nam & ſi nihil aliud eſſet, quod eos moueat, tamen propter commoditatem dicendi, quam in hac facultate ſequimur, accipienda eſſet, uerum eos hæc ratio fugit. Ac quoniam legitimis rationalibusq́; præſcriptio implicatur, eisq́; abſolui poteſt, translationem illis omnino accommodarunt. Alteram enim eius partem uidere non potuerunt, quæ quum locos ſuos, locorumq́; diſpoſitionem propriam teneat, ad alias reduci quidem poteſt: Nos uerò non hanc partem ſolum, ſed illam etiam à cæteris ſeparamus, quoniam quæ accedunt, quæq́; incidunt, locorum uim ad principales habere omnino uidentur. Legitima conſtitutio eſt, quæ de ſcripto uno uel pluribus naſcitur. Eam in quatuor partes diuidimus, ſcriptum & ſententiam, contrarias leges, ambiguum, ratiocinationem. Scriptum & ſententia in hos locos diſtribuitur, expoſitionem, intentionem, inſcriptionem, intentionem legislatoris, ratiocinationem, diffinitionem, aſſumptionem, repulſionem, comparationem, uiolentam diffinitionem, infinitionem, alteram repulſionem, abſolutionem, qualitatem & uoluntatem. Expoſitio eſt ipſius rei, quæ contra ſcriptum facta eſſe uidetur, cum breui amplificatione propoſitio, hoc pacto, Lex, Peregrinum murum aſcendere, capitale ſit: tempore belli quidam murum aſcendit, hoſtium ducem interfecit. Expoſitio, aſcendiſti murum contra legem, hic ſcripti recitatio nunquam ferè prætermittenda eſt. Intentio hic dupliciter*intelligitur, nam & ſcriptoris ſententia circunſtantijs enodabitur, quum peregrinum, quo tempore, quo modo, qua de re poſſe aſcendere, legislator intelligit, & rei uoluntas aperietur, hoc modo, Non eſſe tantum reſpiciendum, quod aſcendit, ſed qua uoluntate, & quod ut ciuitatem*

Legitima & eius partes.

Sententia ſcriptio.

Expo[...]

Int[...]

*aſſ[...]

Inſcriptio. tatem defenderet, hoſtes propulſaret. Inſcriptio, nihil horum addidit legiſlator, ſed ſimpliciter dixit, quòd uoluit peregrinum in murum non aſcendere, & utetur breui collaudatione ſcriptoris, quòd commodè planè, nil ambiguè ſcripſiſſet, & ſcripti commemorationem faciet. Altera intentio communis eſt. *Intentio legiſlatoris.* Nam qui à ſententia dicit, eam ad inſcriptionem opponet, hoc modo, Idcirco nihil horum ſcriptor addidit, quoniam quæ ita clara ſunt, ut per ſe intelligantur, ſcribenda non duxit, & utetur collaudatione ſcriptoris, quòd illud ſolum ſcripſerit, quod neceſſe fuerit, quod dubium non eſſet, id nec ſcribendū duxerit. Accuſator dicet non propter hoc id legiſlatorem omiſiſſe, quoniam per ſe intelligi poſſe putauit, ſed quoniam omnino noluit peregrimum, murum aſcendere: hic & aduerſariorum ſententia contemnetur & infirmabitur, ſi nihil dicemus ſcriptori obfuiſſe, ſi illud uoluiſſet aſcribere. Verùm noluit, quoniam aut iniquum, aut contra iura communia, aut inutile, & quod clarè ſcriptum eſt, æquum & utile, & dicemus cauſam quare id ſcriptor ſenſerit, quod ſcripſerit. Hanc ſententiam oppoſitam appellamus, & ſcripto non rei geſtæ accommodari cenſemus, & ex re ſententiæ oppoſita inueniri putamus. Et quum aliquid aſſumitur, in quo conuenire effectus urget, euerſionem quoque legis ea re ſequi demonſtramus, ac demum contentionem præſentis ſalutis cum futuro incommodo adhibemus, quæ res aſſumptionem, quam per omnes parteis in ſcriptum, & ſententiam, ſicut è contrario incidere non negamus, uehementer probat. *[Ratiocin]atio.* Ratiocinatio inſcriptionem, ac intentionem ſcripti in unum colligit, hoc modo, Nihil differt additum eſſe, niſi ſalute Reipub. aſcendit, uel non eſſe additum, nam & abſque additione hac clariſſimum eſt.

eſt. Is locus exemplis comprobari ſolet, ſi quàm plurimas leges breuiter ſcriptas eſſe oſtendemus, quæ tamen tum exceptionibus quibuſdam, ſiue expoſitionibus, tum conſuetudine recta ex utili Reipublicæ ſententia intelliguntur. Quæ omnia ſi ut uerba & literas ſequaris, contemnere inſtituiſti, calũniatoris non boni ciuis officium obtines. Nam ſi ex æquo & bono, more, natura, legem non intelligis, ipſum legislatorem, aut iniquum, aut ſtultum, aut inuidum calumniaris, cum aut iniuſtum, aut impoſſibile, aut pugnantia, id eſt, non conuenientia cum ſuperioribus & inferioribus, aut inutile ſcripſiſſe eum aſſeueres. Diffinitio ad ratiocinationem fertur, & quod plurimum inſcriptio à ſcriptione differat, diffiniendo oſtendet, quam diuerſitatem etiam à diuerſo euentu probabit, quid ex hoc, quid ex illo conſequi poſſet, breuiter aperiet. *Diffinitio.*

Aſſumptio hic comparatiua eſt, quæ per conceſſionem differentiæ, quam is, qui à ſcripto dicit inferre ſolet, introducitur, hoc modo, Et ſi hæc ut dicis differant, tamen in utilitatem & tutelam ciuitatis feci. Repulſio ex aliqua circunſtantia aſſumptionem refutat, hoc modo, ſi huic Reipublicæ utilitati eſſe uolebas, aliter ſibi non præuaricatione conſulere debebas. Comparatio, utrum maius, emolumentum'ne quod ex præuaricatione ſecutum eſt, an ipſa præuaricatio: & conferemus id quod ſcriptum eſt, cum eo quod factum eſt, ac oſtendemus quid iudicem ſequi oporteat. Si à ſcripto, dicemus ſcriptum potius quàm id quod aduerſarij acutè excogitarint, quoniam periculoſiſſimum ſit à ſcripto diſcedere: Sin à ſententia, è contrario hoc multo tutius atq; honeſtius dicemus, quod iam ſalutem peperit. Hæc comparatio ut certis regulis comprehendatur, tempore, perſona, multitudine, honeſtate, ac euentu tractari *Aſſumptio.* *Refutatio.* *Comp.*

ſolet

ſolet, quòd iam diu ſententijs potius quàm ſcripto utamur, uel è contrario, quòd Solon maximæ autoritatis uir ita iudicauerit, quòd plures ciuitatum ſic utantur, quòd iuſtius ac melius ſit, quòd utilius futurum. *Violenta diffinitio.* Violenta diffinitio, non eſt hoc præuaricatio, ſed conſtitutio legum, & firmamentum. Item è contrario, immo nil aliud quàm præuaricatio, murum te non aſcendere lex iubet, tu aſcendiſti. Infinitio, oportet unumquenque pro uirili parte ciuitati ubi uiuit, conſulere. Item, non oportet, niſi leges conſerues. *Altera repulſio.* Altera repulſio ut in aſſumptiuis accuſatoris eſt, & infinitioni defenſoris per obſiſtentiam opponitur, hoc modo, Etſi tibi licet pro uirili parte reipublicæ conſulere, non tamen omni modo quouis niſi rem populo aut Senatui pateficeris. *Abſolutio.* Abſolutio, licet quæcunque reipublicæ conferre uideris, uel non communicato conſilio* conficere, & ſi etiam non liceret, tamen quum propter breuitatem temporis, hoſtiúmque impetum, ac cætera huiuſmodi differendum non eſſet, mihi tunc profecto licuit. *[Qua]litas & [Volun]tas.* Qualitas & Voluntas per communes locos tractantur, qui ſunt à ſcripto quidem in eum, qui quum fateatur contra id quod ſcriptum eſt feciſſe, tamen audeat facti quærere defenſionem: à ſententia contra eum qui raptim ſcriptum recitet, ſcriptoris ſenſum & uoluntatem contemnat. Legitimam conſtitutionem per contrarias leges dicimus, ut in priori libro declarauimus, quum duæ leges, aut etiam una, quæ diuidatur, inter ſe pugnare uidentur: hanc poſt ſcriptum, & ſententiam collocamus, quoniam eiſdem geminatis locis tractatur. Vnde nonnulli non diuerſam à ſcripto & ſententia legitimæ ſpeciem hanc, ſed modum eius quendam putarunt, ſicut duplicem coniecturalem, aut diffinitiuam non conſtitutionis ſpeciem, ſed modum coniecturalis etiam nos in

**conſulere*

primo poſuimus. Verùm *hanc ſegregandam omnino intelligent, ſi ut etiam ſuperius dictum eſt, diligenter conſiderare uoluerint, omnem ſtatum ab eo quod probatur, fluere ſolere: deinde in ſcripto et ſentẽtia unum ſcriptum affertur, de quo modo fiunt hic plura: quare quum unius & multorum eadem eſſe diffinitio non poßit, diuerſas legitimæ ſpecies has eſſe, nullus dubitauerit.* Præterea *non ſolum ad ueritatem rei, uerùm etiam ad dicendum multum intereſt, unam'ne aut duas putemus.* Nam *in ſcripto & ſententia, unus ſcripto, alter ſententia, ſemper contrarijs in legibus uterque ſcripto eius legis, qua nititur, & ſententia contrariæ legis utitur.* Poſtremo *in contrarijs legibus, etiam is locus incidit, quem* Continentiã Latinè *appellare placet, qui tunc inuenitur, quum aut plura per ſe, aut diuiſione quadam plura ſcripta uidentur.* Locus *autem diuerſus, ſi ab ea re de qua quæſtio eſt naſcitur, quoniam diuerſitatem* eorum quæ probantur oſtendit, aliam conſtitutionis ſpeciem conſtituit.* Quare *contrariæ leges à ſcripto & ſententia diuerſam legitimæ ſpeciem omnino conſtituunt, quæ locis ſcripti & ſententiæ geminatis uno tantum addito, tractatur expoſitione, ſcilicet eius quod præter ſcriptum factum eſſe dicitur, intentione, altera expoſitione, ſcripti altera intentione.* Verum *inſcriptio, ratiocinatio, & diffinitio in contrarijs legibus idcirco rarißimè inueniuntur, quoniam quicquid ex his locis ab uno dicitur, ab altero etiam ſimiliter proferri poteſt, * hæc æqualitatis ratione etiam abſolutio deficit, niſi quum ea lex quæ à defenſore proponitur, eum locum poßidet quem continentiam nominamus, ergo poſt diffinitionem, ut* inſcriptio & ſententia, aſſumptio, repulſio, comparatio, uiolenta diffinitio, infinitio, altera repulſio, deinde qualitas*

Continentia. *rerum Contrariæ leges quibus abſoluantur *hac *in ſcri[pto]

l &

& uoluntas ſequuntur. Locus uerò quem in cõtrarijs legibus inueniri diximus, quem continentiam Latinè, quoniam nos περιέχον dicimus, nominare placuit, poſt comparationem collocabitur, quæ ut dilucidius intelligi poßint, in hoc themate conſyderentur. Lex, Abdicato non liceat quicquam paternarum rerum poßidere. & Lex, Qui tempore tempeſtatis in naui permanſerit, is nauem habeto: abdicatus tempeſtate permanſit in naui paterna. Expoſitio accuſatoris ſic agitur, ut in ſcripto & ſententia: quum ſis abdicatus, rem paternam poßidere non potes. Intentio hic legislatoris eſt, per quam defenſor expoſitionem accuſatoris refutat, dicet enim legem abdicatos hæreditate, ac ſucceßione quadam paternarum rerum priuare filios, ſe non ut filium, ſed ut alienum nauem poßidere. Cui loco ſubiunget alteram expoſitionem, quòd ſcilicet lex iubeat eum nauem habere, qui tempore tempeſtatis in naui permanſerit: huic expoſitioni alteram intentionem opponet aduerſarius (nam id nobis uniuerſaliter præceptum ſit, ſcriptum ſemper quum contra nos eſſe uidetur, intentione, hoc eſt, ſententia, & uoluntate ſcriptoris ſolui debere): hæc igitur altera intentio hic erit, quòd legislator eos uoluit, ſi permanſerint, poßidere qui abdicati non ſunt, & tunc quum alia lex non contradicat, ſequitur indeterminatio, quam & inſcriptionem nominamus. Sed quoniam exæquari uidetur, ut diximus, difficillime inuenitur. Poſſet autem tunc incidere, quum una lex dilucida, altera obſcurior eſſe uidetur, aut cum una lex iudicatis confirmatur, hoc eſt, quòd ea lege plerunque utantur iudices, altera ferè nunquàm: tunc enim huiuſmodi legum diuerſitate, quòd una clarior aut uſurpata ſit, altera obſcurior & uſui parum accommodata, poterunt hi loci

Expoſitio.

Intentio.

Altera intentio.

forta

fortaſsis ita pertractari, ut non uideantur ex utraque parte omnino eadem, ſed diuerſa dici. Ratiocinatio, diffinitio ſimiliter, atque indeterminatio, difficilime ac ferè nunquam incidere poſſunt, quamuis magni oratores etiam quæ difficilia ſunt, orationis ui facilia reddant. Verùm nos quod ars* intentionis oſtendit, non quod grauis orator efficere poteſt, nunc ſequimur. Altera intentio eſt qua ſententia & uoluntas ſcriptoris ab utroque ac in utroque ſcripto inquiritur. Accuſator dicet, ideo legislatorem abdicatum rebus paternis priuaſſe, quòd non dignum putaſſet, turpem ac odioſum patri filium quicquam quod patris eſſet poſsidere. Defenſor, non propter hoc, uerùm ut coacti filij, labore ſuo ſe ipſos ſuſtentare uelint, ut quum ſe ipſos nihil habere intelligant, pericula ſubeant, honeſtum quæſtũ inquirãt, ocium et delicias procul abijciant, quod is fecit. Nam uterque poſt eam intentionem, quam ſcripto accommodat, factum ſubiunget ei conueniens, ut accuſator hic turpitudinem uitæ, defenſor factum periculum ſuum, tempeſtatem breuiter ſupponet. Item ideo ei, qui in tempeſtate permanet, nauem dari iubet, ut nauigantes pericula tempeſtatum libenter ſufferant, & ex hoc quoque pauciores ciues naufragium patiantur. Ex parte accuſatoris huius legis intentio in propoſito themate, uel non incidit, uel infirma eſt. Nam et ſi noluiſſe legislatorem duplici pœna eos affici, qui nauem reliquerunt, conſtat, id tamen dicere præſertim parenti inuidioſum eſt. Si alius ageret, non ueriſimile. Quapropter multo infirmiores etiam cæteræ ſuæ rationes eſſe uidentur, nam qui contrariam legem intentione infirmare non poteſt, is quaſi cõcedere uidetur, illa potius quàm ſua lege utendum eſſe: hæc ſcripti intentio in ſcripto & ſententia ad inſcriptionem afferri ſolet,

*inuentionis

Altera intentio.

Aſſumptio. let,hic ad ipſum ſcriptum. Aſſumptio accuſatoris hic relatiua incidit,& intentioni defenſoriæ opponitur,hoc modo,Sed abdicatus es, & nihil patris poßidere potes, & utetur breui amplificatione per locum communem contra abdicatos. In omni enim relatione aſſumptio loco communi approbatur. Defenſoris aſſumptio, Sed permanſi in naui:in qua comparatiuum quid incidit, Melius atque utilius fuit in naui permanſiſſe, ac ita ſubire periculum, & perpeti tempeſtatem, ut nauis ac ommia quæ in ea erant ſalua ſint, quàm ſi omnia ſimul perdita eſſent. Item, utilius eſſe reipublicæ mihi nauem adiudicarier:hoc enim exemplo,et alij ſuo periculo conabuntur à tempeſtate naues conſeruare:hic tempeſtatis uis magnificè ante oculos ſubijcietur. Repulſio defenſoris ad aſſumptionem accuſatoris per inficiationem prius,deinde per obſiſtentiam refertur,Et ſi is eſſem,quem tu putas,ac ita turpis,ita infamis ut tu dicis,nunquam tamen iure naui ea priuarer,quam ſeruaui,neq; tempus nunc præteritam uitam accuſare, ſed hac de re qua de agitur diſputare,quam tu uirtute,ac labore meo confectam eſſe negare non potes. Accuſatoris repulſio, Alijs in rebus, non in his quæ lege prohibentur uirtutem tuam oſtendere

[Compar]atio. debebas. Comparatio, quodnam ſcriptum legis oporteat potius ſeruare,ſi una iampridem & ſemper, altera nuperrime,uel rarò uſi ſumus, & quæ lata prius:Si hæc à Publicola,illa à Decemuiris:ſi multi hac,pauciores illa utantur: aut ſi hoc pro republica agi conueniens,illud pro priuatis quibuſdam ſcriptum ſit: ſi hæc iuſtior, ac communi iuri, æquo & bono magis conueniens:Si utilius, conducibiliúſque ſit hanc, quàm illam ſeruare, quoniam ſi hæc reuocetur,multa incommoda reſpublica perpeſſura eſt:illa ſi contemnetur, aut nihil, aut multo minus incommodorum adducet.

ducet. Ad comparationem continentia proprius huic ſtatui locus, præter eos qui ſcripto & ſententia attribuuntur ſtatim conſequitur. Continentia *eſt locus, quo diuerſis quibuſdam poſitis ſcriptis diligenter quid contineant, quid contineatur conſideramus, hoc eſt, ſi poſſumus huiuſmodi earum legum naturam oſtendere, ut ſi una obſeruatur, altera etiam ſimul obſeruetur: ſi reuocatur, altera etiam contemni uideatur, hoc modo, Si nauem poßidebo, nulla iſtarum legum deſpicietur, utraque obſeruabitur: permanſi in naui, ſecundum legem eam habebo, quæ iam patris non erat, nec paterna amplius dicenda, ex quo tempeſtate relicta fuit. Verùm quoniam is locus non plane nec aperte in propoſito exemplo incidit, ut eius uis omnis clarius appareat, hoc etiam thema * huius ſcripti ponatur. Lex, Vitiata uirgo uitiatoris aut interitum, aut connubium optet: quidam duas ſimul uitiaſſe dicitur, una interitum, alia connubium optat: hic utranque partem legis integram fore dicet, ſi capite plectatur. Nam hoc modo utraque ulta iniuriam erit: quòd ſi alteram in uxorem accipiet, alteri nullo modo ex lege pœnas dabit, per hunc locum & Abrogatio ac Derogatio conſiderantur, & utrum una iubeat, altera permittat. Nam illa lex, quæ iubet, aut cui nihil abrogatum, aut derogatum fuit, quum plus ualeat, continere eam uidetur, quæ permittit, & cui abrogatum, ſiue derogatum ſit. Quòd ſi quid in continentiam ab aduerſario affertur, non alienum erit utriuſque rei uti collatione, ut ſi humanitatem, & miſericordiam ita continentiæ opponat, ut ſimul conſeruari quoque legem dicat, collatio honeſto & euentu fieri poteſt. Violenta diffinitio continentiam confirmat, hoc modo, Nihil paterni poßideo, non erat hæc nauis quum in media tempeſtate relicta eſſet,*

Continentia.

*unius

Abro[gatio]
Derog[atio]

amplius patris : & ſic ſuum alicuius eſſe dicet, quod in tutela illius ac gubernatione eſt : ſponte, aut deſperatione relictum, alienum eſſe, quod & legislator ſenſit, quum eos, qui nauem in tempeſtate relinquunt amittere iubeat. Item econtra, non poterat non eſſe patris, quod nullius alterius erat. Item, non eſt hoc conſeruare legem, ſed contemnere, ſi uiuus uitiator relinquitur : neceſſe eſt enim ſedeat uitiata deſpecta omnino & abiecta puella, quum nullam ſibi ultionem ſecundum leges factam eſſe uideat. Item econtrario, hoc eſt conſeruare legem, maritum uitiatorem uitiatæ concedere quum optet. Infinitio & cæteri loci, qui in ſcripto & ſententia infinitionem ſequuntur, quum incidunt, ut in aſſumptiuis diximus tractabuntur.

[Ra]tiocinationis [loc]i.

Ratiocinationis hi ſunt loci, expoſitio, accommodatio, ratiocinatio, diffinitio, ſcriptoris intentio, ampliatio, uiolenta diffinitio, comparatio, aſſumptio, quæ ſi incidet, etiam repulſio inuenietur, quam abſolutio ſequetur, deinde qualitas & intentio, quæ ut clarius pateant, breuiter exempli cauſa in hoc themate conſiderentur, In correctionem ciuium, nominatim lædere quos uolebat conſueuerat uetus comœdia, quòd etſi perutile foret, tamen quum uitioſi præualerent, lege cautum eſt ne quis in comœdia ciues amplius nominatim lædat: quidam in imaginem eorum, quos nominare non licebat, hiſtriones perſonatos adducebat, reus fit legis.

[Exp]oſitio.

Expoſitio, lædis ciues contra legem in comœdia.

[Acco]moda[tio].

Accommodatio eſt locus, quo rem noſtram non diſcrepantem à ſcripto demonſtramus, hoc modo, Atqui neminem nominaui, hoc enim eſt quod lege prohibetur.

[Ratio]cinatio.

Ratiocinatio, nil differt, perſonatim ciues uel nominatim lædas, utroque enim modo certa ratione populus cognoſcit quem uituperas, quod legislator fieri noluit. Diffinitio,

pluri

plurimum diſſerunt, & diffiniet utrunque, ut diffiniendo demonſtret quàm hoc ab illo differat, quam diuerſitatem oſtendet, genere, natura, ui, magnitudine, loco, tempore, perſona, opinione, quæ quum in utriſque fundari poßint, à conſequentibus, quoniam ratiocinationem ſequitur diffinitio, tum clariorem, tum uehementionem habebunt uim.

Scriptoris intentio tam accuſatoris quàm defenſoris eſt, et accuſator dicet legislatorē noluiſſe comœdos, quemcūq; ipſi ciuium uellent, iniuſta uituperatione afficere. Defenſor, non propter hanc cauſam latam legem, ſed quoniam perutilis comœdia ciuibus uiſa eſt, non expulſa, ſed prohibita eſt lædere nominatim, ne in æternam memoriam uituperatio ciuium permaneret, aut ne quaſi commentarij uituperationis ciuium comœdia extaret, quæ & ad præſentes, & ad poſteros homines turpem alicuius ciuis commemorationem faceret: Ego autem qui nominatim læſerim neminem, nec à me ſcriptum quicquam reliqui quo aliquis uituperetur, & utilitatem quæ ex reprehenſione fieri ſolet optime omnibus contuli, & nihil unquam contra legem feciſſe uidebor. Ampliatio magnum quid ab reo commiſſum oſtendet. Violenta diffinitio, nihil aliud eſt nominatim lædere, quàm certo ſigno ſignificare quem uituperes, quod tu feciſti. Comparatio, quòd maius etiam ſit eos ciues quos lædere uelis, ita adducere, ut eoſdem ipſos populus uidere exiſtimet, quàm nominare. Aſſumptio hic meo iudicio tam relationis quàm comparationis incidere poteſt. Relationis, ſi uehementer infames eſſe uiderentur, qui læſi ſunt: dicet enim iure reip. uexatores, aut quadruplatores, ſicarios, & huiuſmodi in ſpectaculo uituperatos fuiſſe. Comparationis, ſi conducibilius atque utilius cum reip. ut cæteri à ſimili uitio ſe retrahant, tum etiam ipſis, ut quum ſe intelli

Scriptoris intentio.

Amp

Viole nitio

Com

Aſ

telligant uitijs ſuis ignominiam conſecutos, conentur uirtute infamiam expellere. Repulſio, non hoc modo, ſed accuſatione potius eos à uitijs deterruiſſes, & reipublicæ melius conſuluiſſes. Abſolutio, licet unicuique ut poteſt, uel ut uult, dummodo leges non euertat, quod utile futurum intelligat conficere. Qualitas & uoluntas ſimiliter ac in ſuperioribus. Scimus multos qui Hermagoram imitati ſunt, omni in ſtatu conatos, complures modos excogitare, qui id ſolum mihi agere uiſi ſunt, ut ars difficilior cognitu putaretur, nos eos modos ſolum enodare nitimur, qui ad dicendum perutiles ſunt. Quare, quoniam nonnihil ad dicendum refert (facilius enim inuenire poteris, ſi hæc certa ratione intelligas) quatuor hos modos ratiocinationis memoriæ commendandos duximus, à ſimili ſcilicet, à maiore, à minore, quod antecedere deberet, & à contrario. A ſimili eſt quod propoſuimus, & id quod nunc dicemus. Lex, Qui patrem interfecerit, obuolutus corio deijciatur in profluentem: matrem quidam interfeciſſe conuictus eſt, & eadem affici pœna recuſat. A maiore. Lex, Exulem intra fines deprehenſum liceat occidere, quidam uerberauit ſolum, accuſatur quòd manus intulerit homini. A minore quod antecedit, Deprehenſum adulterum liceat uerberare, adulter uerberatus poſt aliquot dies interit, is qui uerberauit, reus eſt cædis. A contrario, Viro forti præmium quod petit. Imperator deſertorem pugnæ necauit, reus eſt cædis. Hos modos ad dicendum non inutiles putauerimus, quoniam & ad ratiocinationem, et diffinitionem, qua quid quod factum eſt à ſcripto differat inquirimus, & ad intentionem ſcriptoris, ac ad uiolentam diffinitionem inferendam, & comparationem nonnihil afferre uidentur. Quum ſcriptum ambiguum eſſe uidebitur, quod aut redditione, ſiue

Repulſio.

Abſolutio.

Hermagoræ ſectatores.

Quatuor ratiocinationis [modi].

[Ambi]gui loci

ſiue conſtructione ſcripti, aut diuiſione uerbi compoſiti, aut defectu ipſius ſcripti, aut uaria poteſtate uerborum fieri ſolet, his locis utemur, expoſitione, intentione legislatoris, continentia, aſſumptione, repulſione, infinitione, qualitate & uoluntate, quæ in hoc exemplo qualia ſint, breuiter conſyderentur, Meretrix ſi coronam auream habet, publica eſto. Expoſitio in ambiguo duplex eſt, accuſatoria, quæ quid lege faciundum ſit, breuiter proponit, hoc modo, Lex te publicam eſſe iubet. Defenſoria, quæ ambigui naturam ſtatim proponit, non me, ſed coronam. Intentio legislatoris eſt, qua ad utilitatem noſtram ſcriptum exponimus, hoc modo, Atrociter legislator puniendas meretrices putauit. Atrox enim facinus dicet, meretricem huiuſmodi corona ſe exornaſſe, qua ſola utuntur pudicæ. Item è contrario, puniendas putauit, ſed non ita acriter, ut tu exiſtimas: intentionem uterque alijs legibus, natura, more, æquo & bono confirmabit, ut appareat hoc non illud, aut hoc potius ſcriptorem uoluiſſe. Itē ex utilitatis, uel honeſtatis euentu, quòd inhoneſtiſsimum ſit meretricem ſimilem pudicis uideri, quòd etiam inutile, quoniam hoc modo, dum quænam ſit ignoretur, miſceri pudicis poterit, quibus de rebus atrociter eam puniendam cenſuit. Continentia perſpicietur, ſi diligenter cōſyderabimus, quæ ſententia ex his, quæ ſcripto attribuuntur, alteram continet: qui locus in exemplo propoſito accuſatoris eſt, hoc modo, Atqui ſi tu publica eris, & corona unà tecum publicabitur: ſi corona dabitur, ut tantum facinus impune ſuſcipies. Qua de re dicet ſi ita fiet, ut ipſe cenſet, nullo modo iudices legem contemnere poſſe: ſi ut aduerſarij putant legem intelligant, errare ipſos, ac ab intentione ſcriptoris longius recedere. Aſſumptio relationis eſt per locum com-

Expoſitio.

Intentio legislatoris.

Conti[...]

Aſſumpti[...] lationis.

munem contra meretricē. Repulſio, ſufficit ignominia, ſatis eſt quòd infamis ſum, quòd tum à meis, tum à pudicis omnibus expulſa quoniam meretrix, ſatis punita his rebus impudicitia mea. Ad repulſionem ſemper abſolutio ſequi ſolet, niſi quum reus mali ſe quicquam feciſſe confitetur. Non enim poteſt dicere id ſibi licere, quod quamuis leuiore pœna, tamen puniendum eſſe concedit. Infinitio acuſatoris, oportet meretricem, quæ pudicæ ornamentum aſſumit, acriter punire: Defenſoris, miſereri oportet eius, quæ paupertate coacta, ut aliquid acquireret, quo uitam ſuſtentaret, id cauſa eſt, quod nemini obfuit. Qualitas & uoluntas per communes locos, ut in alijs diximus tractabitur, in quibus etiam id conſyderandum erit, ſi legem contempſerit, aut ignorauerit.

Infinitio.

Qualitas & uoluntas.

DE DEPRECATIONE.

HAec paucis dicta de conſtitutionibus, partibusq; earum, ac locis ſufficiant. Nunc huius uoluminis finem faciemus, ſi pauca de deprecatione dixerimus: nam & ſi per ſe in iudicium non ueniat, tamen quia uel apud Imperatorem, uel apud Senatum & omnino apud eum qui ſolutam legibus poteſtatem obtinet, agi facile poteſt, non uiſa eſt prætermittenda, maximè cum ueris cauſis, hoc eſt, alijs conſtitutionibus commodè immiſceatur plerunque, quod Ciceronem in orationibus factitaſſe uidemus. Nam & quum pro Ligario dicit, neceſſitate factum defendit, & deprecatione utitur apertiore, quoniam apud Imperatorem cauſa agebatur: & in diuina pro Milone oratione, tunc ſe demum deprecaturum ait, quum uel hac luce clarius iudices uidebunt Miloni inſidias à Clodio factas. Quare ipſius quidem ſummi oratoris iudicio etiam apud iudices hoc modo deprecatione utemur. Quare ſi hoc eum feciſſe

[dep]recationis [..]s.

ciſſe conſtaret iudices, tamen pro ſummis eius in remp. beneficijs ignoſci ei conueniret: nunc uerò cum nihil tale ab eo factum uobis probatum ſit, dubitatis iudices eum innocentem abſoluere, quem ſi palàm deprehẽſus fuiſſet ob merita ſua liberare non dubitaueritis? Quam quidem deprecationem, & ſi per totam nonnunquam orationem tangat Cicero, ut quum Milonem defendit factitare uidetur, tamen cum animaduertimus poſt ea firmamenta quæ ab alijs afferuntur conſtitutionibus, deprecationem plerunq; collocare ſolere. Omnis uerò deprecatio tum commodius tractari poteſt, quum pro forti uiro dicendum eſt, cuius beneficia uel in rempub. uel in eos ipſos qui audiunt, nonnulla extiterunt, ex quo etiam ſpes amplior futuræ uel utilitatis, uel laudis haberi poterit, ſi in eum animaduerſum non fuerit. Quòd ſi nulla eius extant beneficia, uel ab his rebus, quas maiores ſui magnificè geſſerunt, uel ab amicorũ, agnatorũ, affinium uirtute deprecari poterimus: quumq; uel ſua, uel ſuorum beneficia cum amplificatione dixerimus, inferemus ut dictum eſt, præſertim ſi apud iudices res agitur. Quem igitur meritis ſuis, ſi culpa teneretur, abſolu[illegible]itis, eum innocuum condemnabitis? Nam, ut diximus, in iudicium nunquam per ſe crebrò cum alijs* habita ſtatibus ueni re ſolet. Omnis ergo Deprecatio quæritur extenuatione, uoluntate, cõparatione, attributione, euentu, commiſeratione. Extenuatio eſt, qua dabimus operam ut minora uideantur quæ fecimus, quàm ut multi credunt, aut aduerſarij dixerunt. Voluntas eſt, quum quærimus qua ſententia factum ſit, quòd non odio, neque crudelitate, ſed humanitate uel ſtudio, uel recto quodam officio, ut ſi dicas gratum te eſſe uoluiſſe, ac ob ſua in te uel alicuius merita negare non potuiſſe. Comparatio eſt, quum quærimus noſtra, aut maiorum

*adl[illegible] a quib[illegible] gemi[illegible]

iorum noſtrorum, amicorum, agnatorum, affinium collata in rempub. aut in auditores beneficia ea, uel maiora, uel plura ijs quæ deliquimus affirmare conamur. Attributio ex *his locis captatur, quos perſonis attribuimus.* Ea *eſt duplex, nam partim ea quæ reo, partim quæ auditori attributa ſunt, per eam diligenter conſyderamus.* Ex *ijs quæ auditori attribuũtur, deprecabimur, ſi eum miſericordem, ac humanum fuiſſe ſemper, magnamq́; laudem ex ea re conſecutum dicimus, ut pro* Ligario Cicero, *Nulla de uirtutibus tuis plurimis, nec admirabilior, nec gratior miſericordia eſt: homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quàm ſalute hominibus danda, &c.* Sed *ex his quæ reo attribuuntur dicemus, ſi nobilitatem generis, dignitatem amplitudinemq́;, tum ſuam, tum eorum qui pro reo rogant, oſtendemus: ſi eum miſericordem in poteſtatibus, patientem in periculis, omnibus in rebus uirtutem obſeruaſſe, ſi aut nunquam, aut perraro lapſum: deinde non eſſe mirandum ſi ſemel humana imbecillitate errauerit, ſi nunquã ſibi plurimum arrogaſſe, ſed mitem, manſuetumq́; fuiſſe, nunc autem & ita ſupplicem eſſe dicemus, ut clarè appareat in ijs ipſis qui ſibi ignoſcere poſſunt, totam ſpem habere.* Euentus *conſyderabitur, ſi nihil ab eo periculi futurum demonſtretur, ſi qua ſpes erit uſui futura, ſi nulla uituperatio à ſubditis, ſocijs, alijsq́; ciuitatibus ſequetur, ſi laudem aliquam conſequemur, ſi ſine ſupplicio diſceſſerit.* Commi*ſerationis præcepta ſuo loco dicentur.* Quare *oportet omnia inde quæ ad miſericordiam captandam pertinent ad cauſam noſtram transferre:* Si *quis uero eſt aduerſarius eius qui deprecatur, omnibus his locis in contrarium conuerſis utetur.* Sed *huius uoluminis modus nunc ſit, cætera in tertio proſequemur.*

SECVNDI LIBRI FINIS.

GEORGII

TRAPEZVNTII RHETORICORVM LIBER TERTIUS.

DE ARGVMENTATIONE.

QVONIAM *in ſecundo libro, conſtitutionum, earumq; partium locos, quos* κεφάλαια *nos, hoc eſt, capitula, dicere ſolemus, quàm breuiter & dilucidè fieri potuit, explanauimus, nunc reliquum eſſe uidetur, de argumentatione pauca diſſerere, quæ pars ita neglecta eſt ab omnibus huius artis ſcriptoribus, tam* Latinis *quàm* Græcis, *ut penè temporibus noſtris omnino ignoretur: quam quidem partem, non quòd inutilem putarēt (nam omnes ferè nihil utilius in hac arte inueniri poſſe confirmant) uerum quia ita difficillimum eſt, id quod à loco inueneris comprobare firmiter, expolire ornatè, abſoluere expolitè, ut uix ſatis apertè doceri poßit, aut omnino prætermiſſam, aut ſolum ab antiquioribus tactam argumentationem arbitramur:* Nos *autem, non quòd multum nobis attribuimus, diligentius hanc rem tractare conſtituimus, uerum ut uiam, qua multo plura cæteri inquirant, aperiamus.* Primo igitur *dabimus operam ut argumentationis ſpecies, quibus oratores utuntur appareant, & quomodo unaquæque tractetur, non ignoretur. Hæc enim res facit, ut neque diutius quàm opus ſit eiſdem in locis commoreris, neq; inchoatam argumentationem relinquas, nec eôdem*

identi

identidem reuoluaris, nec ad aliam incompoſite tranſeas. Deinde diuiſionem, ſiue demonſtrationem locorum tangemus breuiter, quã Græci περὶ διαιρέσεως ϗ ἀποδείξεως uocant, quam inuentionis partem omnes maximam appellant, docet nemo, niſi cum principalibus locis coniunctim. Verum de his ſatis. Nunc ad rem ueniemus, ſi id primo dicamus, principales locos hic à nobis appellatos eſſe, quos Græci autores, ut diximus, κεφάλαια nominant: alios quos Latini uulgo locos appellant, ut confuſionem in dicendo effugiamus, approbatiuos, ſiue ſecundarios appellabimus. Locus principalis eſt propoſitionis ſedes, uel unde ad propoſitam cauſam conueniens trahitur propoſitio. Locus approbatiuus eſt argumenti ſedes, uel unde ad inuentam propoſitionem conueniens trahitur argumẽtum.

rgumenta- & eius mo

Argumentum eſt, ratio rei dubiæ faciens fidem. Argumentatio eſt argumenti per orationem explicatio, eius decem ponimus modos, quibus oratores utuntur, complexionem, enumerationem, ſimplicem concluſionem, ſubiectionem, ſummiſsionem, oppoſitionem, uiolationem, inductionem, collectionem, ratiocinationem.

lexio.

Complexio eſt argumentatio, in qua utrum conceſſeris reprehenditur, hoc modo, Quia Demoſthenes dederat conſilium Athenienſibus quòd inirent bellum contra Philippum patrem Alexandri, uictiq; fuerunt, & Aeſchines contra eundem proponit ſuo conſilio multa eueniſſe damna, Demoſthenes dicit, Aut præſens tunc fuiſti aut non, ſed quia præſens, debebas contradicere aut tacere, tacuiſti: Aut igitur ſciebas quod futurum erat, aut non: ſi ſciebas, quare in conſilio quod utilius fore uidebas non exponebas? Sin neſciebas, quare alios accuſas, qui eadem, qua tu inſcitia impediti ſunt, ne quid futurum eſſet perſpicerent? in hac

com

complexione, quam nos διλήμματον, id eſt, duas propoſitiones appellamus, maxime oportet inter ſe oppoſitas eſſe interrogationes, & ad ſoluendum aduerſarijs minime faciles, ut quum auditores perſpiciant, neceſſe eſſe aduerſarium alterum eorum concedere quæ proponuntur, facile hac ex re conuictum eum ſuſpicentur, ex complexione una concluſio ſequatur oportet, ut in ſuperiore patuit exemplo. Sequitur enim accuſandum eum non eſſe, qui quod utile fore putauit, id populo perſuaſit. Item, quid oportet ijsdem de rebus ſæpius dicere? Nam ſi meminiſtis obtundam, ſin obliti eſtis, quum re nihil egerim, quid eſt quod uerbis efficere poßim? Quòd ſi non eadem concluſio, ſed diuerſæ ſequerentur, aut ſi quæ proponuntur oppoſita non eſſent, complexionis quidem formam, ſed non uim haberet oratio: quam orationem quoniam nos διλήμματον σοφιςικὸν appellamus, Latinè deprauata dicatur complexio, qua tamen quum ueram complexionem res non patitur, uſi ſunt clarißimi oratores, uel ut aduerſarios terreant, uel ut iudicibus facilius argumentationis forma fidem faciant, ut Cicero pro Plancio, Quos tu ſi ſodales uocas, officioſam amicitiam nomine inquinas criminoſo: Sin quia gratioſi ſunt, accuſandos putas, noli mirari te, id quod tua dignitas poſtularit, repudiandis gratioſorum amicitijs, non eſſe aſſecutum. Complexio ſi uera eſt, nullo modo reprehendetur: ſin falſa, duobus modis, conuerſione, alterius partis reprehenſione confutabitur. Conuerſione hoc pacto, Hic tibi accuſandus non eſt: nam ſi ueretur, quid eum accuſas qui probus eſt? Si non ueretur, quid eum accuſas, qui id parui exiſtimet? quod per conuerſionem confutabis ſic, Com[...]

Immo

Immo hic mihi accuſandus eſt. Nam ſi ueretur, propter accuſationem ſe corriget: ſi non ueretur, tunc accuſandus, quia improbus. Alterius partis reprehenſione, hoc modo, immo quoniam ueretur, ideo accuſandus, ut ſe corrigat. Item ex alia parte, immo ſi non ueretur, accuſandus eſt, quoniam improbus. Veram autem complexionem, quæ nunquam uere reprehenditur, eam opinamur, in qua ea quæ opponuntur, & uera, & inter ſe oppoſita ſunt, & idem ex utriſque manifeſte conſequitur, ut illa ſuperior, Non ſum accuſandus tibi, ſi aliter euenit, quàm ego putaueram: nam ſi ſciebas id non profuturum, tu potius accuſandus es, qui quod reipublicæ utile uidebas, præſens conticuiſti: ſin neſciebas, adhuc accuſandus tibi non ſum, quum & tu eiuſdem futurorum inſcitiæ reus ſis. Enumeratio eſt argumentatio, in qua plurimis rebus expoſitis, ac cæteris infirmatis, una reliqua neceſſariò confirmatur, hoc modo, Si illum dicis ab hoc occiſum, quum ſine cauſa nunquam ſuſcipiatur maleficiũ, neceſſe eſt, aut metu, aut odio, aut ſpe alicuius commodi, aut amici cuiuſdam gratia ab hoc eſſe occiſum. Quòd ſi nihil horum fuerit, ab hoc non eſſe occiſum conſtabit: ſed neque odium neq; metum, nec ſpem aliquam, nec ad aliquem amicum iſtius, mortem illius pertinuiſſe probare poteris. Relinquitur ergo, ab hoc non eſſe occiſum. Hæc argumentatio, ſi omnes rationes, quibus aliquid fieri poteſt, uere comprehenderit, refutari non poteſt. Refutatur autem duobus modis, aut quum aliquid dicitur præteritum, quod concedere uelimus, aut quum aliquid eorum, quæ dicta ſunt ita infirmum ſit, ut contradici poßit, hoc modo, Quoniam hunc fundum conſtat meum fuiſſe, quem nunc tu poßides, neceſſe eſt, aut hæreditate tibi ueniſſe, aut te hunc emiſſe, aut uacuum poſſediſſe, aut

Enumeratio.

uſu

uſu tuum feciſſe, aut me inde ui eieciſſe: me uiuo, mea res tibi hæreditate uenire non potuit, emptio nulla profertur, uacuum, quod meum conſtat fuiſſe, poſſediſſe, non potes, uſu tuum non feciſti. Relinquitur ergo, *ut tu me ui à mea poſſeßione eieceris.* Hic *cæteris conceßis, tamen quod ſequitur negari poterit, Si dono ſe ab eo ipſo habuiſſe oſtendet, quod in enumeratione præteritum eſt:* Aut *ſi aliquam enumerationis partem negabit, ut ſi emiſſe ſe ab eo dicet, idq́; oſtendere poterit.* Simplex *concluſio eſt argumentatio, ex qua ex eo quod antecedit, aliquid conſequi neceſſe eſt, hoc modo, Si hominem eo tempore in prouincia conſtat occiſum, quo iſte hic nobiſcum erat, relinquitur neceſſariò ab hoc non eſſe occiſum.* Simplex *concluſio duobus modis infirmabitur, aut enim id quod antecedit, negabitur: aut eo conceſſo, conſecutio ſibi non cohærere dicetur.* Negatur *quod antecedit, ſi ſuperiore in exemplo dicat aduerſarius, eum hic nobiſcum non fuiſſe: conſecutio neceſſariò non cohæret, hoc modo, Si mater eſt, diligit filium: at* Medea, *dicet aduerſarius, filium interfecit.* Quare *oportet & id quod antecedit, uerum eſſe, & concluſionem neceſſariam ad illud conſecutionem habere.* Non *ignoro, plura & ſubtiliora poſſe ad hanc rem præcipi, ſi quis ex dialectica ad hanc dicendi facultatem, præcepta transferre uellet: uerùm quantum ad oratoris uſum pertinet, his quæ dicta ſunt contentos eſſe oportebit.* Cætera *ex* Topicorum *doctrina transferre licebit.* Verùm *hos tres argumentationis modos, quorum unus bipartita diuiſione, alter partium enumeratione abſoluta, tertius ex eo quod uere antecedit, conſecutionem inferunt, non facile reprehendi poſſe opinamur, ſi recte confecti ſunt.* Quare *quum eorum quæ dicimus, nonnulla ita ut dicuntur eſſe neceſſe*

Simplex concluſio.

ſit, multa probabilia uideantur, quæcunque in neceſſaria demonſtratione uerſantur, aliquo iſtorum generum potiſſimum abſoluemus: Quæ probabilia uidentur, reliquis argumentationis generibus exornabimus, quod tamen nonnunquam contrà factum à clariſſimis oratoribus inueniri confiteor. Nam quemadmodum his tribus generibus, quæ in neceſſarijs uerſantur, deprauatè, hoc eſt, ut clarius Græ-

Sophiſticè. cè loquamur, ſophiſticè in probabilibus nonnunquam utuntur, ut quum de complexione docebamus, latius dictum eſt: ſic etiam quamuis rarò neceſſarias rationes alijs quàm his quæ prædiximus argumentationis generibus ab oratoribus tractari uidebis, quod tamen ſine ratione fieri non arbitror. Nam & res nonnunquam adeò late diffuſa eſt, ut breuiter ad ſuperiora genera colligi non poſſit, & auditores huiuſmodi, ut parum proſit ita dicere ut res expoſtulat. Non enim, ut cæteræ facultates, hæc diuina dicendi copia rem ſimplicem ſolum conſiderat, ſed hoc ſuum eſt, ut unà cum re, locorum, temporum, perſonarum, non paruam habeat diligentiam. Is enim bene dicit, qui non ut res ſolum, qua de agitur, uerum ut res cæteris annexa circunſtantijs ſimul expoſtulat, omnia complectitur. Sed de his hactenus (nec enim ad hoc propoſitum, ſed ad grauitatem dicendi pertinent) nunc de reliquis agamus.

[Subi]ectio. Subiectio eſt argumentatio, in qua quærimus, quid pro aduerſario, aut contra nos dici poſſit, deinde per ſingulas interrogationes propere ſubijcimus rationem, qua id, quod dictum eſt, non ita eſſe oſtendimus, hoc modo, Quæro igitur unde iſte ex tenui tam pecunioſus factus eſt: patrimonium ſibi amplum relictum eſt? At patris bona uænierunt: hæreditas aliqua euenit? at ab omnibus ſuis exhæredatus eſt: ex mercatura, quam agere conſtituit, quæſtum maximum

mum conſecutus eſt? At ex ea re, ea etiam quæ habere uidebatur, omnino amiſit: quare ſi his honeſtis rationibus locupletatus non eſt, relinquitur eum unde non oportuit ſurripuiſſe. Is dicendi modus, quando neceſſariam imitatur rationem, uehementer enumerationi ſimilis eſt. Nam hic facile omnibus quæ interrogatione dicta ſunt ſimul prolatus, deinde ablatis cæteris, ſi poſtremum reliqueris, enumerationem conficies, hoc modo, Quoniam ex tenui pecunioſus factus es, neceſſe eſt ut aut aliquod patrimonium tibi relictum ſit, aut hæreditas aliqua euenerit, aut ex mercatura ingentem quæſtum conſecutus ſis, aut unde non oportuit ſurripueris: patrimonium nullum habuiſti, à neceſſarijs omnibus exhæredatus es, ex mercatura multa damna perpeſſus es, ergo unde non oportuit ſurripuiſti. Quare imitatur quidem enumerationem, non tamen neceſſariò ut illa rem non aliter eſſe arguit, niſi ea quæ melius enumeratione dicerentur, ſubiectione expedirentur. Quare non dicendi quodam genere ſolum hanc ab illa differre arbitramur, uerùm etiam quòd enumeratio ſemper ſi bene fit, neceſſariam conficit concluſionem, hæc non ſemper. Præterea illam, niſi res patiatur ut rationes omnes quibus res fieri poſſit, facile comprehendas, nunquam uere conficies: hanc, ſi ſolum hæc quæ ad rem pertinent tollas, interrogando commode pronunciabis, hoc modo, Quum tanta multitudine Numidarum circundatus eſſem, quid me facere oportuit? dimicare? at cum parua manu prodiremus. Virtuti militum confidere? at locorum anguſtiæ ab hoſtibus occupatæ uti uirtute milites non ſinebant. Sedere in caſtris? at exercitus ſiti et fame conficiebatur. Caſtra relinquere? at obſidebar. Vitam militum negligere? at id magno detrimento reip.

ſuturum exiſtimabam. Iugurthæ *conditiones repudiare? at aliter ſalutem dare militibus non poteram.* Perutilis *hic eſt dicendi modus*, Nam *cum locorum, temporum, rerumq́; rationes, & cauſas omnes ante oculos ponat, facit nonnunquam ut etiam quæ probabilia ſunt, neceſſaria eſſe uideantur.* Quare *ille fons omnium dicendi generum* Cicero *& frequenter hoc utitur, & poſtremas duas interrogationes nonnunquam per complexionem complectitur, ut pro* P. Quintio, Appellandi *tempus non erat? at tecum plus annum uixit.* In Gallia *agi non potuit? at & in prouincia ius dicebatur, &* Romæ *iudicia fiebant.* Reſtat *ut aut ſumma negligentia tibi obſtiterit, aut inuita liberalitas? ſi negligentiam dices, mirabimur: ſi liberalitatem, ridebimus.* Sequebatur *enim, ſi per ſubiectionem dicere uoluiſſet,* Negligentia *tibi obſtitit?* At *mirum erit, ſi te unquam in exquirendis pecunijs dices fuiſſe negligentem* Liberalitas *impedimento fuit?* At *ridiculum eſt te liberalem nunc dicere, qui ſemper auarè uixiſti:* Verùm *ut uehementior ſimul ac uelocior eſſet oratio, ſubiectionis ultimas iſtas duas partes in complexionem conuertit, quod non in his ſolum, uerùm etiam in alijs ferè omnibus tum uehementiæ, tum ut ſe citius oratio expediat, tum ut uarie dicat, tum ſuauitatis, tum grauitatis ornatusq́; cauſa, tum etiam ùt iudices excitet, diuinitus ſolet facere.* Sed *de his aliâs.* Subiectio *duobus modis reprehendi poteſt, aut quum aliquid prætermiſſum eſſe dicitur, aut quum unum eorum*
miſsio. *ſatius facere fuiſſe confirmamus.* Summiſsio *eſt argumentatio, in qua noſmetipſi à nobis petimus rationem quare quidque dicamus, quod genus commode conficietur, ſi crebrò uniuſcuiuſq; rationem petamus, hoc modo,* Athenienſes *magnam philoſophiæ operam dare uoluerunt.* Quare *ſic?*

quo

quoniam recte intellexerunt liberales artes ſummè omnium appetendas eſſe. Cur ita? quoniam per eas ij efficimur, ut quanto natura hominis cæteris animantibus excellit, tanto nos indoctis hominibus antecellamus. Quare hoc? quia ingenium noſtrum niſi arte, doctrináq; excolatur, rude ac omnino ſui ipſius diſsimile eſt. Quare ſui diſsimile? quoniam cum eruditus ſis, natura ingenij multo acutior eſt, quàm eſſet ſi omni eruditione carere uoluiſſes. Vnde hoc? quia principia quædam quaſi ſemina natura nobis impoſuit, quæ niſi cura, ſtudio, labore, ac uigilantia germinare feceris, parum ingenij bonitate fruere. Mirum quòd ſic natura factum ſit: recte factum inquam: quamobrem? quoniam uoluit nos non ut beluas ſine labore perfici, ſed induſtria & opera noſtra æternitatem mereri. Hæc argumentatio & auditores facile aſſentire facit, cum nihil in ea dicatur, cuius rationem non ſubijciamus, & feſtiuitatis crebra tum interrogatione, tum reſponſione habet plurimum. Quare illis ſuperioribus quum exuſcitare auditores, aut quum uehementius dicere uolumus: hac, cum feſtiua attentione opus ſit, diligenter utemur. Inuenitur tamen & duabus interrogationibus abſoluta, ut Cicero pro P. Quintio, Non fuit cauſa cur poſtulares. Quî hoc intelligi poteſt? quia Sext. Neuio neq; ex ſocietatis ratione, neque priuatim quicquam debuit Quintius: quis huic rei teſtis eſt? idem qui acerrimus aduerſarius. Summiſsio reprehendetur, ſi una plures'ue rationes infirmabuntur: uerùm ſi ſtatim ea ratio quæ primo loco expoſita eſt, aut improbatur, aut omnino uera eſſe negatur, nil aliud amplius quærendum eſt. Quòd ſi aliqua de his quæ poſtremum locum obtinent refutatur, facile cæteras ſi opus fuerit, uſque ad propoſitionem ipſam regrediendo infirmabis. Op-

Oppoſitio. poſitio eſt argumentatio in qua ex oppoſito propoſitionis ad ipſam propoſitionem reuertimur, hoc pacto: quoniam dies eſt, oportet operari: hoc iam propoſitum eſt, huius oppoſitum deinde capiatur, hoc modo, Nam ſi nox eſſet, quieſcere oporteret: deinde propoſitum inferatur, Nunc autem quum dies ſit, operari oportet: cuius exemplum etiam in ciuili cauſa hoc ſit, Oportet nouo exemplo cõtra Cymbros C. Marium imperium continuare. Nam ſi pax eſſet, & nullus nos ad nouas excogitationes cogeret, liceret autem omnia nobis facere quæ uolumus, nunquam ego uobis innouandum Quirites aliquid dicerem contra exempla, atque inſtituta maiorum. Contentus enim eſſem ijs moribus, ijs legibus, eaq́; conſuetudine, quæ nobis à patribus noſtris tradita eſt: nunc autem quum bellum acerrimum ſit, & hoſtes Italiam deuaſtent, quotidieq́; propius ueniant, ac urbi iam imminere uideantur, is qui omnibus Imperatoribus antecedit, C. Marius, uel contra inſtituta ciuitatis (ſilent enim leges inter arma) ut nos liberet, nouo quodam exemplo, hoc etiam anno conſulatum, ac imperium contra Cymbros accipiat: hæc oppoſitio inter alios modos argumentationis perutilis eſt. Nam tum acrimoniæ, tum ornatus, & dignitatis habet plurimum: multis etiam modis tractatur. Non ſolum enim productione ſpiritus, ut in hoc quod expoſuimus, ſed circuitu, & omnibus ferè dicendi modis profertur: circuitu ut in propoſito exemplo conſiſtamus, hoc modo, Etenim quæ nunquàm faceremus, ſi pax eſſet, hæc nobis quum bellum ſit, neceſſariò ſuſcipienda uidentur. Oppoſitio à ſimplici concluſione differt, quoniam in ſimplici concluſione res ſolæ, quæ prætermitti non poſſunt, proferri ſolent: in oppoſitione, maximè ea quæ per productionem ſpiritus, quam nos πνεῦμα

[margin: …tio quid …ici con… …e diffe…]

μα

μα nominamus, dicit, plures ſemper tum grauitatis, tum ſuauitatis cauſa, quæ in ſimplici concluſione ponendæ non ſunt propoſitiones accipiuntur, hoc modo, Si ego eo tempore, quo me hominem hic occidiſſe dicitis, in prouincia fui, relinquitur hominem eum à me occidi non potuiſſe: hæc ſimplex concluſio eſt, quæ fiet oppoſitio, hoc modo, Si ego hic fuiſſem eo tempore quo occiſum hominem eſſe conſtat, fortaßis iudices illum à me occiſum ſuſpicaremini: nunc autem quum eo tempore in prouincia fuerim, nihil eſt iudices, quo à me occiſum hominem ſuſpicari poſſitis: hoc iam plurimum ab illo ſuperiore differt. Quare quum diuerſo tractentur modo, diuerſos modos etiam argumentationis hoc dicere placuit, præſertim quia multo clarius ad præcipiendum ſit oppoſitionem à ſimplici concluſione ſeparare: quamuis etiam in hoc differant, quòd ſimplex concluſio etiam per contrarium infertur, hoc modo, Qui ſibi ipſi nunquam profuit, eum quomodo alijs profuturum ſperes? Sed ex hoc oppoſitionem facies, ſi duo membra ſibi addideris: quare patet illam bimembrem, hanc ſi productione ſpiritus conficitur, quadrimembrem eſſe: quæ uerò per circuitum profertur oppoſitio non facile uidetur in quo à ſimplici diſtet concluſione, quæ circuitu pronuncietur, niſi quòd uehementior ſimplex concluſio eſt, exornatior oppoſitio: & hæc latius patet, illa tum conſtat, quum ex eo, quod dictum eſt, aliquid conficitur: Si quis tamen nihil differre putabit, ac penitus oppoſitionem ſimplicem concluſionem eſſe arbitrabitur, ego de nomine non diſputo, dum tractatio, ut facilius hæc conficere poßis, diuerſa eſſe intelligatur. Præterea non ignoro multos hæc, de quibus dicimus, in numero exornationum ponenda putaſſe, nos ab exornationibus ſeparauimus, πνεῦμα

m 4 non

non quia non exornent orationem,ſed quoniam concluſionem commodiſsime inferunt, quod argumentationis proprium eſt. Oppoſitio quatuor modis reprehenditur, aut quum propoſitum aliqua ex parte infirmatur, uel etiam omnino negatur,ut ſi quum dicitur,quoniam dies eſt, operari oportet,pars aut totum infirmaretur: aut quum propoſiti oppoſitum non huiuſmodi eſſe comprobatur: aut quum oppoſitum quidem eſſe conceditur, & tamen aut infirmatur, aut etiam omnino negatur faciundum eſſe, ut ſi concederes in die operari oportere,nec propter hoc in nocte omnino quieſcendum contenderes, non quòd totum toti oppoſitum non ſit, uerùm quoniam fieri non oporteat, quod tum utili,tum honeſto, & exemplis approbabis:Aut quum concluſio ex his ſequi negatur. Hunc dicendi modum,tunc etiam opportune occupare poſſe uidemur,quum quod ſequitur tollitur, ut quod antecedit, auferatur. Nam in ſuperiore ex oppoſito, non ex negatione, quod antecedit negare ſolemus: quòd ſi ad idem redeat, tamen quoniam quæ propoſito & oppoſito accommodantur, inter ſe modo aliquo opponi debent,propoſiti oppoſitum, ſi inuenitur,non negatio ponenda eſt.ſic enim & æqualis erunt ambitus tam propoſitum & oppoſitum, quàm accommodata inter ſe, quum ſolum ille modus neceſsitatem adducere uidetur. In altero modo dum,uel æquale, uel maius conſequens ſit, ſufficit. Quare perfectus oppoſitionis modus quatuor in terminis fit,alter in duobus repetitis,in duo & repetitione ſuperſedere autores inueniuntur, quod ad ſimplicem concluſionem redire uidetur.Violatio eſt modus argumentationis, in quo ex aduerſariorũ ratione,nõ id quod ipſi uolunt, ſed quod pro nobis eſt, ſequi demonſtramus. Hæc in confutatione ſolum adhiberi poterit, in quo maxime

Oppoſitio quibus modis negetur.

Violatio.

me differt à ſimplici concluſione. Hunc inferendæ concluſionis modum, idcirco Latinè uiolationem appellauimus, quoniam nobis non facile in refutando quicquam inueniri poſſe uidetur, quod maiore ui aduerſarios urgeat: Præterea nos Græcè βίαιον appellare ſolemus, quod nomen apud Latinos forſan rectè uiolẽtum interpretatur. Verùm quoniam ad ſoluendas rationes aduerſariorum nihil utilius uiolatione uidetur, ea nobis quærenda ſemper maximo ſtudio eſt. Nam quum inuenitur, ita breuiter uulnerat aduerſarios, ut nihil amplius ad argumentum id refutandum nobis opus eſſe uideatur. Hæc eſt huiuſmodi: ſi quis diceret, non eſſe adhibenda connubia, quòd hac ex re, aut uxore, aut filijs mortuis luctus plerunque accidat maximus, potes, quum inficiatione uſus fueris, quòd huiuſce luctus, non connubium ſed fortuna ſit cauſa, uiolationem inferre, quòd ſcilicet connubium non modo hæc non inferat incommoda, ſed etiam ducta alia uxore, alijs procreatis filijs, huiuſmodi à nobis luctus expellat, quod ut clarius pateat, exemplo quoque Ciceronis utemur, Q. Catulus non præficiendum bello Mithridatico Pompeium cenſebat, ne in uno, qui natura humani generis breui moriturus erat, omnia ponerent: Sed Cicero ideo magis in eo ponenda ducit omnia, quòd breui moriturus eſt. Sed ipſius Ciceronis uerba hic interponere commodius eſt, Sed in hoc ipſo (inquit) ab eo uehementiſſime diſſentio, quòd quo minus certa eſt hominum, ac minus diuturna uita, hoc magis Reſpublica dum per deos immortales licet, frui debet ſummi hominis uita atque uirtute. Nam hic Cicero ratione ipſius Q. Catuli, in eo ipſo Pompeio dum uiuit omnia ponenda eſſe arbitratur. Violationem ab alijs ſeparauimus, & ſi aliqua earum ſemper tractetur, ut quid ſit, quoniam perutilis eſt,

τὸ βίαιον.

facilius teneatur. Hic modus à pugnantibus differt, quoniam ibi rationes aduerſarij inter ſe pugnare demonſtrantur, hic quod pro nobis eſt, ſequi aperitur. Violatio refutatur, ſi eius rei potius cauſa, quàm huius, id quod diximus, oſtenditur, quod ne accidat rationibus quoque nonnunquam firmanda uidetur. Inductio eſt argumentatio, quæ rebus non dubijs conceßis propter ſimilitudinem, rem quæ dubia erat comprobat, ut ſi prætor, quoniam ægro conſule, ipſe contra hoſtes exercitum ductitauerit, atque uicerit, æquè ſibi ac conſuli triumphum decertni uellet, hoc modo non dubijs rebus à prætore conceßis, per ſimilitudinem non ita fieri oportere ab eo ipſo aduerſario conſul extorqueret, Dic mihi prætor, ſi uarijs ſentẽtijs pugnandum nec'ne, illo die inter nos diſſenſiſſemus, cuius ſententijs ſtaretur? Non eſt dubium, inquies, quin conſulis: quòd ſi diuerſa fuiſſent auſpicia, & mea quidem pugnandum eo die ſignificaſſent, tua cauendum eſſe ab hoſtibus, meis'ne auſpicijs pugnandum fuiſſet, an tuis quieſcendum? meis ſcilicet, qui conſul fui, parendum fuiſſe dices. Age uerò, ſi ſententia mea, meiſq; auſpicijs pugnatum proſpere eſt, æqu...m'ne tibi eundem te honorem ea ex re aſſequi uidetur, cuius nec ſententia, nec auſpicijs quicquam actum eſt? Hic neceſſe eſt, ut uel taceat aduerſarius, uel uictum ſe eſſe confiteatur. Hoc deinde genere Plato plurimum uſus eſt, hoc & oratorem plurimum iuuat, ſi commodè, & quum res poſtulat eo utimur. In hoc genere primum cauendum eſt, ne ea quæ propoſita ſunt huiuſmodi ſint, ut iure negari poßint, deinde ut manifeſte ſimilia ei ſint quod inferre uolumus. Nam parum proderit huiuſmodi eſſe ut concedantur, ſi propter dißimilitudinem eò peruenire non poteris, quò uoluiſti. Poſtremo ſi ipſum aduerſarium interro

Violatio quid à pugnantibus differat.

Inductio.

...du-...

...ſis.

*terrogamus, utile erit repentina quadam interrogatione ipſum aggredi, ne ſentiat quem ad finem illa tendat interrogatio. Nam ſi ſentiet aut non reſpondendo, aut malè reſpondendo inductionem ulterius peruenire non ſinet. Quòd ſi dubitares ne peruerſe reſpondēdo concludi non ſinat, inductione poteris ad ipſos iudices orationem conuertere, ac ſimiliter quid faciēdum eſſet interrogare, deinde per te reſponſionem afferre rei non dubiæ: Demum ſi utile uidetur, cuncta per concluſionem colligere. Verum in hac interrogatione ſemper ferè ſibi orator reſpondebit, niſi quum in altercatione eſt, ubi proprius locus inductionis eſſe uidetur. Ex his iam patet inductionem tribus potiſſimum modis reprehendi poſſe, aut ſi quum intelligis quò peruentura eſt oratio, caute reſpondendo, aut non reſpondendo concludi non ſinas, aut ſi aliquid plura ue eorum, quæ proponuntur ita infirma ſunt, ut iure negari poſſint, aut ſi conceduntur quidem, uerum ei rei diſſimilia eſſe aſſeruntur, propter quam inducta uidentur. Collectio eſt argumentatio perfectior, quæ rationibus & * expoſitione abſoluitur, hæc in quinq; partes diſtributa eſt, propoſitionem, rationem, rationis confirmationem, expolitionem, et concluſionem. Propoſitio eſt, per quam ſummatim oſtendimus, quid ſit quod probare uolumus. Ratio eſt cauſa, quæ demonſtrat uerum eſſe id quod propoſuimus. uno uel pluribus argumentis. Rationis confirmatio eſt, quæ rationē expoſitam corroborat. *Expoſitio eſt, quæ rei collocupletandæ, ac honeſtandæ cauſa uehementius ſumitur. Concluſio eſt, quæ poſtremo diffuſius dictas breuiter colligit partes argumentationis, hoc modo, Quoniam breuiter docui iudices, qua de cauſa ſemper Vlyſſes interitum Aiacis optauerit, nunc ne quid nobis*

Collecti eius parte[s]

*expo[litio]ne

*Exp[olitio]

nobis impedimento ſit, quin ab hoc eum interfectum, uel hac luce clarius uideatis, potuiſſe quoque quod deſyderauerit facile perficere, quàm breuiſsime potero, uobis aperiam. Nam is, quum ſine ſocijs ſolitudines acerrimum uirum petere uideret, tunc denique cogitauit poſſe incautum opprimi. Etenim cum arborum frequentiam proſpectum omnem eripere poſſe uidebat, tum eum ſecurum, alijs cogitationibus occupatum, non antè quicquam aduerſi ſuſpicaturum arbitrabatur, quàm ei gladium occultius infigeret. Itaque ſolitudo loci, obſcuritas ſyluæ, inſidiæ præparatæ, ac dolus acerrimi ac ſibi capitalis inimici, nulla ſuſpicione, nullo timore, huc aut illuc fluctuantis, poteſtatem interimendi fortiſsimi uiri deterrimo omnium atq; perfido præbuerunt. Quis hoc non credat, præſertim quum cognoſcat Vlyſſem, unum omnium audaciſsimum, ſimul ac iniquiſsimum? cuius rei indigna mors Palamedis præclarum teſtimonium eſt, quem ſingularis prudentiæ uirum dolo, ac inſidijs ſuis confiſus, uel publico iudicio ſuperare poſſe ſperauit. Quòd ſi non in ſyluis, neque in ſolitudine, ſed celeberrimo in loco, cunctis ſpectantibus, publico iudicio ſapientiſsimum omnium ſuperare poſſe credidit, quanto magis ſolum, atq; incautum, idq; in latebris interimere poſſe ſperaſſet, præſertim quum Palamedis iniuſta nex multo ferociorem, ac audaciorem, in conſequendis cæteris quæ uellet eum reddidiſſet? Quare, ſi ſyluam, ſi ſolitudinem, ſi illum inermem, incautum, hunc præmeditatum hæc omnia, paratumq; fuiſſe intellexiſtis, nolite amplius iudices dubitare fortiſsimum uirum ab hoc deterrimo, dolo interfici potuiſſe. Hanc argumentationem ita diximus, tanquam aduerſarium dicturum ſuſpicati eſſemus, ſe tam fortem uirum, & ſi uoluiſſet, tamen nunquam interficere potuiſſe. Quòd ſi

non

non ita eum dicturum intelligeremus, ſed quòd neſcire potuiſſet, eam ſe poteſtatem aſſecuturum, omnia ad id accommodaremus, ac huiuſmodi propoſitione uteremur, Oſtendam breuiter iudices diligenter eum perſpexiſſe, *qua ratione interficere poſſet.* Deinde locum, tempus, *huius præparationem, illius ſecuritatem ante oculos ita poneremus, ut eum omnia hæc diligenter animaduertiſſe conſtaret.* Poſtremo, *quoniam eò uenit, ubi ſolum inimicum conuenit, ac maxime præparatus incautum, bene cum cogitaſſe, ac uidiſſe, qua re inimicum eſſet ſuperaturus. Quare reliquæ argumentationum partes ad propoſitionem accommodandæ.* Propoſitio *ei quod aduerſarius uel dixit, uel dicturus exiſtimatur, opponenda eſt.* Hæc *argumentatio & quadripartita inuenitur, quum aut expolitio, aut confirmatio prætermittitur.* Et *tripartita, quum tam confirmationem quàm expoſitionem relinquimus.* Nunc *ſi ratiocinationem prius qualis ſit aperiemus, unde omnes hæ partes inueniantur, docebimus.* Ratiocinatio *eſt argumentatio perfectißima, quæ accommodatione aſſumptionis ad id quod propoſitum eſt, elicit concluſionem.* Huius *omnes, qui ab* Ariſtotelica *palæſtra profecti ſunt, tres partes eſſe uoluerunt, propoſitionem, aſſumptionem, concluſionem.* Marcus Cicero *quinque partibus eam tractari poſſe putauit.* Nam *& propoſitio rationis plerunque indiget, & aſſumptionem nonnunquam niſi confirmaueris, concluſione non recte uti poteris, propter quam inducta uidentur.* Sed *tam propoſitio, quàm aſſumptio, ſi dubiæ ſint, propoſitio & aſſumptio putandæ non ſunt: tunc enim recte propoſuiſſe putare debes, quum effeceris ne propoſitio tua dubia ſit, idemq; de aſſumptione dicendum cenſeo.* Quare *tripartita nobis ratiocinatio ſolum uidetur.*

Ratiocinatiοnis partes

Verùm

Verùm quoniam ad dicendi opus nihil intereſt, tripartitam aut in numero partium rationibus etiam adhibendis quinquepartitam putare, ut dilucidior præceptio fiat, quoniam placet non propoſitionis ſolum, ſed etiam rationum præcepta dare, de ratiocinatione tanquam quinquepartita loquamur. Hoc & in collectione fecimus, cuius concluſio quum diligenter infertur, & omnia colligit, & numerum partium ſimplicis concluſionis, quæ bipartita eſt, non excedit. Perfectiſſima ergo ratiocinatio his quinque abſoluitur, propoſitione, ratione, propoſitionis aſſumptione, aſſumptionis ratione, & complexione. Propoſitio eſt per quam breuiter is locus exponitur, ex quo omnis uis emanat ratiocinationis. Ratio eſt cauſa quæ demonſtrat uerum eſſe id quod propoſuimus uno uel pluribus argumentis. Aſſumptio eſt oratio per quā id quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. Aſſumptionis ratio eſt per quam id quod aſſumptum eſt confirmatur. Complexio eſt per quam id quod conficitur ex omni argumentatione breuiter exponitur. Hæc propoſitio & complexio à ſuperioribus differunt, quoniam in collectione id ipſum quod proponitur in concluſione infertur, hic autem concludimus id quod ex propoſitione ac aſſumptione ſimul conficitur, hoc modo, Omnes qui cauſam habent ad ſuſcipiendum facinus, ſi uita eorum à maleficio non abhorret, libenter maleficium ſuſcipere ſolent: At Vlyſſes interficiendi Aiacis cauſam habuit, nec ab eius uita homicidium alienum eſt: Vlyſſes ergo Aiacis interficiendi maleficium ſumpſit. Nam hic non ut in collectione propoſitionem, ſed quod ex propoſitione, ac aſſumptione ſequi uidebatur, concludimus. Verùm ut latius ratiocinationis uis appareat, omnibus ſuis partibus abſoluatur, Omnes homines, iudices,

dices,quorum uita per conſuetudinem à ſcelere non abhorret, odio ſic mouentur, ut uehementer exoptent poſſe ſuas inimicitias quouis explere facinore. Nam *eiuſmodi homines, qui manus ſemper iniuſto ſanguine cruentas habere conſueti ſunt, quum non poßint à uitio animi recedere, non ſolum quum ita accidit, ut aut commodum conſequantur, aut incommodum maleficio uitent, mouentur ad facinus, uerùm etiam ipſi cauſas quærunt, quibus ſocio iniurias manus afferant.* Etenim *ſi boni uiri cauendum putant, ut ne cauſam quidem habeant, qua prætermittere officium impellantur, hos crudeles uiros, hos iniquos, qui ſemper ſanguine gaudent, non mirum eſt interficiendi hominis cauſas quærere.* Præterea *ſi boni nonnunquam metu ac inimicitijs à recta uia, qua ſemper uixerunt, depulſi ſunt, quis non credit homines prauos commodo ſuo moueri, ut conſeruare conſuetudinem ſuam uelint? illi ſibi uirtutem ſolitam utilitate decepti contemnunt: hi officium quod nunquam ſeruauerunt, quum utilitatem ex ſcelere ſe adipiſci poſſe intelligunt, tunc obſeruabunt? uidelicet ignoratis, iudices, quanta uis iræ ſit, quid inimicitiæ poßint, quid odium pariat.* Non *dico hic beluas ira & odio moueri ut alteri noceant, non dico multos ſapientißimos uiros odio ac ira motos, obtemperare ſibi non potuiſſe: præterire melius eſt, quot urbes, quot regna, quot gentes confectæ odio iaceant.* Quare *iudices, ſi etiam bonos inimicitijs corrumpi uidetis, huiuſmodi homines, qui per conſuetudinem abeſſe à maleficio non poſſunt, odio motos obtruncare inimicum uoluiſſe dubitatis?* At Vlyſſes *acerrimis inimicitijs capitaliq; ab Aiace dißidebat.* Scitis *enim omnes, ſcitis, nec opus eſt ut altius rem uobis aperiam, quem hic in illum animum geſſit, poſt iniquißimam illam contentionem armorũ.* Scitis *timidum*

midum hunc hominem, qui nihil unquam uirtute animi, omnia fraude peragat, fortiſsimum hominem, acerrimum hoſtem, inimicitiarum perſecutorem, iniuria laceſsitum uehementer extimuiſſe. Intelligebat enim, *niſi uitam ei eriperet, ſe incolumem non futurum.* Conſueuerat, *ſi manifeſte non poterat, quouis modo aduerſarios aggredi, cui rei indigna mors* Palamedis *teſtimonio eſt: quem, quoniam prudentia omnes ſuperare uidebatur, non ignoratis, qua proditione, quibus inſidijs, inuidia motus occiderit.* Atqui *ex illo nullum periculum metuebat*, Aiacis *metu conficiebatur.* Ille *quietus erat, acerbus* Aiax *inimicus, hac in re odium, inuidia, ira, metus, ſimul concurrerant, in* Palamedem *inuidia ſolum mouebatur,* Quare *iudices, ſi omnes huiuſmodi homines, uel parua de cauſa, maleficia ſuſcipere ſolent, hic autem odio, atq; metu acerbo* Aiacis *perculſus erat, nolite ipſum audire iudices, ſi dicere auſus erit, nunquam ſe* Aiacem *interficere uoluiſſe.* Hæc *ergo perfectiſsima ratiocinatio eſt, quæ quinque partibus conficitur, ut exemplo patuit.* Cæterum *& quadripartita inuenitur, quum propoſitionis aut aſſumptionis ratio prætermittitur.* Tripartita *etiam fit, quum tam propoſitio, quàm aſſumptio, rationis non indigent.* Bipartitam *etiam tam hanc, quàm ſuperiorem poſſe fieri, nonnulli contendunt, ut ſi diceres,* Hæc *mulier cum uiro cõcubuit, peperit enim.* Sunt *qui ex una etiam parte conſtare argumentationẽ exiſtimant, ut ſi dicas,* Hæc *mulier, quæ peperit, cum uiro concubuit:* Quorum *ratio à multis reprehenſa eſt, nos uerbi controuerſia utroſque uexari arbitramur.* Nam *qui argumentationem argumenti expolitionem putat, is profecto uidebit unius partis argumentationem inueniri non poſſe:* Qui *uerò argumentationem pro argumento accipit,*

pit, is etiam unius partis argumentationes multas inueniat neceſſe eſt. Argumentum enim nos, Marcum Tullium ſecuti, inuentum appellamus, quod cum una propoſitione ac breuiſsimis uerbis contineri poſsit. Expolitio argumentationis, ut uim ſuam perſpicere poſsimus, latius extenditur: nam hanc propoſitionem, mulier quæ peperit, cum uiro concubuit, argumentum, hoc eſt, inuentum appellamus, quod poſtea ratiocinatione tripartita expoliri poteſt, hoc modo, Quæcūq; mulier peperit, cū uiro concubuit: hæc peperit, hæc ergo cum uiro cōcubuit. Scire autē oportet, hæc inuenta in orationibus nonnunquam præclariſsimorum oratorum non expolita inueniri. Nam ſi id quod à loco inuenitur, ita neceſſarium ac clarum eſt, ut neque rationis, nec expolitionis indigeat, id ſolum ſufficit dicere, quod inuentum eſt, maxime ſi longis argumentationibus auditores defatigati ſunt. Quod facile in ciuili etiam quæſtione fieri poſſe unico exemplo monſtremus, Aut metuamus Numantinos ſemper huic infeſtiſsimos urbi, dum incolumes ſunt, aut urbem eorum diruamus oportet. At hoſtium metum, dum poſsis, non effugere ſtultiſsimum eſt: ergo niſi ſtulti eſſe uelimus, urbem eorum diruamus oportet. Hoc totum quoniam per ſe clarum eſt, maiorem etiam habebit uehementiam, ſi aut ad breuiores reducitur, aut ad ſimplicē concluſionem, hoc modo, Si metuere hoſtes turpiſsimum eſſe putatis, infeſtiſsima huic ciuitati Numantinorum urbs funditus diruenda eſt: Aut inuentum ſolum ſine argumentationis expolitione profertur, hoc pacto, Numantia infeſtiſsima nobis urbs funditus diruenda eſt. Præterea neminem ignorare uolumus, omnes quas ſuperius enumerauimus argumentationes uiolatione ſemper exempta, collectionem ingredi poſſe: Ac rurſus cæteras omnes, ac ipſam collectio-

Inuentum.

nem in ratiocinationem adhiberi, quod facile fieri poſſe quis non uiderit? Si enim propoſitio ratiocinationis, aut aſſumptio infirma eſt, poterit optime quodam alio modo argumentationis, aut collectione confirmari, quod in ſuperiore nos exemplo ideo fecimus, ut naturam hanc ratiocinationis oſtenderemus. Aliæ uerò argumentationes, nec ſeipſas, nec ratiocinationem aut collectionem ſuſcipiunt. Nam in illis nulla hoc modo affertur ratio: In his uerò quum rationes afferantur, nonnunquam ipſa ratio aliqua conficitur argumentatione: quod ut autoritate ſummi oratoris confirmemus, exemplis eius utemur, quæ non ab orationibus ſumemus, ſed ab eadem hac facultatis præceptione, quam Rhetoricã ueterem uulgo appellamus. Nam et ſi plurima huiuſmodi in orationibus inueniuntur, tamen aut quia breuius dicantur, quàm clarè ars intelligi poßit, aut quia non ita ordine perficiuntur, uel ad cælandam artem, uel ut uehementiora ſint quæ dicuntur, uel ut uarietate delectent confuſiora ſunt, atque ideo intellectu difficiliora. Atque hoc faciamus, ne quis putet noſtro arbitratu hæc fruſtra interpoſuiſſe, uerùm rectè intelligat, nos in hunc librum nonnulla à præceptionibus ipſius oratoris, nonnulla à Græcis tranſtuliſſe: multa etiam Ciceronis orationes legendo nos inueniſſe, neque aliquid hic poſitum eſſe, quod uſu eius comprobari non poßit. Verùm exempla in omnibus non poſuimus, uel quia longum eſſet, & nos alijs occupationibus impediti ſumus, uel quia cæterorum quoque ad inueniendum ingenia incitare uolumus. Nunc ad propoſitum reuertamur. Quinquepartita igitur ratiocinatione, in hunc modum utitur, Omnes leges, iudices, ad commodum reipublicæ referre oportet, & eas ex utilitate communi, non ex ſcriptione, quæ in literis eſt, interpretari.

etorica uetus ...ranis.

de ſua de... ...it Tra... ...u.

quepar- ...atiocina- ...cero u-

tari. Hæc propoſitio eſt cui ſubiungit rationem à laude maiorum, item à perſona, hoc modo, Ea enim uirtute & ſapientia noſtri maiores fuerunt, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud niſi ſalutem, & utilitatem reipublicæ proponerent: neque enim ipſi quod obeſſet ſcribere uolebant, & ſi ſcripſiſſent, quum eſſet intellectum, repudiatum iri intelligebant. Nemo enim leges, legum cauſa ſaluas eſſe uult, ſed reipublicæ, quòd ex legibus omnes rempublicam optime putant adminiſtrari. Quãobrẽ igitur leges ſeruari oportet, ad eã cauſam ſcripta omnia interpretari conuenit, hoc eſt, quoniam Reipublicæ *ſeruimus, ex* Reipublicæ *commodo, atque utilitate interpretemur. Confirmatio deinde rationis in hunc modum per ſimilitudinem capta ſequitur: Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporum utilitatem ſpectet, quoniam eius cauſa eſt inſtituta, ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod* Reipub. *conducat, proficiſci, quoniam eius cauſa ſunt comparatæ. Ergo in hoc quoque iudicio definite literas legis perſcrutari, & legem & æquum ex utilitate* Reipub. *conſyderate. Hic iam quadripartita collectio concluſa eſt, quæ fortaßis, ſi quis eam præceptionem ſequitur argumentationis, quam idem ipſe* Cicero *ad* Herennium *edidit, quinquepartita poſſet uideri. nos aliam rationem ſecuti, quadripartitam arbitramur, de qua ratione poſterius dicemus. Nunc aſſumptionẽ huius ratiocinationis, et reliqua proſequamur. Quid enim magis utile fuit* Thebanis, *quàm Lacedæmonios opprimi? Quid magis* Epaminundam Thebanorum Imperatorem, *quàm uictoriæ* Thebanorum *conſulere decuit? Quid hac tanta* Thebanorum *gloria tam claro, atque exoptato trophæo clarius habere conuenit? Scripto uidelicet legis omiſſo, ſcriptoris ſententiam conſide*

rare debebat: atqui hoc quidem conſyderandum ſatis eſt, malam eſſe legem niſi reipublicæ cauſa ſcriptam: hoc totum aſſumptionis ratio, nam ipſam aſſumptionem, quæ eſt ut etiam in concluſione ratiocinationis uidetur (hic autem utilis reipublicæ fuit) tanquam uel ex præcedentibus, uel ex aſſumptionis ratione, uel ex re ipſa claram, prætermittendam putauit. Cõcludit *deinceps hanc tripartitam in aſſumptione collectionem,* Summam *igitur amentiam putabat eſſe, quod ſcriptum erat* Reipublicæ *cauſa ſalutis, id non ad reipublicæ ſalutem interpretari.* Quòd *ſi leges omnes ad utilitatem* Reipublicæ *referri conuenit, hic autem ſaluti* Reipublicæ *profuit, profecto eodem non poteſt facto & communibus fortunis conſuluiſſe, & legibus non obtemperaſſe.* Hæc *eſt concluſio totius ratiocinationis: uerùm ut hæc eadem altero quoque* Ciceronis *exemplo cõſideretur quadripartitam etiã eius ratiocinationem ponemus,* Iudices *qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis.* Hæc *propoſitio eſt, quæ quoniam clara eſt, nec indiget rationis, aſſumptioni coniuncta eſt:* Obtemperare *autem non poteſtis legibus, niſi id quod ſcriptum eſt in lege ſequamini.* Hæc *aſſumptio ratione à facto ſcriptoris capta confirmatur,* Quod *enim certius legis ſcriptor teſtimonium uoluntatis ſuæ relinquere potuit, quàm quod ipſe magna cum cura & diligentia ſcripſit?* Expolitio, Quòd *ſi literæ non extarent, magnopere eas requireremus, ut ex his ſcriptoris uoluntas cognoſceretur: neque tamen* Epaminundæ *permitteremus, ne ſi extra iudicium quidem eſſet, ut is nobis ſententiam legis interpretaretur, nedum nunc iſtum patiamur, quum præſtò lex ſit, non ex eo quod apertiſsime ſcriptum eſt, ſed ex eo quod ſuæ cauſæ conuenit, ſcriptoris uoluntatem interpretari.* Concluſio *ratiocinationis,*

Quòd

Quòd ſi uos iudices legibus obtemperare debetis, & id facere non poteſtis, niſi id quod ſcriptum eſt in lege ſequamini, quid dubitetis, quin iſtum contra legem feciſſe iudicetis?

DE DIVISIONE.

QVoniam breuiter de argumentatione dictum eſt, nunc ut clarius fons inuentionis appareat, rem omnium in hac facultate difficilimam breuiter tangemus. Nam eam penitus explanare poſſe non auſim dicere: quare principia quidem eius, & quaſi radices exponemus, cætera ingenio ac exercitationi eorum qui hæc legent, dimittemus. Nam habitis principijs facile reliqua inueniri poſſunt. Eſt autem nunc agendum ea de re, quam Græci διαίρεσιν, hoc eſt, diuiſionem appellant: qua quidem in re quum omnem uim oratoris eſſe dicant, tamen eius præcepta ſeparatim nunquam leguntur. Nam omnes quos quidem ego uidi hac de re, quum de locis conſtitutionum, hoc eſt, ut Græcè loquamur, de cephalæis tractãt, pauca interpoſuerunt, quod & nos neceſſariò fecimus, ut eorum locorum uim aperiremus: uerum nunc ſeparatim, ac breuiter unde propoſitiones, rationes, confirmationesq; rationum, ac expolitiones inueniantur, aperire propoſitum eſt, quæ res etiam cauſam oſtendet cur nos id quod nonnulli confirmationem rationis dixerunt, rationi coniunximus: quam illi expolitionem uocauerunt, confirmationem rationis nos: & quod expolitioni coniunctum illi putauerunt, nos expolitionem nominamus: neque enim ad dicendum parum pertinet, & multo clarius, ac dilucidius rem totam hoc modo intelligi poſſe manifeſtum eſt: nunc ad rem ueniamus, Diæreſeos, hoc eſt, diſtributionis præcepta in duas διαίρεσις. Diæreſeos præcepta.

n 3 par

partes diuidimus, prima eſt, qua inquirimus ſi quæ propria unicuique locorum principalium inſunt, quam in præſentiarum relinquimus; uel quia longior eſt, uel quia principalibus locis coniuncta eſt, ac multæ eius partes in ſecundo libro breuiter tactæ ſunt: altera, qua rationis, confirmationis, expolitionisq́; locos oſtendimus. Locos omnes in duas partes diſtribuimus, nam alios principales, alios ſecundarios appellauimus. Principales uocamus conſtitutionum, earumq́; partium locos, quos in ſecundo libro expoſuimus, quos propoſitionum ſedes eſſe diximus, uel unde ad propoſitam cauſam conueniens trahitur propoſitio, ut uerbi cauſa, in coniecturali petitionem teſtium, uoluntatem, poteſtatem: Secundarios, argumentorum ſedes diffiniuimus, uel unde ad inuentam propoſitionem conueniens trahitur argumentum, hoc eſt, à quibus rationes, confirmationes, expolitionesq́; inueniuntur. His hoc pacto diſtributis, omnis propoſitio alicuius argumentationis à principalibus locis inuenitur, ut in coniecturali defenſor à petitione teſtium proponet, hoc modo, Teſtibus hanc rem comprobare debes, uel oſtendas quis hoc uidit, ubi uidit, quando uidit: non enim una, ſed plures ab unoquoque principalium locorum propoſitiones fluunt. Item econtrariò, non ſunt omnis rei præbendi teſtes, plurima enim aguntur occultè: uel ſic, Loco teſtium argumenta tibi & ſigna præbeo, quæ facile corrumpi non poterunt. Item in negociali à lege, cui etiam conſuetudinem ſubiunximus, Non oportet aliquid innouari contra leges, & inſtituta maiorum. Item econtrariò, oportet innouari tempore belli: ſimiliter in alijs propoſitionem à loco principali ſemper fluere neceſſe eſt. Qua in re illud etiam ſciendum, quòd ſi nos aliquid proponimus ſimpliciter,

Loci duplices.

ter, à loco inuentam propoſitionem ad noſtram utilitatem dicemus. Quòd ſi propoſitum ab aduerſarijs ſolueremus, tum his quatuor quod proponimus exornandum eſt, propoſitione, ſublatione, oppoſita propoſitione, ſolutione, quam & oppoſitam ſublationem appellare licet. Hæc nos Græcè πρότασιν, ὑποφορὰν, ἀντιπρότασιν, λύσιν, uel ἀνθυποφορὰν uocamus. Propoſitio eſt ſublationis pollicitatio. Sublatio eſt ipſa aduerſarij propoſitio. Oppoſita propoſitio eſt ſolutionis pollicitatio. Solutio eſt ſublationis oppoſitum hoc pacto, Sed dicturum eum audiui, hæc propoſitio eſt, quam ſublatio ſequitur, non oportere aliquid innouare, quod tamen ſoluere haud difficile eſt, hæc eſt oppoſita propoſitio, quam ſolutio ſubſequitur, hoc pacto, nam tempore belli aliquid innouare oportere quis non uiderit? Hanc ſolutionem poſtea ſicut & quum nos ſimpliciter proponimus, ſecundarijs locis confirmabimus. Hac quadripartitò exornata ſolutione Cicero in oratione illa pulcherrima utitur, quam in defendendo Archia Poëta compoſuit, Quæret quiſpiam quid illi ipſi ſummi uiri, quorum uirtutes literis proditæ ſunt, hoc propoſitionem eſſe uides. Eſt enim pollicitatio ſublationis, quam ſic infert, Iſta'ne doctrina, quam tu effers laudibus, eruditi fuerunt? huic ſublationi oppoſitam propoſitionem ſubdidit hòc modo, Difficile eſt hoc de omnibus confirmare, ſed tamen eſt certum quod reſpondeam. Deinde ſolutio ſequitur, quam longiorem edidit, ut partes eius perfectius complecteretur, Ego multos homines excellenti animo & uirtute fuiſſe, & ſine doctrina naturæ ipſius habitu propè diuino per ſe aptos & moderatos, & graues extitiſſe fateor, etiam illud adiungo &c. Id quoque ſciendum eſt, Ciceronem hic, quod ſæpe facere ſolet, ſolutioni

Quatuor loci quibus propoſitio ſoluitur.

retiones inſeruiſſe. Nam quum tribus membris ſolutionem complexus ſit, primo à perſona, ſecundo & tertio à re captam rationem immiſcuit. Item pro Pompeio quadripartitò exornata ſolutione utitur, hoc modo, Reliquum eſt ut de Quinti Catuli autoritate & ſententia dicendum eſſe uideatur, qui, quum ex nobis quæreret, ſi in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, ſi quid de eo factum eſſet, & cætera, uſque ad oppoſitam propoſitionem ſublatio eſt, cui addidit commodiſsimè fructum quem ex hac interrogatione Catulus ceperat, Sed in hoc ipſo ab eo uehementiſsime diſſentio. Hæc oppoſita propoſitio eſt, quam ſolutio ſubſequitur per uiolationem. Illud etiam ſciendum, quòd nonnunquam elegantiſsimus ille orator his quatuor multa inſerere ſolet, uel ut magis exornet, uel ut probabiliora quæ dicit, uideantur, uel ut ars non ita facile appareat, ut in eadem Pompeiana paulò ſuperius, At enim uir clariſsimus Reipublicæ, & noſtris beneficijs ampliſsimis affectus: uſque ad illud, Nam tu idem, propoſitionem, ſublationem, & ſolutionem abſoluit, oppoſitam propoſitionem reliquit. Nam ſicut omnes has partes ſoluendo occupare nonnunquam ornatiſsimum eſt, ita nonnullas relinquere, cum breuius, tum uehementius puto. Vna etiam ſublatione ſola uti inuenitur, ut in eadem ipſa pro Archia oratione, Hic tu tabulas requiris Eracleinſium. Item cenſus noſtros requiris ſcilicet: quibus ſublationibus rationes ſolutionis ſtatim ſubiunxit. Nam ſolutio ita facile ſubauditur, ut commodius, ac uehementius efferatur oratio, ſi ſubaudiatur quàm ſi dicatur ſolutio. Quare omneis aut plures iſtiuſmodi parteis occupare, ornatius: breuius dicere, uehementius atque acrius. Sed cauſa ſemper conſyderanda eſt, nihil enim melius, nihil ornatius, nihil in aduerſarium acrius

co

eo dicit poteſt, quod natura rerum expoſtulat. Præterea in omni ſolutione primum quærendum diligenter puto, ſi per uiolationem* poſſet efferri ſolutio: quòd ſi uiolatio fieri non poteſt, poſſumus per inficiationem, uel obſiſtentiam, uel utroque pacto ſolutiones afferre. Nam & ſi inficiationem, & obſiſtentiam oppoſitos abſolutioni locos in ſecundo poſuimus, tamen omni in loco* quum ſoluimus recte adhiberi poſſunt, hoc modo, Oportet aliquid innouari. Solutio per inficiationem, immo nihil oportet innouari. Per obſiſtentiam, & ſi oportet, non hoc in tempore, uel hac de re, uel in hoc homine. Item difficile hoc factu eſt, immo non difficile: & ſi difficile, tamen faciendum. At hæc quidem de propoſitionibus argumentorum dicta ſufficiant. Nunc unde rationes inueniantur doceamus. Propoſitione igitur à principali loco ad utilitatem noſtræ cauſæ tracta, ſiue ſolutionem inferas, ſiue tu primus proponas, ratio, uel etiam rationes multæ quærendæ ſunt, quibus propoſitio niſi per ſe neceſſaria eſſet corroboretur. Inuenitur autem omnis ratio à circunſtantijs, quæ iſtæ ſunt, perſona, res, cauſa, locus, tempus, modus, quibus nonnulli addiderunt, quibus auxilijs, quod nos modo atque alijs circunſtantijs nonnunquam immiſceri dicimus, quumq; per ſe ſola hæc circunſtantia rationem non afferat, ſed alijs inſeratur, non placuit eam ſeorſum ponere, quæ ſeorſum per ſe nunquàm inueniatur: Quodcunque igitur, ſiue eſſe, ſiue non eſſe proponitur, harum aliqua circunſtantia, pluribus'ue firmabitur, quod ut clarius fiat, exemplo aperiatur, Proditor patriæ Catilina est: à petitione teſtium, niſi teſtes huius rei produxerit, non eſt audiendus iudices. Ratio à perſona, ea enim nobilitate, hisq; maioribus natus ſum, ut ſine teſtibus id de me

*efferri poteſt

*quem

Rationes unde inueniantur.

ſuſpicari non debeatis. Item à *perſona aduerſarij, atque ideo magis expellendus* Marcus Cicero, *quũ hæc ſine teſtibus dicat, quod mihi ſemper inimicus fuerit: uel ex utriſque, homini enim nouo ambitione corrupto, ſine teſtibus inuidia in nobiliſsimos uiros atroces ſuſpiciones incitanti credendum non eſſe.* Item *etiam à perſona iudicum,* Nam *ueſtræ prudentiæ iudices eſt, non eam poteſtatem talibus uiris concedere, ut fictis argumentis nobiliſsimos homines circumueniant.* A *re, nihil enim iudices ſine teſtibus in iudicio credendum eſt. uel ſic, non enim tanti ſceleris ſine teſtibus ſuſpicionem approbare debetis.* A *loco, neque in republica, ubi omnes liberè uiuimus, niſi teſtibus probaueris audiendus es: à cauſa, ac ideo magis expellendus, ne ſi fictis argumentis locus dabitur, multos noſtrorum hi noui homines depellere conentur.* A *tempore, & in hoc tempore maximè, in quo propter ſimultates nullus eſt qui crimina falſa non excogitet.* Item *econtrario per inficiationem ſolutio, non oportet teſtes quærere* Catilina *tuæ proditionis.* Ratio *à re, huiuſmodi enim ſcelera quàm occultè geruntur, ne ſi manifeſtentur, in cruciatus ac pœnas, eorum autores rapiantur: à cauſa,* Nam *ſi teſtes expectabitis, antequam eos inueniatis, opprimemini.* Et *coniunctum tam à re quàm à cauſa, tanti enim facinoris, aut proditionis teſtes non expectandi, ne antequam teſtes inueniatis, ueſtra negligentia dominum uobis præparaueritis.* A *perſona,* Nullus *enim teſtimonium perhibere de* Catilina *uoluerit, niſi uitam ſuam omnino contemnat: quem enim iſte inſidijs non trucidaret, qui ſe teſtem huius rei offerret?* Item, Ita *enim à pueritia uixiſti* Catilina, *ut facile de te omnia etiam ſine teſtibus credi poſſint: à loco, etenim in hoc noſtro centumuirali iudicio opus*

teſti

teſtibus non eſt, ubi ueritas ipſa per ſe ſoleat inquiri: & à tempore, & his temporibus maximè argumentis non teſtibus ueritas quærenda, in quibus cupiditati nouarum rerum penè omnes tranſuerſi feruntur. Hæc diximus, non ut omnia *inuenire uellemus (Nam infinita ab unoquoque loco trahi poſſe putamus) uerum ut ab omnibus circunſtantijs rationes, quas nos epicheremata dicimus, inueniri oſtenderemus.* Nam *præceptionis aperta uia, facile quiuis, maximè ſi natura ad hæc ſtudia iuuari uidetur, multo plura uidebit quàm hic poſuimus.* Hunc *igitur modum, hanc* pro*poſitionem, & in cæteris principalibus locis obſeruare oportebit hoc modo,* Nunquam *prodere patriam uoluiſſem: à re, peßimum enim omnium atq; atrocißimum proditio, quam nemo unquam mentis non inops exoptauit.* Item, *neq; enim plurimis quos nunc à rep. honores partim habeo, partim me habiturum ſpero, tam atrocē, tam iniquam, tam mihi ipſi periculoſißimam rem præponerem: à perſona, tam ſui quàm aduerſarij, an ego uoluiſſem eam rempublicam prodere, quam mei maiores amplificauerunt, præſertim quum eam* Marcus Cicero *ciuis inquilinus ſaluam eſſe uelit? à loco, neq; patriam, charißimum ſolum, ubi natus, ubi educatus ſim, prodere uoluiſſem: à tempore, præſertim eo tempore, quo ſummum honorem conſulatus à populo me conſecuturum ſperabam:* A *cauſa, ſi poſſet dicere eos hæc facinora cogitare, qui egeſtate, qui ære alieno premuntur, qui odio ciuium perſequuntur, ſe diuitijs, ac honoribus abundare, & ſummo amore ciuium coli.* Item *ſi dicimus conſeruandas eſſe leges, nihil innouandū: à loco, quòd in rep. maximè leges conſeruandæ ſunt: à perſona,* Ro*manis maximè, qui legum obſeruatione plurimum laudantur: à tempore, his temporibus quibus maximè periculoſum ſit*

Epicheremata

*præceptionem

ſit

ſit aliquid innouare: per obſiſtentiam poſtea, & ſi aliquid innouandum eſſet, non tamen hæc lex commutanda, aut contemnenda: ratio à re, Maximas *enim res atque reipublicæ utiliſsimas hæc lex continet: à tempore,* Et *ſi aliàs fortaſsis mutanda uideretur, tamen non tempore belli, ne tumultus in ciuitate factus propter immutationem, ciuitatem euerteret.* Nunc *ſi unum dixero, ad confirmationis locos tranſitionem faciam: nam, nequis dubitet, breuiter dicendum cenſeo, ſæpe ad aliquam rem, aut probandam, aut improbandam, una ex circunſtantia multas, nonnunquàm nullam inueniri poſſe rationem.* Nam *ſi quem conſtaret ære alieno oppreſſum inopia laboraſſe, ac uita eius non uehementer integra uideretur, is à perſona ſua non facile quicquam probare poſſet: quare ab eadem quidem circunſtantia poterit ad cauſam argumenta trahere, quãuis non à perſona ſua, ſed iudicum, aduerſariorum, teſtium, ac ab his qui extra id iudicium ſunt, ut ſociorum, hoſtium, inimicorum, affinium, & quæ huiuſmodi ſunt. Præterea tam* Ciceronem *quàm* Demoſthenem *inuenio ſic breuiter multis rationibus cauſam ſuam nonnunquam ſtabilire, ut paucis uti uideantur, ac contrà in re tenui ita ea quæ inueniuntur, quamuis exilia ſint, oratione ſua extollere, ut quod natura ſua tenue eſt, id oratoris facundia, facile amplum magnificumq́; uideatur.* *Sæpius etiam una ratione contenti ad confirmationem, uel etiam ad alios locos principales tranſeunt.* Ad *hæc per congeriem ita rationes afferri nonnunquam, ut non diuerſos unius circunſtantiæ modos ſolum, uerùm etiam multæ circunſtantiarum occupentur: qua re nil meo iudicio acrius, præſertim ſi genere orationis idoneo dicitur, quæ multarum rerum congeries, aut breuius, aut latius prout res expetit*

expli

explicabitur. Hæc omnia non ſolum de rationibus, uerùm etiam tam de confirmatione, quàm de expolitione intelligi uolumus. Quemadmodum igitur propoſitio à loco principali ad cauſam tracta, & ſolutio aut per inficiationem, aut per obſiſtentiam facta rationibus communitur, ſic & unamquanque rationem, ſi parum in ſe neruorum habere uidebitur, confirmatione una pluribus'ue niti oportet.

Profluit autem omnis confirmationis ratio ab his locis, à ſimilitudine, exemplo, minore, maiore, æquali & cõtrario, à quibus etiam quamuis rationes afferre Cicero ſoleat, tamen in hoc confirmationem à ratione differre uoluimus, quòd à circunſtantijs nunquam inueniatur confirmatio. Non autem ignoro Hermogenem nunquam rationem, quam ille epicherema uocat, ab his locis, quos paulo ante poſuimus, inueniri putaſſe, quod ſi quis uerum putauerit, quum nonnunquam ab hiſce locis rationes clariſſimi oratores inuenire uideantur, non rationes, ſed earum rationum, quæ facile auditori ſubaudiantur, confirmationes appellabit, quòd paulo pòſt etiam exemplis declarabimus. Nam ſic dilucidior nobis futura hæc præceptio uiſa eſt, ſi prius omnia quæ de raciocinatione dicere inſtituimus, breuiter proponemus, deinde, exemplis etiam maiorum, uel explanentur, uel confirmentur. Nunc ea, quæ dicebamus, latius aperiantur. Inueniuntur ergo rationum confirmationes à ſupradictis locis, & quemadmodum ad propoſitionem unam multæ nonnunquam afferuntur rationes, ſic etiam quandoque eadem ratio multis corroboratur confirmationibus, hoc modo, Oportet tempore belli ad ciuitatis emolumentum aliquid etiam innouari, hæc propoſitio eſt: & maxime hoc nobis Romanis licet, qui ſemper ad utilitatem reipublicæ aliquid noui excogitare ſolemus,

Confirmationis loci.

mus, ratio à perſona: confirmatio ab exemplo, Maiores enim noſtri ex commodo reipublicæ, Reges expulerunt, & Decemuiros continuare imperium paſsi non ſuut, & tribunoſplebis, ſacroſanctos conſtituerunt, Scipionem ante tempus conſulem crearunt. Quæ omnia unicam, non plures confirmationes appellamus: Quæcunque enim ab unico loco ad unum ac idem probandum inueniuntur, quamuis plura uideantur, tamen unius rationis, aut confirmationis uim obtinere dicenda ſunt, quod etiam in expolitione poſſe fieri non negabimus: uerum ſuperiorem rationem etiam à minore confirmare poteris, ſi dices innouandum eſſe Romanis, quoniam & paterfamilias ex re ſua multa innouare non ueretur: & ex contrario, ſic, Si tempore pacis nihil innouare ſolemus, tempore belli, quum res poſtulat, innouandum eſt: quod contrarium, aut ſimili quodam modo, ut dictum eſt, pronunciamus, ut quod in pace fieri non ſoleat, id in bello fieri oportere contendamus: aut ſi res ita poſtulat, per contentionem, aut per contrarium exornationes proferemus: per contentionem hoc pacto, In pace multa innouamus, in bello nihil mouere audemus? per contrarium hoc pacto, Quæ in pace facitis, quum nihil cogat, ea in bello quum opus ſit non facietis? Poterit etiam contrarium nonnunquam per oppoſitionem efferri. Nam (ut diximus) argumentationis imperfectiores modi inſerti perfectioribus inueniuntur. Quare et nonnulli, exornationes, non argumentationis modos eſſe uoluerunt. Nos omnem argumentationem, orationem exornare facile conceſſerimus. Eſt enim Argumentatio argumenti per orationem explicatio, quæ ſine ornamento fieri non poteſt. Quare argumentationis modos eas orationes eſſe diximus, quæcunque huiuſmodi ſunt, ut frequenter inueniantur per

gumenta-

ſe rem

ſe rem quampiam confirmare, quod argumentationis proprium eſſe, nullus unquam dubitabit. Sed de confirmatione ſatis. Expolitionem uerò, quæ confirmationem corroborat, atque amplificat, duplicem eſſe arbitramur, Commentitiam, quam enthymematicam: & Fictoriam, quam πλαςὴν Græcè nominamus. Expolitio commentitia contentionis modo ſemper profertur. Inuenitur autem à circunſtantijs, à quibus & rationes inueniri docuimus. Hæc tendere ſemper quadam cum collatione ad confirmationem debet: quare, meo quidem iudicio, hæc quam Latinè hic nobis expolitionem nominare placuit, Græcè enthymema appellamus, ex ratione atque confirmatione quiddam compoſitum eſt, quod ut clarius pateat, exemplo quoque demonſtretur, Continuare Scipionem imperium, uel contra leges oportet: confirmatio, Nam & maiores noſtri ex utilitate reipublicæ Decemuiros facile continuare imperium paſſi ſunt. Expolitio à tempore, Atqui tunc illi in pace, nos coacti bello faciemus: à cauſa ſic, & illi ad ornandam legibus rempublicam, nos ad defendendam libertatem hoc faciemus: A re, & illi Decemuiros ſimul imperium continuare paſſi ſunt, nos unum ſolummodo non patiemur? A perſona, illi Appium Claudium, hominem, ut res docuit, libidine perditum atque tyrannicum, nos Scipionem, qui ea continentiæ, ac humilitatis exempla Numantiæ dedit, ut omnino probatiſſimorum uirorum eſſe uideatur probatiſſimus. Hæc enthymemata, quum bene ac uariè proferuntur, uehementer auditores mouent, orationem amplificant, & uictoriam facilime pariunt. Verùm ſicut ad unicam propoſitionem rationes multas, & ad quamlibet rationem confirmationes, ſic ad unamquanque confirmationem uarias

Expolitio duplex.

Expolitio enthymematica.

Enthym[...] auditorem [...]uent.

rias expolitiones inueniri poſſe, hæc quæ diximus, aperte oſtendunt. Non enim ab unaquaque circunſtantia ſolum comparationem ad confirmationem expolitionis afferemus, ſed nonnunquam etiam ab una circunſtantia enthymemata multa adducere poterimus, quæ ne ſatietatem pariant, ita uariè pronunciabimus, ut alia interrogatione, alia ſine interrogatione, hæc repetitionibus, illa quibuſdam alijs coloribus exornabimus. Illud etiam non prætermittendum cenſeo, ſummum illum oratorem cuius diuinas orationes in confectione huius libri nobis propoſuimus, ſic plerunque rationes, rationumq́; confirmationes proferre, ut ſimul uim enthymematis facile contineāt, quod ideo mihi facere uidetur, ut uehementior ſibi, & breuior fiat oratio, ut in oratione pro Pompeio *his uerbis,* Maiores *noſtri ſæpe mercatoribus aut nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt:* Vos *tot ciuium* Romanorum *milibus uno nuncio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?* Legati *quòd erant paulò appellati ſuperbius,* Corinthum *patres noſtri totius* Græciæ *lumen extinctum eſſe uoluerunt:* Vos *eum regem inultum eſſe patiemini, qui* Legatum *populi* Romani, *conſularem uirum, uinculis ac uerberibus atque omni ſupplicio excruciatū necauit? & hæc quidem cum exemplis confirmet per contentionem, quod genus dicendi enthymemati maxime accommodatur, prolata ſunt:* Verum *quæ ſequuntur, quum dicendi genere ac contentione rerum pura ſint enthymemata, ad ſuperiora, ſicut ad confirmationem tendunt,* Illi *libertatem ciuium* Romanorum *imminutam non tulerunt, uos uitam ereptam negligetis?* Ius *legationis uerbo uiolatum illi perſecuti ſunt: uos legatum omni ſupplicio interfectum relinquetis?* Sunt *qui huiuſmodi*

enth

enthymemata, quæ ab eodem inuenta ad eandem confirmationem tendunt, ut hic eſt, uis legationis uerbo, non enthymemata, ſed epenthymemata uocari uelint, quorum error facilius intelligetur, ſi quid ſit, ac quomodo epenthymema fiat, quod etiam ad expolitionem pertinet, aperiamus. Eſt ergo epenthymema quædam addita enthymemati acuta excogitatio, ut ſi quum Corialanum hoſtibus quoque crudeliorem diceres, rationem à re dicas, tyrannicum enim eſt patriam oppugnare: quam à contrario confirmes, Hoſtes enim oppugnādi ſunt, quibus hic maiore odio proſequēdus, quòd illi alienam, hic ſuam oppugnet: hoc enthymema eſt, cui poterit addi epenthymema, hoc modo, & cui plurimum debet, hanc euertere conatur. Ex his iam patet enthymema, quod commentum, uel commentationem Latinè appellare poſſumus, orationem eſſe, quæ à circunſtantijs ad confirmationem cum collatione fertur. Verùm hæc de enthymematica expolitione dicta ſufficiant. Nunc ea de Expolitione dicamus, quam nos quidem πλαςὴν, Latini Fictoriam appellare poſſunt, quæ poſt ommes locos expolitionis, ac maximè poſt exemplum, & contrarium afferri nonnunquam ſolet, ut ſi confirmares contra Mithridatem Pompeio continuum imperium deferendum, quoniam maiores eundem Scipionem, tam in Hiſpania, quàm in Africa gerere bellum uoluerunt. Deinde πλαςὸν, hoc eſt, fictorium enthymema hoc modo adijceres, quòd ſi tunc maioribus aliquis modum imperio ſtatuere perſuaſiſſet, ac alius quàm Scipio in Africam miſſus eſſet, profectò tantam nunc gloriam capta atque deſtructa Carthagine populus Romanus non haberet. Item à contrario ſic, eum quem ſi tantum boni feciſſet, quantum mali & incommodorum induxit, maximis muneribus afficeretis, cum inquam nunc

[Margin: ἐπενθύμημα. — Fictoria Expolitio. πλαςή. — πλαςὸν ἐνθύμημ[α]]

impunitum dimittetis? Verùm quoniam de fictorio dicere incœpimus, alium quoque modum eius explanemus, qui in confirmanda comprehenſione accipi ſolet, qui huiuſmodi eſt, ut nonnunquam etiam tota res tanquam non ficta confingatur, ut ſi orator, qui tyranno perſuaſit, diceret, Quòd ſi non feciſſem, ſed facturum me pollicerer, non'ne multa mihi polliciti eſſetis? quod aliud quoque conſequetur enthymema ex re per contentionem minoris, hoc modo, graue autem eſt antequam perficerem, ex ſola pollicitatione honorari, nunc re perfecta expelli, quod etiam à tempore dici poteſt. Nam quemadmodum ab uno loco plura nonnunquam inueniuntur, ita etiam unum enthymema uel ratio à multis poteſt confluere locis, ut ſi quis dicat oportere eos, qui in republica liberè uiuere uolunt, leges obſeruare. Hoc enim tam à natura reipublicæ, hoc eſt, à re, quàm à perſona ducitur. Verùm prædictum plaſton geſtam rem, tanquam non geſtam confingit, econtrà quod ſequitur, Nam ſi ſecundo bello Punico funditus euertiſſetis Carthaginem, nullum inde amplius uobis diſcrimen futurum eſſet. Hic uerò iam non ordinem ſolum & commoditatem, quam nobis argumentationes huiuſmodi afferunt, uerum etiam copiam rerum, facultatemq́; mirabilem, quæ ex huiuſmodi præceptione fluit, facillimè perſpici poſſe arbitror. Nam ſi quidem propoſitiones nonnullis comprobas rationibus, rationúmque unamquamque non una ſed pluribus confirmationibus munias, quarum ſingulas expolitiones ſequentur, tum rectè à circunſtantijs, tum per ea quæ fictoria appellamus, ſingularis quædam & admirabilis dicendi copia redundabit. Quòd ſi ſoluendis his omnibus inficiatione uteris, & per obſiſtentiam eidem ſolutioni hæc eadem omnia congruè accommo

commodabis, iam uerò fontes eloquentiæ ſic affluere uidebis, ut quum nihil extra rem dicas, tum copia rerum finem inuenturus non uideare. At *hæc quidem nos diximus, non quoniam optimum factu putemus cuncta quæ inueneris dicere, ſed ut inuentionis fontes uel digito demonſtrare uideremur.* Nam *priſci quidem oratores, quorum dicendi uis tanta erat, ut iam multis ſeculis, nec incẽdijs urbium, nec bellis tam ciuilibus, quàm externis, nec imperij, cæterarumq́; rerum uaria ſimul atque multiplici commutatione extincta ſit, ita uel ex pluribus pauca deligebant, uel ipſa plura mirifice ui orationis incredibili breuiter complectebantur, ſicut etiam nonnunquam inopia rerum coacti id parum, quod inuenitur eò efferunt, atque amplificant, quo & ſi re uera pauca, uel unum tantummodo dicant, multis tamen rationibus rem ſuam corroborare uideantur. Quorum incredibilem inuentionem imitari fortaßis nonnullus poterit, ſi quum hæc præcepta noſtra ita conſequetur, ut quæ ex his in quacunque cauſa inueniri poterunt, facile intelligat, quid his dictum ſit, quid omiſſum, diligenter examinet, ſed de his ſatis.* Nunc *eius loci, quem* Comprehenſionem *poſſe appellari* Latinè *putamus, quod cauſam totam contineat, atque comprehendat tractationem aperiemus.* Nam *is quidem locus, non quemadmodum cæteri, ut dictum eſt, ſed alio quodam modo confirmari ſolet, quem diligentius exponemus, quoniam totam cauſam ab initio ad finem complectitur.* Fluit *ergo comprehenſio à circunſtantijs.* Confirmatur *autem non à circunſtantijs ut cæteri, ſed à quadam aut totius in minora, uel pauciora inciſione, aut ſimilium enumeratione, aut fictoria ratione, quæ oppoſitum rei confingat hoc modo,* Magus *quidam, quum ciuis alicuius filiã in uxorẽ peteret, repulſus eſt*

Priſci oratores.

Compreh

cuiuſdam ſimulacri deinde amoribus capta puella furit. Magus reus fit ueneficij, amores ſubdiuidendo ſic confirmabis comprehenſionem: Simulacrum amat puella, quæ ſi uirum quempiam amaret, non ego te ueneficij accuſarem: ſi te ipſum arderet, artes tuæ magicæ mihi ſuſpectæ non eſſent. A ſimilium partitione, ac enumeratione ſic: Si alium quendam furorem fureret, ſi alia ægritudine laboraret, non te accuſarem. Item ab oppoſita ratione fictoria ſic: Si non amaret, ſi non cuperet, ſi improbo deſyderio non arderet, nihil ego de uenenis tuis quererer. Hic dicendum mihi eſſe arbitror omnem inciſionem, qua comprehenſio approbatur, fictoriam nobis uideri. Verùm quod ex oppoſito confingitur, aut quod ad exemplum * ſuum contrarium infertur fictorium, alias rationes, quibus comprehenſio confirmatur, unam totius in minora ſiue pauciora, alteram ſimilium partitionem, ut dilucidior, ac memoratu facilior præceptio fieret, appellare placuit. Totius inciſione in pauciora utemur, quum totum huiuſmodi eſt, ut minorem ſuſcipiat numerum, hoc modo, Tres quidam filios ſimul interfecit lege qua parentes in filios abſolutam poteſtatem habere uidentur, reus eſt cædis: Treis ſimul interfecit filios, ſi duos interfeciſſet, ſi unum ſolum, ſi non filium, non'ne adhuc moleſtè ferretis? Sciendum autem huiuſmodi nonnunquam partitiones etiam ad maiora fieri poſſe, quod accidit quum negamus aliquid faciendum certo aut pretio aut gratia, ut hoc in exemplo, Miſit centum Philippus talenta Athenienſibus, quibus Demoſthenes ſibi traderetur. In minora diuides ſic, Iis ego talentis non dico Hiperidem, aut Aeſchinem, ſed neque plebeium quendam, aut opificem, non minimum atque inutiliſsimum ciuem præberem, nedum Demoſthenem, qui libertatem Græ-

*ſiue

cia

ciæ cum prudentia, tum eloquentia ſua tutatus eſt. In maiora hoc pacto, Centum talenta dat, non ſi mille daret, non ſi decem milia, non ſi ciuitates, non ſi gentes, prouincias, ac regna omnia ſimul conferret, Demoſthenem qui libertatem Græciæ cum prudentia, tum eloquentia ſua tutatus eſt, ei traderem. Approbatur autem comprehenſio, minorum, aut maiorum, aut ſimilium partitione quadam aut inciſione, & fictoria ratione, quam ex oppoſito rei inueniri diximus. Quare etiam confirmationes in his, quæ ab initio ad finem uocamus, perutiles ſunt. Amplificant enim orationis uim, ac, ut multò maior uideatur, facile conficiunt. Præterea ipſa natura rerum, quæ quodammodo, ut dictum eſt, tota fingitur, confirmationes iure ſuo poſtulare uidetur. Verùm ſi ad unam rem approbandam partitiones, tum ad maiora tum ad minora, aut ſimilia inueniuntur, ac omnia occupare dicendo in animo eſt, uehementiſsimi uidebimur oratores, ſi ſatietatem orationis fugiemus. Nam Varietas quidem ubique non delectationis ſolùm, ſed etiam dignitatis affert plurimum. Hoc autem in loco etiam neceſſaria eſt, ne propter ſimilitudinem rationum, quippe quæ omnes à quadam partitione fluunt, ſimili quodam modo prolata oratio ſatietate contemnatur. Varia ergo erit oratio, ſi confirmationes nunc interrogatiuè, modo infinitè, nonnunquam per conuerſionem, alijsq́; coloribus efferamus. Multis enim & uarijs exornationibus copia oratoris, quæuis ſententia exornari poteſt. Oppoſitionem etiam, quam exornationem multi, nos etiam argumentationem putauimus, huiuſmodi rationes facile ſuſcipiunt, cuius exemplum, ut præceptio clarior fiat, ponere non grauabimur: Ego, ſi eos tuos filios (ſi tui dicendi ſunt, quos crudeliſsimè trucidaſti) aut uer-

ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους

Varietas.

beribus affeciſſes, aut exilio, & abdicatione notaſſes, moleſtè tum etiam ferrem tot pulcherrimos iuuenes, uel chariſsimo patre ſolo priuari, uel præterquam æquum ſit uerberibus cædi: nunc uerò quum non abdicatione, non exilio, non uerberibus, ſed morte tres ſimul abſtuleris, non expoſtulem? non accuſem? non grauiter feram? et qui ſi unum interfeciſſes exclamarem, nunc tribus necatis ſilebo? quòd ſi ego tacerem, non'ne parietes domus ubi nati, non'ne ipſa urbs ubi educati doctiq; ſunt, exclamarent? Sed ne longior ſim, ſi confirmationem, hoc eſt, rationes, quæ aut urbi, aut claro uiro mortuo uel abſenti attribui ſolent, conſcriberem, ad præcipiendum redeam. Nam hic maxime, et in perorationibus confirmationes locum poßidere ſolent: Quod ergo dicebam, quoniam harum rationum, quæ ex ſimili quadam partitione profluunt, uitanda eſt ſatietas, nunc oppoſitionibus, nunc circuitu, alijs breuioribus, longioribus alijs, modo minuto quodam, & quaſi punctim elato genere orationis, modo graui & elegante, de quibus poſtremò quum de formis, quas nos ideas orationis appellamus, diſſerendum erit, diligenter dicemus. His ergo atque alijs modis, quos omnes dicere longum eſſet, orationis faſtidium, quod ſimilitudine fit, effugere facile poterimus. Verum quoniam quæ ad argumentationem attinent, iam ſatis patent, nunc primò dabimus operam ut breuiter hi loci pateãt, quos in Topicis tractare multos perſpeximus: deinde eos ipſos locos ad circunſtantias reducemus, ut ex hoc planißimum fiat, omnes oratoriæ facultatis locos in circunſtantijs fundari: qua ex re illud etiam utilitatis conſequemur, quòd dilucidior ac facilior nobis rationum copia fiet, ſi quibus locis ex unaquaque circunſtantia quicquam confirmetur nouerimus.

DE

DE LOCIS DIALECTICIS.

INueniuntur igitur rationes, ac argumenta à genere, ſpecie, differentia, proprio, diffinitione, toto, partibus, cauſis, effectis, uſibus, generatione, corruptione, adiunctis, iudicato, ſimili, maiore, minore, pari, proportione, oppoſitis, tranſumptione, caſu, coniugatis, diuiſione, quos omnes & ſi rationum ſedes dicimus, tamen à nonnullis confirmationes quoque fuere iam dictum eſt. Genus eſt quod ſpecies continet, hoc ad probandam ſpeciem minimum ualet, plurimum ad refellendam. Nam quod non eſt uirtus, nec iuſtitia: quòd ſi uirtus hoc eſt, non idcirco ſtatim iuſtitia erit. Item ſi argentum omne legauit, ſignatum quoque: non tamen quoniam cælatum argentum legauit, omne tibi argentum petendum exiſtimes: quòd ſi tam cælatum, quàm non cælatum legauit, omne legauit, ſicut econuerſo nullum. Species eſt quæ generi ſubiecta eſt, quæ contrà plurimum ad probandum genus, minimum ad refutandum ualet. Nam quod iuſtitia eſt, id uirtus eſt: non tamen quod iuſtitia non eſt, id quoq; uirtus non eſt. Remouetur autem genus neceſſario, ſi quis formas ſubiectas ei omnes diligenter per enumerationem negauerit. Nam quod nec ratione utitur, nec brutum eſt, id quidem nec animal eſt. Differentia eſt, qua genus diducitur in ſpeciem: à differentia æqualiter & infertur, & remouetur ſpecies, genus etiam comprobatur, non improbatur. Nam quũ rationis homo ſit particeps, quod ratione caret, nec homo: non autem idcirco quoniam ratione caret, nec animal eſt. Proprium eſt, quod ſoli accidit, ut homini riſus: proprium id cuius proprium eſt, & poſitum infert, & remotum aufert, ut ſi riſibile ſit homo, utique ſi riſibile non ſit, nec homo. Item contra, quod homo non eſt, nec riſibile: quòd ſi homo, etiam riſibile.

Genus. *Species.* *Differen.* *Proprium.*

le. Hoc proprio oratores diffinitiones inferre ut plurimum ſolent, ut ſi tyrannicidæ proprium eſt tyrannide ciuitatem liberare, hic tyrannicida eſt, liberauit enim. Item econtrariò, tyrannicidæ proprium eſt tyrannum occidere, hic non occidit. Ratio igitur, quæ à proprio, quod ſoli, & ſemper accidit trahitur, difficillime ſoluitur: Quæ uerò ab huiuſmodi proprio inuenitur, quod alijs quoque accidit, quum affirmet, facile ſoluitur, ut ſi tyrannum occidere tyrannicidæ proprium eſſet, & carnifices, qui ſibi traditos tyrannos trucidare ſolent, tyrannicidas diceremus, & præmia his ſecundum legem afferremus: quod ſi id nunquam fecimus, nec tu hos tyrannicidas dicis, nec illud tyrannicidæ proprium dicendum eſt: quum remoueat, neceſſaria uidetur, ut ſi bipes non eſt, nec homo: ſi tyrannidem non oppreßit, nec tyrannicida. Diffinitio eſt uniuſcuiuſque rei breuiter & abſolutè poteſtatem complectens oratio: hæc ut proprium & remouere & inferre rem ſolet, ut ſi animal rationale eſt, & homo eſt: ſi animal rationale non eſt, nec homo. Reprehendimus uerò huiuſmodi rationes, quæ ex diffinitione capiuntur, ſi aut propter multitudinem uerborum res nimium quàm neceſſe ſit contrahi uidentur, aut propter paucitatem, aliæ quoque res cum ea quæ diffinienda eſt concipiuntur: Aut quum genus rei diffiniendæ, uel differentia non commodè aßignata uidetur. Hæc autem omnia facile perſpiciuntur, ſi diffinitionem ita cum eo quod diffinitur conuertere coneris, ut ex diffinitione res, & ex re diffinitio conſequatur. Quod ſi non accidit, diffinitio labefactanda eſt, aut quòd non conuertatur, aut quòd genus, uel differentia non huiuſmodi ſint, ut illam rem conficere poſſe uideantur, hoc modo: Monetam omnem uxori legauit; cælatum autem argentum moneta

Diffinitio.

neta eſt, argentum igitur cælatum omne ſolum legauit. Quid enim, dicet quiſpiam, ex argento'ne ſolum fieri monetam putas? & quodnam cælatum argentum monetam dicis? pateras'ne? ac huiuſmodi cælata uaſa? At hæc nemo unquam monetam dicenda putauit. Conſtituuntur etiam diffinitiones ex accidentibus ſolum & genere, ut ſi coruum diceres auem nigram, aut hominem animal bipes, quam diffinitionem Deſcriptionem cõmuniter appellant. *Deſcriptio.* *Verùm oratores ea plerunque utuntur diffinitione, quæ ex enumeratis abſolutè partibus conſtat. Partes autem hic non ſolùm eas quarum unaquæque totum conſtituit, quas Cicero Formas, alij Species nominant, intelligimus, uerùm* *Forma, & Species.* *etiam eas quæ niſi omnes unà componantur, totum nunquam efficitur: ut reſpublica eſt quæ aut populi aut paucorum, aut unius poteſtate regitur. Item Cicero ad Herennium, Demonſtratiuum eſt, quod tribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem, uel uituperationem. Huiuſmodi diffinitiones facile confutantur, ſi non conuertuntur, ut ſuperius dictum eſt: quod accidit, ſi aut non propria ſumuntur accidẽtia quæ ſemper rei inhæreãt, aut ſi aliqua pars prætermittitur in enũeratione. Vt ſi quis diceret iniurias eſſe, quæ aut pulſatione corpus, aut conuicio aures afficiunt. Quid enim, diceret quiſpiam, non'ne iniurias etiam putas, quarum turpitudine uita uiolatur? Ad hunc diffinitionis locum, illum etiam reducimus modum, quem quum ἐτυμολογίαν nos, Latini forſan nominis interpretationem, aut notationem appellare poſſunt: Chryſogonus hic ideo nominatus eſt, quia ſibi aurum undecunque pariat, quo ferè Cicero pro Sexto Roſ. contra Chryſogonum utitur: χρυσὸς* *ἐτυμολ[ογία]* *Chryſogo[nus]* *enim apud nos aurum, γονὴ fœtum ſignificat. Quæ uerò diffinitiones à proprio conſtant, differẽtia ſoluuntur, quod*

ſuperius adapertum eſt. Hanc *diffinitionem ab illa, quam locum principalem in nonnullis ſtatibus poſuimus, in hoc maximè differre uolumus, quòd iſta rationis uim afferre ſoleat, illa totius argumentationis fundamentum plerunque eſt. Quare illa cauſæ, hæc argumentationis pars inuenitur.* Totum. *Totum eſt quod partibus conſtituitur:* Partes. Partes *ſunt quæ ſimul captæ totum conſtituunt.* A *toto inferuntur partes, non remouentur, ſi tota reſpublica conſilio gubernanda uidetur, & domus, & unuſquiſque ciuium: non tamen quoniam reſpublica fortunæ committenda non eſt, idcirco nec tu caſui te committes: nec enim quoniam tota domus redintegranda non eſt, idcirco & paries unus.* Partes *etiam ſi ſimul commodè colliguntnr, totum inferre ſolent, quas & ſi ſingulas auferas, totum dirues: non enim reſpub. dicenda eſt, cui nullæ ſubſunt familiæ, cuiuſmodi antequam* Sabinæ *raperentur,* Romana *res fuiſſe à multis traditur.* Verùm *totum & partes ſimili ratione in tempore, quantitate, & loco etiam conſiderantur: nam quod ſemper agendum eſt, & nunc: quod ubique eſt, etiam hinc non abeſt, ac in alijs eadem ratione.* Cauſa. Cauſa *eſt quam effectus conſequitur: ea quadripartitò diuiditur,* [...]a quadru- *in efficientem, materialem, formalem, & finalem.* A *cauſa efficiente,* [...]uſa effi- *quam natura ſui effectus conſequitur, ita ducitur ratio, ut dum ea inſit, effectus quoque ineſſe iudicetur, hoc modo,* Non *poteſt non eſſe dies, quum ſol ſuper terram ſit: nec incorruptam uideri poſſe, ſi cum uiro concubuit: ſi ſapientia bonum uirum facit, & ipſa bona.* Virtus *affert laudem, ſequenda igitur: uoluptas inſaniam, ergo fugienda:* Corpus *in lumine eſt, umbram ergo facit. hæc* idem ualent, ſi retro agis.* *eadem Ea *uerò non ex alia parte neceſſaria ſunt, quæ alijs quoque cauſis fieri poſſunt,* Sol *colorat, ſed non omne co-*

lora

loratum à ſole eſt. Iter pulueruleutum facit, ſed non omne, nec quicquid puluerulentum eſt, ex itinere eſt. Omnino autem & breui notandum, quòd qui effectus ab unica cauſa procedunt, ea poſita inferuntur, & ablata remouentur: qui uerò à diuerſis fluunt, una poſita inferuntur, & unam inferunt: nec negari recte poſſunt, niſi cauſas omnes abſtuleris. Quòd ſi huiuſmodi cauſa efficiens eſſet, ut non natura magis, quàm uoluntate effectum conſequi poſſe uideatur, quod in his ſemper accidit quæ arte conficiuntur, tunc niſi quod efficere dicitur, alijs quoque cauſis, ac circunſtantijs corroboretur, infirmum eſſe neceſſe eſt, ut ſi dicas, timendum eſſe ne* Teucri mare occupent, quoniam fabricatores nauium optimos habeant, niſi conſtet, lignorum quoq; ac ferri, quibus tanquam materia naues conficiuntur, copiam eos poßidere, niſi maritima loca, portuſq; habeant in quibus tum inſtruere, tum conſeruare naues poßint, niſi peritos nautas, ac nauigationis expertos* Teucros eſſe intelligamus, niſi deniq; utilitas aliqua, quaſi finis appareat, qui eos ad occupandum mare inducere poßit, nihil illa ratione efficies. Quare oportebit, quum huiuſmodi res accidit, commode omnia ſub unum aſpectum conferre, ne quid rei quam probare uolumus, obſiſtere queat. Quòd ſi confutamus, diligenter aduertendum eſt, ſi quid tale ab aduerſarijs relictum eſt, quo ratio eorum refutari poßit, aut ſi omnia recte pronunciarunt, aliquid eorum non ſufficere dicemus, ut ſi materiem eis non ſufficere dices ad tantas uaues præparandas: Quòd ſi his omnibus aduerſarius urget, tunc aut illos maioribus occupatos, huic rei non daturos operam: aut quum nobis certa pericula immineant aliunde, ſtultum eſſe dices his non mederi quæ nunc urbem agitant, de futuris quæ utrum euenient

*Turci

*Turcos

incer

incertum eſt, uehementer timere. At hæc quidem ſi confirmas, ita ſimul omnia complicanda ſunt. In reprehenſione autem unum negare ſufficit, hoc modo, Non eſſe corruptam, quum uirum nunquam cognouerit: non eſſe occupaturos Teucros mare, quoniam eius rei notitiam non habeant: aut quia materies, uel nauiculatores ſibi deſint, aut quia portuoſa Teucria minime ſit. A materia *A` materia, ex qua ſolet aliquid fieri, ſimiliter argues rem eſſe, ſi cætera quæ ad rem pertinent concurrere uidentur, hoc modo. Habent Mauri ferrum, habent fabros, quare non eſt dubium arma eos poſſe fabricare. E contra uerò negatio ſola rem aufert, nam ſi ferrum non habent, nec quod ex ferro fit eos factitare poſſe dubium eſt.* A forma. *A` forma, quæ aptitudinem quandam, ac habitum rei præbet, ita duces argumentum, ſi diceret aduerſarius paucos habere ad tantas naues præparandas nauiculatores Teucrum. At illos inquies homines natos eſſe, inſitum ſibi eſſe ingenium, poſſe breui ex paucis, uel etiam ab unico huius rei artificium multos accipere, quare non eſſe negligendum. Similiter econtrà, ſi formam, hoc eſt, ſi naturam & poteſtatem rei huiuſce eſſe negabis, neceſſariò quod dicitur reprehendes, hoc modo: Apertè mentiuntur poëtæ uolaſſe Dædalum. Nam quod natura negat, neminem facere poſſe, haud dubium eſt.* A fine. *Finis, cuius gratia cætera quoque quæruntur, coniecturalibus cauſis ac deliberatiuis ualde utilis eſt. In coniecturali enim cauſa uoluntatem à fine approbare, ac improbare fermè ſemper ſolemus & in conſultationibus faciundum, aut non faciundum aliquid, finis cauſa dicimus. Ex fine ita rationes ducuntur, quemadmodum ex efficiente duci putabamus. Nam ut in his quæ natura inter ſe conſequuntur, tum probare tum reprobare ſolo fine poſſumus,*

*ſumus, ita quum uoluntatem fine arguimus, niſi cætera conueniant, non ualde ueriſimiliter dicere putabimur. Quare & Cicero quum cauſam afferrent aduerſarij, cur patrem Sextus Roſcius occiderat, quòd eum rure relegaſſet, quòd patri non placeret, quòd exhæredare cogitaſſet, primò uitam Roſcij tanto facinori non conuenire ait, deinde ipſam cauſam facile infirmat. Quare oportet omnia quæ ad rem petinent, ſimul cum fine inferre, quum uoluiſſe reum oſtendere uolueris, ne nobis quoque aduerſarius ita inſultet, ut clariſſimus ille orator, Sexti Roſcij aduerſarios irridet, quòd tanto ſceleri uita Roſcij non conueniret: quamuis ille potius ut ſoluat, quàm quòd facile ſoluturus uideretur, derideat. Verum nos debilitari facile finem ſi etiam negari non poſſit, quum cætera non conuenire dicuntur, intelligamus. Et hæc quidem ita ſe habent. Illa uerò quæ natura ſui propter finem adhibentur, * aut mouentur, poſito fine conſequuntur neceſſariò:* *nec *bona enim eſt uirtus, quoniam & beatitudo bona, & reſpublica bona eſt, quoniam & congregatio ac cohabitatio hominum bona. Effectus quantum ad rem pertinet,* Effectus. *idem plerunque fini ſolet inueniri: ſic enim tam uirtutis, beatitudinem: quàm peccati, pœnas effectum appellare ſolemus. Verum quoniam nonnullis in rebus à fine ſeparatur, ſeorſum locum quoque ab effectibus ponendum duximus, ut ſi quis constructionem, ac ædificationem bonam dicet, quoniam & domus: non enim à fine hic ædificationis ſiue constructionis domi, uerùm ab effectibus ratio trahitur. Nam ædificationis quidem finis is eſt præcipuè, qui nos maximè ad ædificandum mouet: mouet autem non domus, ſed uſus eius. Illud etiam notare decet, ad diuerſas cauſas diuerſos affectus conſequi, & ad oppoſitas*

oppo

Ab uſibus. oppoſitos. Locum ab uſibus cum appellamus, qui ſecundum uniuſcuiuſque rei uſum nobis rationes ſuppeditat, ut ſi bonum eſſe dicas equitare, equum quoque bonum contendas oportet. Et ſi nauigare dicis oportere, & naues habere neceſſariò: equitare etenim equorum, nauigare nauium uſus eſt. *Generatio.* Generatio eſt, qua fit ut aliquid ſit. *Corruptio.* Corruptionem uerò dicimus, qua fit ne quid ſit: ab his ita ducuntur rationes, ut cuius generatio bona uel mala ſit, ipſum quoque: quòd ſi corruptio bona, ipſum malum: ſi mala, ipſum bonum. Nam quoniam corrumpi remp. pernicioſum eſt, idcirco remp. bonam eſſe affirmabimus: et quoniam concordiam ciuium optimam, ideo & ciuitatem. Adiuncta *Communiter accidentia.* quæ etiam Communiter accidētia dicere ſolemus, ſunt quæ aut ſemper, aut plerunq; rem conſequuntur, ut ſi dicas ſapientem fuiſſe Cæſarem, quoniam nullius unquam rei eum pœnituiſſet, aut ſtultum M. Antonium, quòd nihil unquam agere potuiſſet, cuius ilico ſe non pœnituerit. Aut ſi ideo reum feciſſe quicquam arguis, quoniam quum ad eum uentum fuiſſet, erubuiſſet, titubaſſet, inconſtanter locutus eſſet, aut aliquid huius feciſſet. Nam hæc omnia communiter his accidere ſolent, qui ſibi ipſis conſcij ſunt. Adiuncta ſub eandem rationem uenire decet, & natura inter ſe congruere. Sic enim iſta ueriſimilia ſunt, ut ferme neceſſaria uideantur, ſi Rhodijs portorium locare honeſtum eſt, & Hermacreonti conducere: ſi iuſtitia bonum, recte iudicandum: ſi malum perfidia, non fallendum: quem quis amat, prudens non lædit: quem hæredem fecit, charum habuit. Quoniam hæ rationes omnes, quæ à communiter accidentibus inueniuntur, neceſſitatem afferunt ſermoni non minimam, ſi ab his ducuntur, quæ à re ſeparari non poſſunt: Idcirco ſola negatione confutari ſolent. Nam ſi concedis,

cedis, nullius unquam rei pœnitentiam egiſſe Cæſarem, quum mentis eum compotem fuiſſe conſtet, ſapientem quoque eum uelis nolís'ue, dicere oportebit. Quare id negare oportebit ita fuiſſe, ſed eum nonnunquam aut etiam ſæpenumero ea egiſſe dices, quæ poſtea facta nolebat. Hunc modum et in his quæ ab effectibus aut uſibus, aut generatione, ac corruptione trahuntur, et omnino in omnibus, quibus poſitis, aut remotis, neceſſe erit aliquid confici quod nos uulneret, diligenter obſeruabimus: in his uerò, quæ non neceſſariò quicquam conficiunt, præter hunc modum etiam facile poteris, quum rem cõcedas, alia id de cauſa factum contendere, ut ſi non ideo diceret accuſator non expalluiſſe reum, quoniam innocẽs eſſet, ſed quoniam in huiuſmodi rebus à pueritia uerſatus, eò audaciæ uenerit, ut nihil ſibi putet timendũ: econuerſo quoq; ſi pertimuiſſe reus concedit, poterit magnitudine ſe periculi commotum, non conſcientia dicere. Illud etiam in his omnibus, quæ aut ſe inuicem, aut unum ex altero quacunque ratione conſequuntur, diligenter notandum, antecedente poſito conſequens inferri, & econtrà in primis remoto quoque, auferri in primis, & contrà in omnibus. Locus à rei iudicio, quem ab auctoritate ſæpe nominamus, is eſt, qui iudicio et auctoritate alicuius ea in re periti nititur. Iudicatum *Simile eſt, quod ex re diuerſa ad rem de qua agitur, ſic aliquid eiuſdem rationis accommodat, ut propter ſimilitudinem aſſentire cogat auditores, quod & dupliciter nonnunquam effertur, hoc modo, Nam ut in nauigatione antequam nauis ſubmerſa ſit, omnes uigilare, ac niti ſolent, ne ſubmergatur: quum nauis euerſa fuerit, eam amplius nemo gubernat: Ita rempub. dum incolumis ſit, omnibus uiribus tueri oportet: quum oppreſſa* Simile

preſſa fuerit, fruſtra eam amplectere. In confutatione *aut ſimilitudo neganda eſt, aut alia commodior adducenda: neganda hoc modo,* Non *ita oportet, ut in nauigatione cenſet feſtinare.* Submerſam *enim nauem nullam ſaluam nouimus,* oppreſſas *ab hoſtibus ciuitates, multas etiam nunc rerum* potiri *uidemus.* Aliam commodiorem *opponemus, hoc modo,* Nam *ſi dum bellum indicatur, præparati expectamus, non ut imperiti nautæ, antequam tempeſtas erumpat trepidatione nauem ſubmergunt, ita non antequam bellum indicatur, difficillimo bello nos implicabimus: uerum ut fortis, ac ſuæ rei doctiſsimus gubernator minime tempeſtatem quum abſit deſiderat, cum adſit non timet, ſic nos pacem quoad poſsumus amplectemur, quum bellum inferetur fortiter ſuſcipiemus.* Hæc *ſimilitudo, ſi ornandi cauſa, uel apertius dicendi, uel ante oculos ponendi ſumitur,* orationis *magis* exornatio, *quàm argumentum dicenda eſt: quum uerò* probandi *cauſa accipitur, argumentum & confirmatio eſt:* quod *facile uidebis, ſi* orationis, *quæ per ſimilitudinem fit, ablata compoſitione, rerum uim nudam conſideres: ſi enim quæ probant, non facile arguuntur:* Reipublicæ *oppreſſæ fruſtra auxiliaris, quoniam & naui ſubmerſæ, & ante naufragium niti ne nauis ſubmergatur, boni gubernatoris eſt: ergo & ciuis boni antequam opprimatur reſpublica conari ne fluctibus obruatur.* Item *ſi continentia uirtus, & abſtinentia: ſi fidem det tutor, & procurator: quod mulieri, idem pupillo.* At *illud non huiuſmodi eſt, non ut qui currenti ſuccedit uelocior ad curſum eſt, ſic qui* Imperatori *ad regendum exercitum melior: nec, ut nauis noua melior, ſic & amicitia.* Quare *quod probat ſimile, cætera ſimilitudinis nomine appellentur.* Illud *quoque notandum ſimile*

mile per negationem etiam efferri, hoc modo, Neque equus indomitus, quamuis bonus natura ſit, ad eas utilitates quæ ab eo deſiderantur idoneus eſt: nec homo indoctus quamuis ſit ingenioſus, is eſt à quo uirtutis fructus elicere poſſis. Maius *eſt id à quo id quod minus eſt continetur.* *Maius.*
Minus *eſt, quod maiori ſupponitur.* Par, *quod nec continetur nec continet, ſed æqualitatis comparatione confertur.* A *maiore argumentum ducitur, cùm minus infertur, hoc modo:* Non *expugnaturum* Hannibalem Romanos, *quoniam nec* Galli, *aut fruſtra* Pyrrhum *in* Scythas *iturum, quoniam & Darius.* Qui *ſacrilegium facit, faciet & furtum: ſi adulterum occidere licet, & loris cædere: ſi mundus prouidentia regitur, & reſpublica prouidentia regenda: & ſi reſpublica, & domus.* A *minore, cùm maius infertur, ſic,* Facile Romanus Perſas *ſuperaturus eſt, quoniam &* Græcus: *ſi furem cædere licet, & latronem: ſi furtum ſcelus, & ſacrilegium: ſi abſtinentia uirtus, et continentia.* A *pari,* Qui *ob rem iudicandam iniquè pecuniam accepit, & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet: qua pœna qui patrem interfecit puniendus, eadem & qui matrem: & ſi nulla ille, neque hic: & econtrariò confutabis, ſi aut rem negabis, quòd, uerbi gratia,* Græci *non* Perſas *ſuperaſſent: aut non huiuſmodi rem dices, ut ſi non minores tunc* Græcos *quàm nunc ſit* Romana *potētia: aut ſi fortiores nunc eſſe* Perſas *cōtendes, quàm olim fuiſſent: quæ tum gentium multitudine, tum armorum peritia, exercitationéque comprobabis.* Item *ſi minoris modus maiori attribuitur, aut econtrà: quod & ſi facilius intellectu, quàm dictu ſit, tamen breui dicam quomodo fieri debeat:* Maius *et minus, aut in his ſunt quibus quid accommodatur, aut in ijs quæ cuiquam accommodantur:* Si *primo modo compa-*

Minus.
Par.

ratio ſit, & non maius, nec minus: & ſi minus, & maius: ſi ſecundo modo maius conueniet, & minus: quòd ſi non minus, neque maius, neque retrò agere oportet. Nam ſi maius primo modo eſt, non idcirco minus eſt, aut non eſt: Et ſi minus ſecundo modo conuenit, non idcirco maius conueniet. Quare maius & minus in rebus (ſic enim ſecundum modum appellamus) contrario quodam modo, atque in perſonis tractanda ſunt. Verùm quæ diximus ad ipſius ſolum minoris maioriſq; naturam referantur. Nam ſi quid ex circunſtantijs accidere intelligitur, horum quoque oppoſita ut credibilia ſuſcipienda oratori cenſemus: ut hoc, qui facile & palàm mentitur, peierabit: huiuſmodi rationem à maiore ſcilicet ac minore, uel in numero inueniri, rerumq; naturam conſequi nullus dubitabit. Nam qui decem dare poteſt, & quinque: qui ſe quinque negauit datūrum, & decem. Exemplum eſt rei geſtæ commemoratio, quæ ad propoſitum probandum improbandum'ue dicitur. Exemplum aut omnino ſimile, aut contrarium, aut maius aut minus re, cui confertur, eſſe ſolet. Simile, Iure occiſum Saturninum, quoniam & Gracchum: contrarium uel diſſimile, At non ille ſatum quo te mentiris, Achilles talis in hoſte fuit Priamo, ſed iura, fidemq; ſupplicis erubuit. Item, Brutus filios proditionem molientes occidit. Manlius uirtutem filij morte mulctauit. Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit: Verres eadem ſocijs abſtulit. Maius, ſi propter matrimonium uiolatum Troia euerſa eſt, quid fieri adultero par eſt? Minus, ſi tibicines, cum ex urbe receſſiſſent, publicè reuocati ſunt, ciuitatis principes, qui bene de republica meriti ſunt, quum inuidiæ ceſſerint, ab exilio reducendi. In exemplis minora magis mouent. Vnde magis ad fortitudinem incitat Lucretia, quàm

Exemplum.

quàm Cato. Inter Exemplum & Locum ab auctoritate, quamuis in utroque certum nomen auctoris commemoretur, hoc intereſt, quòd in uno, iudicio hominis nitimur, in altero uerò ſententiam cuiuſquam ſequimur, ſed facti ad rem noſtram ſimilitudine iuuamur. Exemplum & locus à rei iudicio, cum inter ſe conueniant, ſimiliter confutantur. Simile igitur diſsimile, impar ſimile oſtendatur, genere, natura, ui, magnitudine, multitudine, tempore, loco, cauſa, perſona, opinione, modo. Genere, extingui intellectum, quoniam & uiſum, ſed is materialis. Natura, ſequatur uoluptatem homo, quoniam & cætera animalia, at ratione gubernatur. Vi, inſit iuuentuti ſeueritas quædam, & grauitas, quoniam & ſenibus, ſed iucunditas iuuentutis propria. Magnitudine, ſi fortè non electione gubernator nauis, nec imperator claſsis: at maiore maius ratione gerendum. Multitudine, fortè noſtræ'ne, an hoſtium hæ ciuitates ſint dijudicemus. Sic enim & maiores de duabus fecerunt, ſed in pluribus maius periculum. Tempore, continuet Pompeius imperium, quoniam & Marius: ſed ille in atrociſsima reipublicæ tempeſtate, nunc urget nemo. Loco & cauſa, cum in Italia bellum ſit, non traijciantur in Africam copiæ, ne ſimile quid cum Athenienſibus patiamur: ſed longius illi, & in ignota loca: propius nos, & in cognita, & ea ex re alios quoque hoſtes illi attraxerunt, nos Hannibalem, quiq; cum eo exercitus eſt, ex Italia pellemus. Perſona, continuet Marius imperium, quoniam & Scipio: at ille ſanctus uir, libidine iſtius nequid incommodi accidat, cauendum. Opinione, ſi ſimilia dicuntur, quæ non ita dicuntur. Modo, qui Cereris ſacra obeuntem ſtuprauit ea pœna plectatur, qua qui Veſtæ obeuntem ſacra corrupit: ſed quæ maiore conatu ſuſcipiuntur peccata, atrocius

Exemplum & locus ab autoritate quomodo differant.

punienda. Multa etiam horum ad eiuſdem euerſionem concurrere clarum eſt, ut ad idem. Vi, at hæc uirgo, illa matrona: loco, in domo illa, hæc in templo. Idem etiam à diuerſis fluere uidetur, At hæc Veſtæ conſecrata, illa non Cereri. Vi & magnitudine, ſed unum horum confutanti ſufficit: Confirmanti id maximè aduertendum, quo ſimilitudo negari poteſt: ſi negari non poteſt, uidendum ſi aut reprehenſum, aut minus laudatum exemplum ſit. Hæc in omnibus quæ ſimilitudinem habent, excogitari poſſunt: qui à ſimili dicit, non ipſam rem ſi tota toti, uerùm ſi quod ad rem pertinet ſimile ſit conſiderabit. Locus à proportione dicitur ſimilitudinis quædam diligenter facta collatio, hoc pacto, Nam quoniam ita ſe habet gubernator ad nauem regendam, iudices, quemadmodum magiſtratus ad diſponendam rempublicam, idcirco cum diligente cura, & acri iudicio, non ſorte gubernator eligatur: nec magiſtratus quidem ſorte potius quàm iudicio in ciuitate ſunt eligendi. Is locus à ſimili differt, quoniam ibi à ſimili ſimile infertur. hic ſimilitudinis ac proportionis collatio fit, quod ut clarius pateat in eodem exemplo utrunque oſtendamus, A ſimili ſic, nam ut gubernator non ſorte, ſed iudicio eligitur, ita in republica magiſtratus eligendi ſunt. A proportione hoc pacto, ita ſe habet ad nauem gubernator, ut ad rempublicam magiſtratus: at gubernator iudicio, non ſorte eligitur: Quare oportet iudicio quoque, non ſorte magiſtratus ciuitatis eligere. A minore uerò uel maiore, in quo locus à proportione differat manifeſtum eſt, quæ enim ibi ſimilitudo attenditur, aut minoris aut maioris eſt, ut ſi ita diceres, quòd ſi nautis gubernator arte, non ſorte eligitur, multò magis à ciuibus magiſtratus iudicio, non ſorte eligendi ſunt, à minore, non à ſimili, nec à proportione ar

Locus à proportione.

ne argumentum caperes:hunc locum confutabimus, ſi aut proportionis ſimilitudinem negabimus, aut ea conceſſa ab euentu diuerſo rationem infirmabimus.Nam ſi concedis in propoſito exemplo proportionis ſimilitudinem,poteris dicere,nautis non eſſe quicquam timendum, ſi ratione gubernatorem diſcernunt: At in republica uehementer metuendum eſſe, ſi ſemper præſtantiores ciuitatē imperio regant, ne in paucorum poteſtatem reſp.concidat. Nam id euenire hic facile,ibi ne timeri quidem poßit. Locum ab oppoſitis in quinque partes diuidimus, nam quod ad propoſitum pertinet, omnis oppoſitio, aut priuationis & habitus eſt, aut affirmationis,& negationis,aut relationis,aut contrariorum,aut diſparatorum. Priuatio eſt, qua aliquid,quum natum ſit ineſſe, non ineſt:cuius oppoſitum Habitum appellamus: ab his ita ſumitur argumentum, *Non eſt oculorum proprium ut uideant, multi enim quum habeant oculos,carent uiſu.Item è contrario,Non eſt ſolum cæcus, qui caret oculis: nam multos tametſi oculos habeant, tamen cæcos appellare non dubitamus.* A' negatione ſumitur argumentum, quum quidem ab ea ſequitur affirmatio, & èontra,hoc modo, *Pacem cōtempſere Carthaginienſes,in Hiſpania enim noſtros ſocios ſolicitant, nullam Romanus Carthaginienſi attulit iniuriam, neque cauſam belli unquam dedit. Quare bene fortuna iudicauit, quum Italiæ Africam ſubiecerit.* Locus à relatione oppoſitis appellatur, quum ab altero eorum,quæ inter ſe referuntur, alterum infertur, hoc modo, *Vniuerſa Græcia Athenienſibus ſubiecta fuit, toti enim Græciæ Athenienſes imperabant. Item,Carthaginienſes Romanis ſubiectos fuiſſe conceditis. Quare dubium non eſt,Carthagini Romanos imperitaſſe.* Hoc confutatur,ſi aut quod infertur relatiuum negatur,aut

Oppoſitorum partes.

Priuatio.

Habitus,

Negatio & Affirmatio.

Relatio.

uis relationis non huiuſmodi eſſe oſtenditur, ut unum poſitum alterum ſequatur. Contraria ſunt, quæ in eodem genere poſita inter ſe plurimum diſtant: horum quædam mediata, quædam immediata uocantur. Mediata dicimus, quæ huiuſmodi ſunt, ut uno remoto non neceſſario alterum ponatur: non enim ſequitur, quod albũ non eſt, id eſſe nigrum. Immediata ſunt, quum uno remoto, alterum neceſſario ponitur. Nam hominem non ſanum, ægrum eſſe neceſſe eſt, & ſi frugalitas bonum, luxuria malum, ſi qui conſulto profuit, præmio afficiẽdus eſt: qui obfuit, affligendus pœna: qui imprudenter nocuit uenia dignus, quoniam qui utilitati fuit, nulla laude: & dupliciter prudenter obeſſe puniendum, quoniam imprudenter prodeſſe non laudandum. In his omnibus, quum unum conceditur, cætera negare neceſſe eſt. Nam quod album eſt, nec nigrum, nec rubeum eſt: & qui ſtultus eſt, eum parum ſapere neceſſe eſt. Immediatis confutabis, ſi uno contrariorum remoto, reliquum ponitur. In omnibus autem oppoſitis conſiderandum erit, ſint'ne oppoſita, an non: quod facile, præterquam in relatiuis conſequeris, ſi poteris, ea quæ tanquam oppoſita proferuntur, ſibiipſis conuenientia, hoc eſt, ſimul ineſſe demonſtrare.

Contraria.

Diſparata dicuntur, quæ ſub eodem genere poſita, diuerſis differentijs, uel proprijs ſeparantur: nobis hæc ita late pateant, ut genere quoque diuerſa diſparata dicantur, ut non ſubſiſtere colorem, ſubſtantiam à qualitate differre. Ab his ita ſumitur argumentum, ut uno quodam poſito, cætera omnia remoueantur: quod enim aſinus eſt, id nec homo, nec equus, nec quicquam huiuſmodi eſſe poteſt: & qui argentum decem pondo depoſuit, is tantundem auri repetere non debet. Diſparatum, genere, differentia, proprio quod ſoli accidat, diffinitione, diuerſitate, uel oppoſi

Diſparata.

poſi

poſitione cauſarum, opinione quoque inferri poteſt. atque uti diuerſitate horum comprobatur, ita differentiam, proprium, diffinitionem diuerſa eſſe confirmat. Tranſumptionē appellamus, quum magis notum ponimus uerbum, ut ex eo minus quoque notum appareat, ut ſi dicas ideo philoſophum non inuidere, quoniam nec ſapiens. Tranſumptio à nominis interpretatione differt, quoniam hic nihil exponitur, ſed notiore quod dubium eſt infertur. ibi expoſitio nominis affertur, hoc modo, Sapiens non inuidet, philoſophus amator ſapientiæ eſt, non igitur inuidet philoſophus. *Tranſumptio.*

Coniugata dicuntur, quæ ab eodem deducta, diuerſo modo flectuntur, ut à iuſtitia iuſtus, a, um, quæ inter ſe, & cum ipſa iuſtitia coniugata dicimus: ab his ita ſumitur argumentum, Quoniam iuſtitia uirtus eſt, idcirco iuſtum uirtuoſum eſſe neceſſe eſt. In confutatione attendere decebit, primo, ſi coniugata ſunt quæ dicuntur, neque enim huiuſmodi ſunt quæ per ſe non inſunt. Vnde nec ſequitur, quoniam albus hic iniuſtus ſit, idcirco albedinem hanc iniuſtitiam eſſe: deinde an ita ſit, quemadmodum illa oratio ſignificat, ex qua uis argumenti fluere uidetur. *Coniugata.*

Caſus dicitur nominis alicuius inflexio in aduerbium, ut iuſtus, iuſtè, malus, malè. A caſibus ita ducitur argumentum, quemadmodum à coniugatis. Nam quoniam Carthaginem deſtruere utile eſt, idcirco utiliter deſtrui poteſt Carthago. *Caſus.*

Diuiſio eſt oppoſitorum diſiunctio, quæ duplex eſt: nam aut per negationem fit, aut per partitionem: per negationem ſic, aut utile eſt nobis bellum regi Perſæ indicere, aut non, ſed non confert indicere, quieſcere igitur utile eſt. Per partitionem ſex modis maximè diuiſio fit, aut cum genus in ſubiectas formas diuiditur, ut animalium quædam ratione participant, quædam rationis omnino expertia ſunt: aut *Diuiſio & Negatio.* *Partitio.*

quum totum in partes quibus conſtituitur, ſeparatur, ut domus in tectum, parietes, fundamenta: aut quum uox una in diuerſas ſignificationes deſcendit, ut canis, aut ſidus, aut terreſtre animal, aut piſcis. Item ſi quod ſubijcitur, in ea quæ ſibi accidunt partiaris, Vt, homo aut ſanus, aut æger: ſi quod accidit, diuerſis ſubiectis accommodas, ut quod ſanum eſt, aut homo eſt, aut rationis expers: uel album in lac, niuem, & cætera huiuſmodi. Si quod accidit, in alia quoque accidentia partiare, ut quæ ſana ſunt, aut calida, aut frigida ſunt: ex his ergo omnibus ſic argumentum facimus, ut uel uno diuiſionis membro confirmato, reliquum remoueatur. Nam ſi neceſſe eſt animal aut ratione participare, aut ea priuari, hoc autem rationis particeps eſt, hoc neceſſario ratione minimè priuatur: uel uno mēbro remoto, reliquum inferatur. Nam ſi rationis particeps non eſt, ratione priuari neceſſe eſt. At hoc quidem ſimili quodam modo in omnibus fieri ſolet, quæ bipartitò diuidimus: quòd ſi tripartitò, aut etiam pluribus membris quicquam diuideremus, quum unum aliquid ponitur, cætera negare non uerebimur: uno remoto, reliqua cum diſiunctione inferri neceſſe eſſe: quorum etiam ſi alterum improbabis, cætera ſequentur, quod fieri licet, quouſque id quod affirmare uolumus, ui orationis inferatur. Id etiam ne nos fugiat operæpretium eſt, quòd in his omnibus, quandocunque aliquid infirmare uolumus, aut palàm id falſum, ac ideo iure negandum dicimus, negationiſq; rationem explanamus, quum oſtendimus id ab eo ſequi, ſi conceditur, quod itidem aduerſarijs ſicut & nobis nequaquam ueriſimile uideri ſolet: quare non eſſe dubium uolumus, id quoque ex quo quod etiam aduerſarijs negatur illatum eſt, falſum omnino uideri oportere: aut eo conceſſo, falſò inferri quod ſe-

qui

quitur aſſeueramus. Verùm quoniam ad circunſtantias hos omnes locos reduci nemini dubium eſt, nunc ſi prius circunſtantiarum uim breuiter aperiemus, ad quam unuſquiſque horum circunſtantiam referatur, aut in qua fundetur exponemus, qua ex re id quoq; poterimus clarè intelligere, principaliſsimas eſſe circunſtantiarum perſonam & rem. Nam reliquas has duas conſequi, hac præceptione aperietur. Circunſtantiæ igitur ſunt ſex, perſona, res, cauſa, locus, tempus, modus, quibus nonnulli addũt, quibus auxilijs, quam circunſtantiam materiam appellare licet. Perſona eſt, quæ ad aliquam rem confirmandam aut infirmandam capitur hominis conditio. Perſona in unaquaq; cauſa duplex eſt, nam aut ea in re uerſatur, qua de agitur, aut omnino extrà eſt. Primam rurſus quadripartitò partimur, in accuſatoris ſcilicet, rei, iudicis, ac teſtium perſonam. Extra rem omnino eſſe dicimus, quorum autoritate, aut iudicato, aut ſententia iudices commoueantur, ut maiores, aut alij ab ijs iudices, qui rem præſentem audiunt, aut ij qui adſunt iudicio, & omnes qui iudicium hoc expectant, ut ſequantur, aut laudaturi, uituperaturi'ue ſint. Hæc cum ita ſint, circunſtantiam à perſona in decem partes diſtribuimus, nomen, naturam, uictum, fortunam, habitum, affectionem, ſtudia, facta, caſus, orationes, quibus additur etiam conſilium. Nomen eſt, quod cuique tanquam proprium, quo appelletur, uocabulum attribuitur, ut Cato ſapiens, Ariſtides iuſtus, Metellus Numidicus. Huius generis eſt, & quod non uni ſolum homini, uerumetiam ciuitati, & toti prouinciæ attribuitur, ut uerſutia & perfidia Carthagirienſibus, et omnino Africanis, leuitas & inconſtantia Græcis, ſuperbia Gallis. Item ſcientia Græcis, & præcipuè Athenienſib. militaris gloria Romanis. Naturã hic dicimus, quæ

Circunſtantiarum partes.

Perſona.

Circunſtantiarum à perſ. loci.

Nomen.

Natura.

quæ facit ut aliquid faciendum, aut non faciendum apertior perſona uideatur, qua ex re maiorem fidem orationi acquirimus. Hæc partim diuino, partim mortali in genere uerſatur. Diuino, ut quæ augurijs, extis, ominibus, prodigijs, oraculis ac dictis diuinitus exponuntur, ut ſi diceres ſapientiſſimum fuiſſe Socratem, ita enim Apollinis oraculo comprobatum eſt. Mortalium autem genus pars in hominum, pars in beſtiarum naturam numeratur: hanc ultimam partem hic inutilem dicimus, non enim ut à perſona, ſed ut à ſimilitudine à genere beſtiarum arguimus. Hominum uerò genus in ſexum, nationem, patriam, cognationem, ætatem, dignitatemq; diſtribuimus. Sexum, ut uir, mulier: Nationem, ut Græcus, barbarus: Patriam, ut Athenienſis, Romanus: Cognationem, hoc eſt, quibus maioribus, quibus conſanguineis, ut Cornelius, uel nobilis, uel ignobilis: Aetatem, ut puer, iuuenis, natu grandior, ſenex: dignitatem uerò in corporis, aut animi commoda uel incommoda à natura data diuidimus, ut ualens imbecillis, longus breuis, formoſus deformis, uelox tardus, acutus hebetior, memor obliuioſus, prudens ſtultus, timidus audax, & quæ huiuſmodi ſunt, dum hæc omnia nobis inſita non induſtria comparata ſint. Nam ea quidem non in natura, ſed in habitu ponimus.

Victus. Victus eſt uitæ, qua quiſq; aut uiuit, aut uixit delectatio. Victum in educationem, uſum & mores partimur. In educatione conſideramus, apud quos, quo more, cuius arbitratu educatus ſit, quos habuit artis quam profitetur magiſtros, quos uiuendi præceptores: In uſu, quo in negocio, quæſtu, quo artificio ſit occupatus, quomodo rem familiarem adminiſtret, qua conſuetudine domeſtica ſit in moribus, quo amictu, quibus amicis delectetur: luxurioſus'ne ſit, an frugi, &

Fortuna. quæ huiuſmodi ſunt. Fortuna eſt proſpera aut aduerſa rerū huma

humanarum mutatio, in qua quærimus, ſeruuſ'ne ſit an liber, pecunioſus an tenuis, exul, abdicatus, an econtrà priuatus, an cum poteſtate: & ſi cum poteſtate, iure'ne an iniuria, quales liberos habeat: & ſi de non uiuo quæritur, quali morte affectus ſit, ac ut uno uerbo omnia comprehēdam, felix, clarus, an ècontra ſit. Habitus eſt ex induſtria comparata corporis aut animi firma, et abſoluta in aliqua re perfectio, ut uelocitas, robur, memoria, ingenium, non natura data, ſed ſtudio, & induſtria comparata, ut ars quæpiam aut ſcientia, aut commoditas quicquam faciendi. Affectio eſt animi aut corporis ex tempore aliqua de cauſa commutatio; ut uultus lætus, triſtis, cupiditas, metus, titubatio, inconſtans locutio, inceſſus modo citus, modo tardus. Nam hæc omnia quum conſequantur, aut horũ contraria, ut in libro ſecundo diximus, ſigna eſſe ſolent quare aliquid factum, aut non factum facile credimus. Studium eſt animi aſsidua et uehemens ad aliquam rem applicata magna cum uoluptate occupatio, ut philoſophiæ, geometriæ, literarum. Item medicus, orator, grammaticus: Item ſtudioſus equorum, armorum, canum, & huiuſmodi. Facta uerò caſus & orationes tribus ex temporibus conſiderabimus, quid fecerit, quid ſibi ceciderit, quid dixerit, quid faciat, quid dicat, quid ſibi accidat, quid facturus ſit, quid ſibi caſurum ſit, qua ſit uſurus oratione. In quibus etiam notandum puto, ea quæ à præterito tempore trahuntur, confirmationi maxime accommodari. Nam ab eo quod ſibi accidit, feciſſe aut non feciſſe reum ſuſpicamur: quæ uerò à futuro, concluſioni aptiora eſſe: quid enim accidet, quid faciet, quid dicet, aut ipſe reus, aut etiam ciues, & ſocij omnes per conqueſtionem, aut amplificationem, plerunque proferre præcipui oratores ſoliti ſunt. Conſilium eſt aliquid faciendi aut non faciendi ex

Habitus. *Affectio.* *Studium.* *Facta.* *Conſilium.*

di ex

di excogitata ratio, quod nos non perſonæ, ſed cauſæ attribuimus. Nam ſi conſilium dicimus uim qua facile quiſquam aliquid perſpicere poteſt, id aut ad habitum, aut ad naturam pertinebit: Sin uerò non eam uim, ſed rationem quæ cum naturæ aut habitus ui excogitata ſit, faciendam nobis aut non faciendam rem eſſe oſtendit: huiuſmodi ratio & cauſæ attribuitur, & à re non à perſona certe oritur. Quare nobis non eſſe perſonis uidetur attribuendum conſilium: nam quod habitus, aut naturæ effectus eſt, illis attribuitur: quod ad cauſam pertinet, id perſonis attribuere ſuperuacaneum eſt.

Res. *Res eſt totius negocij certo ſigno conflata breuis complexio, quam bipartitò diuidimus, in rem ipſam, quæ in crimen affertur, ut hominis occiſio, & in ſignum ex quo res in iudicium affertur, ut ſi occiſum hominem in deſerto ſepelires, ac ideo accuſatus eſſes, hoc eſt ſignum, in quo quum de coniecturali diceremus, ea quæ ab initio ſunt, fundari dicebamus. Hoc ſigno omnia quæ ſuſpicionem aliquam, tanquam ſigna conflare poſſunt ab initio uſq; ad finem diligenter inueſtigata continentur, ac unius principalis loci uim, quem ab initio ad finem uocamus, afferunt. Hæc et cauſam continent omnem, non enim ſolum in coniecturali, ſed in omni conſtitutione inueniri neceſſe eſt. Verùm in coniecturali, quum à rebus, hoc eſt, à ſignis oriantur, ab alijs illius conſtitutionis locis hæc ſeparauimus: non quòd alij quoq; loci in ijs, quæ ab initio ſunt non fundentur, uerùm quoniam per ſe omnia, ut atrocior ſuſpicio fiat, ab initio uſque ad finem, ante oculos poni neceſſe eſt, non ſine ratione ab alijs diſiunximus, quæ ſeorſum ab alijs tractata inueniuntur: In cæteris uerò conſtitutionibus ea non ſeparauimus, quoniam in nulla parte orationis inueniri poſſunt omnia per ſe ante oculos poſita, niſi in concluſione per*

enumerationem. Inueniri uerò etiam in ipſis quis non uidea rit? nam ea cauſa, quæ his caret, nec conſiſtere quidem unquam poteſt. Etenim ſi tyranno perſuaſiſti tyrãnidem deponere, ac præmium petas legibus interfectori cõſtitutum, quum diffinitio ſtatus ſit, Expoſitio, primus accuſatoris locus, ſecundum narrationem ea quæ ab initio ſunt, exponit, hoc modo, Ingreſſus ad tyrannum ſum, cum ut tyrannidem deponeret, non ſine magno periculo meo exhortari cœpi, perſuaſi, tyrannidem ille depoſuit, ciuitas priſtinum ſtatum libertatis recepit. Mihi ergo præmium legibus ijs uiris qui tyrannidem deponunt conſtitutum, iure debetur: hanc expoſitionem, non ut hic, ſed cum amplificatione agemus, quam uenabimur ex ijs quæ circunſtantias conſequuntur: ijs enim in circunſtantijs, quæ rem conſequuntur, niti atq; fundari ea, quæ ab initio ſunt, manifeſtum eſt. Diffinitio uerò, qui locus defenſoris primus eſt, ab his quæ derelicta ſunt, ex comprehenſione hac τῶν ἀπ᾽ ἀρχῆς, ut in ſecundo diximus, inuenitur: oppoſita uerò diffinitio ex ipſa comprehenſione fluit, ratiocinatio utraſque diffinitiones in unum colligit. Quare quoniam multis his locis comprehenſio abſoluitur, neq; ſeorſum tractatur, non ut in coniecturali ab alijs eam ſeparari, uerùm alijs uim ſuam diſtribuere intelligimus: in negociali etiam ipſa res quæ deliberationem mouet, ſi ab initio uſque ad finem conſideratur, comprehenſio eſt. Nam quum dicimus, pacato orbe Octauianus petit Auguſtus uocari, ipſa orbis pacatio, bella, labores, ſuſcepta uulnera, aliaq; huiuſmodi quibus pax parta eſt, ab initiò uſque ad finem dicuntur. Verùm* unius loci uim *huius habere non poſſunt, quæ tamen, ut diximus, in concluſione adhibenda eſt, ut aperte uideatur, an illa res fieri potuerit ab illo homine, illa cauſa, illo tempore, illo modo, in illo loco.

Cauſa. co. Cauſa eſt, quæ ad aliquid faciendum, aut non faciendum inducit, ea diuiditur in impulſionem: et ratiocinationem. Impulſio. Impulſio eſt temerarius impetus animi ad aliquid faciendum ſine excogitatione, ut ira, nimia cupiditas, uiolentia, timor, & omnino omnis perturbatio animi, quæ rem conſilio, & excogitatione uidere non ſinit. Ratiocinatio. Ratiocinatio eſt quæ commodorum ſpe, aut incommodorum uitatione ad rem quampiam hortatur. Sed commodi & incommodi diligentem & cõſideratam rationem in tres partes diſtribuimus: nam aut adipiſcendi, aut retinendi, aut augendi commodi: & è contra, aut euitandi, aut reijciendi, aut diminuendi incommodi cauſa feciſſe dicimus. Ratiocinationem præterea omnem in principalem, & acceſſoriam diuidimus. Principalis eſt, ut, uerbi cauſa, ſi magnam hac ex re conſequeretur pecuniam, cui accedit, quòd ſe amicis etiam gratificari credidit: quòd ſi nulla cauſa extra rem uideretur, aut ipſam rem cauſam dicemus fuiſſe, aut qualitatem perſonæ conſiderare oportere: primum ut ſi diceres cauſam furti ipſum furtum fuiſſe, alterum ſi ſeditionis quenquam accuſares, & eum ſeditioſum ſemper fuiſſe oſtendas. Quæ omnia defenſor aut omnino ita eſſe negabit, aut diminuet, aut ijs cauſam prohibitiuam opponet, de qua nunc dicemus. Prohibitio. Prohibitio eſt cauſa quæ non faciendi rationem oſtendit, hanc prohibitiuam cauſam, quam nos κωλυτικὸν αἴτιον appellamus, per ea quæ ſuperius* dicta ſunt mẽbra diſtribui licet. [Di]ſtincta nam et quia commodi nonnihil aut conſequebamur aut retinebamus aut augebamus, et quia incommodi aliquid aut uitabamus, aut reijciebamus, aut diminuebamus non faciendi cauſam habuiſſe dicemus. Tempus, & [e]ius partes. Tempus eſt quod ad rem aliquam faciendam uel non faciendam per ſe, uel cum opportunitate conſideratur. Spacium. Id diuidimus in ſpacium & occaſionem. Spacium

eſt

eſt pars temporis, in qua aliquid tranſigi poſſe conſideratur, ut hora, dies, menſis, annus: hic poterit conſiderari, quid tarde, quid citò, aut quid tardius quid citius fieri ſoleat. Item *quando geſtum ſit, adeò'ne antiquitus, ut in fabularum iam naturam conceſſerit, ut quæ de* Hercule *dicuntur: aut ut res uera uideatur, quamuis ab ætatis noſtræ memoria remota ſit, aut memoria hominum retineatur, aut in præſentia oculis cernatur, in quo id diligenter quærendum eſt, potuerit'ne magnitudo negocij, aut multitudo rerum in eo tranſigi tempore.* O*ccaſio eſt temporis ad aliquid faciendum, uel non faciendum idonea facultas, quam tripartitò diuidimus, in naturalem, ſtatutam, accidentem.* N*aturalis eſt, quæ accidit omnibus, eodem ferè tempore, ut meridies, nox concubia, meßis, uindemia, calor, frigus.* S*tatuta eſt quum conſilio certo aliquo in tempore celebrari quicquam ordinatum ſit: hanc in publicam & priuatam partimur.* P*ublica eſt, quam uniuerſa ciuitas celebrat, ut dies feſtus, ludi, bellum, pax, concio.* P*riuata eſt, quæ uni ſoli celebratur, ut nuptiæ, funus: ſomnus, conuiuium.* A*ccidens eſt, quæ caſu aliquo euenit, hanc rurſus in publicam & priuatam diſtribuimus: publicam, ut peſtilentiam, obſidionem: priuatam, ut famē, alicuius inopiam. Sciendum autem quòd commoditas, quæ addita tempori occaſionē parit, partim à tēpore, partim à reliquis etiā circunſtantijs fluere cōſueuit.* T*empus rurſus in tria diuidi nemini dubium eſt, præteritum, inſtans, futurum.* L*ocus, eſt ad aliquid peragendū cōmoda aut incommoda ſpatij poſitio. Omnis locus aut naturalis eſt, ut mare, cāpus, mons, fluuius: aut artificialis, ut ciuitas, domus.* N*aturalē bipartitò partimur, in quātitatem & qualitatem: quantitatem, ut anguſtus, amplus, magnus, paruus: qualitatem, ut decliuis, arduus aſper,*

Occaſio.

Locus.

aſper, planus, lapidoſus, arboribus conſitus. Artificialem in octo diſtribuimus: publicum, ut theatrum, ſtadium, platea: priuatum, ut domus, uilla: In quo etiam quæritur alienús ne, an ipſius de quo agitur: ſacrum, ut templum, adytum: profanum, ut lupanar: religioſum, ut ſepulchra maiorum: interuallum, ut longinquitas, propinquitas: poſitionem, ut antè, pòſt: habitationem, ut celebris, deſertus. In quibus ferè omnibus etiam conſideretur, tunc'ne huiuſmodi fuerit locus, qualem dicimus, an ſemper. His enim omnibus opportunús ne conſilijs capiendis, aut agendæ rei fuerit, an aduerſus comprobari poteſt. Modus eſt in quo, quonam modo aliquid actum ſit quæritur, eius partes duæ ſunt, prudentia, et imprudentia. Prudentiæ ratio quæritur ex his, quæ palàm, clam, ui, perſuaſione, imprudenter, audacter, captioſe, inſidioſeq́; fecerit. Imprudentiæ partes quatuor ſunt, inſcitia, caſus, neceßitas, affectio. Inſcitia, ſi inſcius fecerit: caſus, ſi quid ſibi acciderit: neceßitas, ſi coactus ui rationem non uidetur excogitare potuiſſe. Affectio, ſi amore, cupiditate, miſericordia, & huiuſmodi captus affectionibus, quod factu opus eſſet, intellexiſſe negatur, quæ omnia conceſſioni aptißima ſunt. Materiam uel facultates uocant, quibus res facilius fit, aut ſine quibus confici poſſe non uidetur, ſicut fuſte, gladio, laqueo, ueneno. Verùm ſi quis ſubtilius conſiderat omnia, quæ tam perſonis, quàm negotijs attributa ſunt, quibus commoditas ad rem peragendam acquiritur: facultates appellare licet: Quare non placuit ſeptimam circunſtantiam ab alijs ſeparatam ponere, quoniam non ut cæteræ circunſtantiæ ad negotium reducuntur, ſic & facultas ad alias circunſtantias. Verùm ipſæ circunſtantiæ, quum commoditatem faciendi, aut non faciendi nobis afferunt, Facultates appellantur.

Modus. Imprudentia. Facultas.

Nam

Nam & commoditatem loci, & temporis præcipuè facultatem dici quis non uiderit? præſertim ſi pro Sexto Roſcio Ciceronem *audiuit, qui maximè declarat facultatem, ut diximus eſſe, quæ commoditatem nobis ad aliquid faciendum adducit, his uerbis,* Videamus *nunc, & quæ facultas ſuſcipiendi maleficij fuerit.* Vbi *occiſus eſt* Sextus *Roſcius?* Romæ:*quid tu* Roſci, *ubi tunc eras?* Romæ. Verùm *quid ad rem? & alij multi, quaſi tunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit. Cui ſubiungit,* Age, *nunc cæteras facultates quoque conſideremus:* Erat *tunc multitudo* Sicariorum, *id quod commemorauit* Erutius, *& homines impunè occidebantur: quid ea multitudo, quæ erat?*Nam *primò commoditatem loci, deinde occaſionem, facultatem appellauit.* Fuſtem *autem & gladium, & uenenum, ſi quis nobis obijciat, non mouebimur.* Dicemus *enim huiuſmodi facultates, ſi cæteris circunſtantijs non continentur, modum tamen non præterfugere.* *Sed iam tempus dari uidetur, ut oſtendamus, reliquas quoq; circunſtantias ad negotium, ſiue ad rem reduci poſſe, cui etiam locos eos, de quibus ſuperius latius diſſeruimus, attribuemus, ſi prius has circunſtantias, ne quis ex ignorantia ad coniecturam tantum pertinere arbitretur, cæterorum quoque ſtatuum fundamentum eſſe, breui oſtendamus.* Nam *argumenta & rationes in omnibus ab ijs inueniri poſſe, ſuperius patuit.* Verùm *hæc res, quam nunc enodabimus, etiam ad illam non parum confert:* Nam *ſi quis unde oriatur ſtatus proſpexerit, is & unde magis rationes & argumenta quærat, intelliget.* Ea *igitur in circunſtantia fundari, uel ex ea ſtatum oriri dicimus, ex qua magis pendere cauſa uidetur, ut à perſona coniecturalis, ſi prodigi pater nullibi apparet.* Neque *id dicimus, quòd putemus rem nullam hic in iudicium uenire.* Aſſertur *enim non apparere patrem.* Qua

Circunſtantiarum ad negotium reductio.

in re τὸ χρῶμα id eſt, color innititur, ſine quo coniecturalis, niſi duplex ſit, conſiſtere non poteſt. Solam enim rem æqualem iudicium non ſuſcipere uolumus, ut in primo nobis expoſitum eſt: quare ipſa res, cauſæ ſemper ferè fundamentum erit, neque idcirco ex aliarum circunſtantiarum aliqua magis pendere cauſam, quàm ex reliquis ſimul omnibus, inconueniens erit. A re, non debui pecuniam, nunquam me appellaſti, hæc à re tantum pendet. A cauſa, ſi quædam ad eum utilitas ex cæde hominis deueniebat. A loco, modo, & temporis commoditate fieri coniecturam, omnibus patet. Diffinitio à perſona, ut ſi concedis nominatim quenquam appellare, iniuriarum eſſe actionem, magiſtratum compellare, erit actio maieſtatis. A re, auferebat Dionyſius poma, & coronas aureas, quas ſimulacra manibus porrectis, quaſi offerebant: dicebat ſe accipere, non rapere. A cauſa, bonis dijs oblatas pateras ex templis ille ipſe capiebat, quoniam uti bonitate deorum oporteret. A loco, priuatam ſubripuiſti pecuniam, ſed quia de templo, ſacrilegium. A tempore, adulterum ſolum occidit, magno tempore pòſt uxorem flentem in ſepultura interfecit. Modo, non eſſe adulteram Lucretiam dolo ſubactam. In iuridiciali, C. Flaminius per ſeditionem legem Agrariam ferebat, hunc pater concionem plebi habentem, de templo eduxit. Accerſitur maieſtatis. Licuit, quia pater. A re, quia res urgebat, ut in eum qui impedimenta tradidit, exercitum eduxit. A cauſa, quia ipſa patrem interfecit, ut adulterio uteretur. A loco, Lex, Athenis uiolator decem talenta deponat, apud Lacedæmonios capite plectatur. Lacedæmonius Athenis ingenuam ſtuprauit, in Lacedæmona reuerſus capitis accerſitur. A tempore, noctu domi tumultuantem. A modo, enſe irruent

Color. A re. A cauſa. A loco. Diffinitio à perſona. A re. A cauſa. A loco. A tempore. A modo

ruentem occidi. Translationem *his pendere manifeſtum eſt: neque negotialis, neque ſingularum iuridicialis partium exempla poſuimus, quoniam illam tempore ſolam ac utilitate à iuridiciali ſeiungimus.* Quare *unde deliberationis cauſa mouetur, inde pendere negotialem patet: partes ubi nitantur uidere, ſi quis genus intelligit, difficile non eſt, & maxime quia exempla poſita partium ſunt.* Neque *enim generis quod nullius ſpeciei ſit, quicquam dari poteſt: omnium uero ponere, ne longiores ſimus, prætermiſimus.* Præterea *ex lege, more, hoc eſt, conſuetudine communi, aut unius ciuitatis ſtatum pendere poſſe, quis non uiderit?* Nam *& lege ius probari, ſicuti conſuetudine manifeſtum eſt, & legem uel conſuetudinem quaſi ſignum eſſe haud obſcurum eſt, ut in hoc exemplo, qui patri proditionis reo non affuerit, exhæres ſit.* Lex *altera, proditionis damnatus cum aduocato necetur: non affuit, petit hæreditatem: legitima eſt, & ex altera lege pendet.* Lex Titia, *ſi quis quæ ad ſe non pertinet hæreditas, eam petit, exulet: expellitur, quòd exhæres ſit: negat, niſi pater abſolutus ſit: ſignum lex altera.* Ita *quæcunque fundamenta ſtatuum ſint ad circunſtantias ſemper reducenda, & proximum inquirendum.* Sic *enim ad probationem maior nobis copia ſuppeditabitur.* Quare *diligenter quærendum, unum'ne an plura ſint, neque quid noſtram cauſam magis iuuet, uidere ſufficit, ſed quod etiam aduerſario patrocinatur, non negligendum.* Nam *diuerſa eſſe plerunque neminem fugit.* Etenim *qui occidit in lupanari tanquam adulterum, re ſe magis tutatur accuſatio: quòd non ſit adulterium in lupanari, loco confirmatur.* Hæc *admonitio, ut unde magis pendeat cauſa conſideremus, ad duo utiliſſima eſt.* Nam *& unde magis quærendæ rationes ſint, propo-*

nit, & quæcunque à cæteris circunſtantijs inueniuntur, ſic illi intermiſcenda oſtendit, ut ab ea, uel nunquam uel rarò, uel breui recedamus. Commoratio enim, qua fit, ut in loco firmiſsimo, quo tota cauſa continetur, diutius commoremur, & eòdem ſæpius redeamus, his duobus fit, loco ſtatus firmiſsimo, & unde tota pendet cauſa: quæ quamuis ita ſe habeant, ut locus, qui in unaquaque conſtitutione firmiſſimus ſit, illa circunſtantia, unde cauſa pendet, plerunque fundamentum ſit, tamen quoniam & diuerſa inueniuntur, ut in cauſa prodigi, ſi certam dicendi rationem habere uolumus, utrunque nobis diligenter eſt exquirendum, nunc ad propoſitum redeamus. Omnes igitur cæteræ circunſtantiæ præter perſonam, & omnes loci ad negotium, ſiue ad rem quadrupliciter reducuntur. Nam partim cum ipſo negotio continentur, partim in geſtione negotij conſiderantur, partim ſunt adiuncta negotio, partim geſtum negotium cõſequuntur.

Commoratio.

Continentia. Continentia ſunt, quæ ſemper ad rem affixa nunquam ab ipſa poſſunt ſeparari: huiuſmodi eſt breuis complexio totius negotij, ut parentis occiſio, ſignum ex quo coniectura conflatur, ex quo fiunt ea quæ ab initio diximus, ut ueſtimentum relictum, aut gladius fixus in corpore occiſi, qui arguat, à quo interfectus ſit. Cauſa deinde propter quam ſuſceptum dicitur aliquid. Item quæcunque à genere, à ſpecie, differentia, proprio, diffinitione, toto, partibus, cauſis, effectibus, corruptionibus, uſibus ducuntur. Præterea à communiter accidentibus* quoniam rei affixa ſunt, continentia dicere non erubeſcimus. In geſtione uerò negotij uerſari ea dicuntur, quæ quamuis huiuſmodi ſunt, ut negotio adhæreant, poſſunt tamen etiam abſque his eſſe, quæ ſe cum negotio continent, cuiuſmodi ſunt locus, tempus, modus. Inter hæc & ſuperiora hoc intereſt, quòd hæc & ſine ſuperioribus eſſe poſſunt, illa ſine his nunquam.

Loci interni.

* quando

nunquam. Locus enim & tempus ſine ſumma facti, & cauſa & huiuſmodi eſſe poſſunt: at factum ſine loco, & tempore, ac modo, nec conſiderari quidem poteſt. Adiunctum autem negotio dicimus, quod etſi ſeparatum omnino ſit, nec cohæreat, tamen rem de qua agitur, reſpicere uidetur, ut eſt maius, minus, æque magnum, ſimile, oppoſitum, proportio, tranſumptio. Conſequentia dicimus, quæ conſilio, & uoluntate hominum negotio impoſita ſunt aut imponenda creduntur, ut nomen facti, quòd, uerbi gratia, hoc furtum, illud ſacrilegium, aut peculatus nominetur, qualem rem homines putent crudelem, tyrannicam, uiolentam, honeſtam, utilem, inuſitatam, aut contrà, quæ lex ſit eius rei, quæ conſuetudo, quod iudicium, quæ actio, quæ defenſio, & cætera huiuſmodi quæ factum aliquod confeſtim, aut ex interuallo ſolent conſequi. Verùm quoniam de confirmatione ſatis dictum eſt, qua cum etiam communiter multa de confutatione, nunc de ipſa confutatione ſeparatim dicendum putamus. Conſequentia.

DE CONFVTATIONE.

OMnis argumentatio reprehenditur, quum aut ex his quæ ſumpta ſunt unum aliquod plura'ue non conceduntur, aut ex his cõceßis cõplexio ſequi negatur, aut ſi cõtra firmam argumentationem æquè firmam aut firmiorem opponimus: quum aliquid ex his quæ dicta ſunt, non conceditur, ut facilius intelligamus quomodo reprehendendum ſit, per ſingulas partes argumentationis præcepta dabuntur. Propoſitio uitioſa eſt, primo qua quod raró ſit, nunquam fieri, quod pauci faciunt, nullos facere proponimus. Item qua quod paucis in locis inuenitur, nullibi dicimus inueniri: deinde quæ his contraria ſunt, id eſt, qua quod ad plures pertinet, ad omnes: quod crebrò fit, ſemper fieri: quod multis in locis inuenitur, Propoſitio uitioſa.

 ubique

ubique inueniri exponimus. Tertio uitioſa dicitur propoſitio, quæ quum enumeratione conſtet, aut pauciora continet, quàm opus ſit, aut aliquid enumerat quod falſum eſt. Nam hanc uitiorum præceptionem non ſolum ad ratiocinationem, ac collectionem, uerumetiam ad enumerationem, cæteroſq; argumentationis modos referri oportere putamus: quæ ut facilius intelligatur, exemplis quoque declaretur, Nemo unquam uno aſpectu in amorem incidit, nunquàm à uiatore latro, à latrone ſemper uiator dum in eum incidit interficitur, nullo in loco è terra foditur aurum, omnes qui paupertate opprimuntur malunt quauis uia parare diuitias quàm officio paupertatem tueri: Inimici acerrimi, quos odio habent, dum poſſunt, trucidare non dubitant: quod poßides, aut emiſti, aut hæreditate habuiſti, aut ſurripuiſti. Multa enim relicta ſunt: quòd ſi diceret ſe emiſſe, ac id reprobare poſſemus, aut quòd nunquàm emiſſet, aut quòd non lege, non conſuetudine ciuitatis emiſſet, ideo uitioſa eſſet enumeratio, quòd falſi aliquid enumeratum eſſet.

Rationis confutatio.

Ratio uitioſa eſt quæ aut falſa eſt, aut parum firma, aut ad propoſitionem non accommodatur: falſa eſt cuius oppoſitum uerum eſt, hoc modo, Philoſophia uitanda eſt, affert enim ſocordiam atque deſidiam: Parum firma eſt, quæ pro amplitudine propoſitionis leuißimam affert rationem, ut, Vtile eſt amicos habere, habeas enim oportet quibuſcum iocari poßis: non accommodata, quæ alij quoque propoſitioni accommodari poteſt, ut, bonum eſt uxorem ducere, ut habeas qua cum uiuere poßis: nam hoc ſorori, ac matri etiam accommodari poteſt. Item uitioſa eſt ratio quæ idem dicit quod propoſitione expoſitum eſt, ut magno malo hominibus auaritia eſt. Magnis enim incommodis immenſa pecuniæ cupiditas genus humanum exagitat. Verum quondam à circunſtantijs rationes inueniri diximus, per ſingulas bre-

uiter

uiter quæ uitia uitanda ſint, dicamus. Ratio ergo, *quæ à perſona capitur, uitioſa eſt, ſi ad alium quàm dictum ſit, pertinet, ac maxime ad eum ipſum, qui dicit, ut miſeri ſunt, qui uxorem ducunt, at tu duxiſti alteram: ſi non officio dicitur, ut ſi dicas oratoris eſſe, uel mendacio rem ſuam approbare, ſi animos auditorum offendit, ut ſi dicas, iudices ut plurimum iniquos eſſe ſolere, ſi ſerò ac tranſacto negotio dicitur, ut ſi mihi in mentem ueniſſet,* Quirites, *non commiſiſſem ut in hunc locum res ueniſſet.* Ratio *quæ à re ducitur uitioſa eſt, quum ea re, quæ plura ſignificat pro certo unius rei ſigno abutimur, hoc modo,* Quoniam *pallet, ægrotauit.* Quum *à cauſa ducimus rationem, cauendum ne alius rei, atque eius quam dicimus cauſa ſit.* Quum *autem à tempore & loco, conſiderandum eſt ut huiuſmodi ſit quale dicitur, ut natura loci, opportunitati temporis conueniat.* Similiter *de modo conſiderandum eſt, ut uerè aut ueriſimiliter modus dicatur, ut rei ac perſonis conueniat, ne refelli poſsit, aut eam rem eo modo fieri non ſolere, aut perſonas huiuſmodi eſſe, ut eo modo uſas fuiſſe non facilè credatur.* Præterea *ſciendum eſt, omnia huiuſmodi uitia quæ in una circunſtantia diximus fieri ſolere, in alijs quoque poſſe inueniri nonnunquam, ac ſimiliter ea uitia quæ uniuſcuiuſpiam partis eſſe diximus, in cæteris quoque argumentationis partibus reperiri: nos autem ita ea digeſsimus, ſicut ſæpius fieri poſſe conſiderauimus.* Quare *non oportet in ijs partibus ſolum quibus accidere dicta ſunt, ſed etiam in alijs ipſa effugere.* Communiter *uerò & æqualiter in omnibus poſſe fieri putamus uitia quum pugnantia dicimus, quum nihil laudari poſſe putamus, niſi aliquid uituperetur, aut ita unam rem laudamus ut alterius in comparatione mentionem non faciamus.* Confirmationem *rationis* *Confirmationis confutatio.*

tur, iam inde à propoſitione aſſumptionẽ proſpiciat. Nam niſi huiuſmodi erit propoſitio, ut altera pars eius, aſſumptionis alterutra ſit, commodè aſſumere non poteris: quam ob rem quod ad oſtendendum pertinet, tam propoſitioni, quàm aſſumptioni inerit, quod probatur utriq; diuiſum. Hoc enim pacto, tanquam cõmuni quodam & medio quod probat, certa ratione complexionem inferre poſſumus, quæ id continebit quod in aſſumptione non repetitum, & tamen ex parte utrobiq; dictum eſt. Quare quum rationum præmiſſione longior ratiocinatio eſt, ut inferẽdæ complexionis uis cõcluſioni addatur, propoſitio & aſſumptio ſemper repetendæ in exitu uidentur, quamuis in diſputando etiã Cicero ſoleat poſt totam ratiocinationẽ rationes eius collocare, quod in diſceptatione ciuili fugiẽdum ſemper cenſemus. Nam & minus mouet, & præmeditationis atq; artificij ſuſpicionem afferat neceſſe eſt. Similiter ſi definitio affertur, aut quòd falſa ſit, aut inutilis, aut non ex opinione omnium, uel maxime eorum qui ea in re ſapientes habiti ſint, aut quòd iniqua aut turpis ſit, refutabitur: falſa oſtendetur, ſi quid ei diuerſum atq; alienum à re quæ diffinitur, ineſſe demõſtrabitur. Si uerò ea, quæ in argumẽtatione dicta ſunt, concedenda uidentur, conſiderabimus an commodè concluſionem quam aduerſarius dixit ex conceſſis ſequi, negare poterimus: quod erit ſi aut aliud ſequitur quàm dictum ſit, aut ſi ambiguè quidem dictum in aliam partem acceperimus, aut ſi quicquàm relictum ſit, hoc modo, Si in exercitum ueniſſes, à tribunis militaribus uiſus eſſes: non es autem uiſus, in exercitu ergò nõ fuiſti: ſequebatur, non igitur ueniſti: ſi ambiguum aliter nos, aliter aduerſarius accepit, aperiendum nobis erit quomodo uocabulum accipimus, ut ex hoc intelligatur non ex eo quod in diſceptando conceſſimus, ſed ex eo quod aduerſarius intellexit concluſionem ſecutam hoc modo, qui indiget*

* *intermiſſione.*

pecunia, pecuniam non habet, reſpublica pecunia indiget, res igitur publica pecuniam non habet. Nam hic dicemus nos intellexiſſe eum qui indiget pecunia, illam pecuniam non habere cuius indigeret, ex quo ſequitur egentem pecuniæ, non omnino carere pecunia, ſed ea cuius eget. Sæpe autem oblitum putant quod propoſuerint aduerſarium, quare uel minima particula propoſitionis relicta, id concludunt, quod uehementer terret. Si ergo memores erimus, facile concluſionem reprehendemus, hoc modo, Si ad illum hæreditas ueniebat, ueriſimile eſt ab illo eſſe necatum: hoc multis rationibus confirmant: ueniebat autem ad illum hæreditas, quo confirmato, inferunt, ab illo ergo occiſus eſt. Nam hic ueriſimile, quod in propoſitione poſitum probabilem * eam faciebat, in concluſione relictum grauiter uulneret aduerſarium neceſſe eſt, niſi eius memoriam teneat. Quas ob res quid propoſitum, quid aſſumptum ſit acriter intueri debemus, ut ſi quid in argumentationis exitu, aut additur, aut relinquitur, aut mutatur facile perſpiciamus. Nunc ſi pauca communia de reprehenſione dicamus, breuiter ac minutim oſtendemus, quomodo oporteat ea quæ difficiliora confutatu uidentur, improbare. Solutionem ergo aut ab alijs locis inferri, aut ex conſtitutionibus fieri arbitramur: ab alijs locis infertur, quemadmodum abſolutione, tranſpoſitione, ac inuerſione: comprehenſio in coniecturali & abſolutio repulſione, diffinitio ratiocinatione ubique, ut in ſecundo patuit, improbatur. Quibus ex locis, ut etiam in ſecundo diximus, ſi res urget, & commode fieri poteſt, ad eos ſtatus tranſiliemus, eorumq; ſtatuum eos locos occupabimus, qui illis maxime coniuncti ſunt: quæ res quoniam ut perutilis, ita difficilis, & obſcurior eſt, uel ſolo locorum nomine nobis ante oculos ſubiecta eſt. Per ſtatus

*cauſam

tus uerò ſolutio fit, ſi totum, quod ex aliquo loco proponitur, uel negamus, uel non id quod dicitur aut eiuſmodi eſſe contendimus. uel ad præſentem quæſtionem nihil pertinere affirmamus. Negamus hoc modo, ſi quis proponit ex ijs locis, quos ampliationem comparationemq́; appellauimus, Magnam eſſe rem geſtam, quum tyrannus perſuaſione depoſitus ſit, & multo maiorem, quàm ſi quis gladio, ac cæde hoc feciſſet: poſſumus hoc totum ſimul aut ſecundam partem negare, cui negationi ſcilicet rationes ſubijciemus: quem modum ſolutionis idcirco hic commemorare uoluimus, ut hoc maxime tunc utamur, quum hi loci quibus aliquid ſolui ſoleat, aut non inueniuntur, aut parum confutationis afferunt: quanquam utilita putamus, quum etiam ab alijs locis ſolutio inueniri poteſt, utrunque complecti, ac negationis ſolutiones per inficiationem loci, ſi res patitur, quod tamen plerunquæ accidit, per obſiſtentiam adducere, quod quoniam ſuperiori exemplo accidere non poteſt, non enim incidit aſſumptio, quæ ampliationi, comparationiq́; ſimul opponitur, alio declaremus exemplo. Quidam Eunuchum quaſi adulterum interfecit, reus fit cædis, accuſator dicet magnam eſſe rem, & multo maiorem ea re, quam ipſe cædem è diffinitione profeſſus eſt: hoc totum uel partem ultimam, & per inficiationem negare, quam rationibus cōmuniemus: & per obſiſtentiam, quam aſſumptio nobis præbet, infirmare poterimus, hoc pacto: Non eſt magna res hæc, nec maior, ut putas, ea quam ego cædem profiteor: quòd ſi magna etiam uideretur, tamen is dignus fuit qui trucidaretur: Quorum utrunque rationibus ſubiectis abſoluet, quæ à ſecundarijs locis, aut ab ijs conſtitutionibus, quas negatio nobis reddit, quaſi à locis, uel ab earundem conſtitutionum

Per ſtatus ſolutio.

tionum

tionum locis oratori, qui aut paruam in dicendo conſumpſit operam, uel ſine opera confluent, quod & in confirmatione ſolere fieri non negamus. Hunc modum ſi diligenter obſeruabimus, nihil erit quod non ſoluere poſſe uidebimur: hac enim uia, etiam ea quæ manifeſtiſsima & firmiſsima ſunt refutare uidebimur. Verum, ne propter breuitatem is locus tam utilis, tam in hac facultate dicendi neceſſarius, obſcurior uideatur, non erit nobis labor impedimento, ſingulos quoque modos huiuſmodi confutationis exponere. Ergo quæ ab aduerſarijs dicta ſunt, aut planè falſa ſunt, quæ breuiter contemptione plerunque ſoluuntur, imò deridentur: Aut quamuis uera ſint, aut ueriſimilia, tamen quum habeant ex oppoſita quoque parte ueri aliquid, aut ueriſimilis, modo, quem iam docuimus, confutantur: aut ita patent, ac animos auditorum ſic occupant, ut uerè ſoluere uel omnino nequeamus, uel inutile ſit perſuaſis iudicibus aperte quicquam obijcere: quod quum acciderit, quid nobis faciendum ſit, ordine ac paucis exponere in animo duximus. Primus igitur huiuſmodi ſolutionis locus eſſe uidetur, ut quum ſoluere non poſsis, aliquid inquiras, quod ad rem pertineat, quo aduerſarium crimineris. Nam ſi ueriſimiliter eiuſdem criminis aduerſarium accuſes, uel rei alicuius, quæ ad eandem rem, de qua agitur, pertineat, facit hoc equidem recriminatio, ut quamuis non ſoluas, tamen auditores conſentire uehementer cogere uidearis, ut Cicero in oratione pro Ligario, quum is in Africa contra Cæſarem fuiſſe diceretur, quoniam hoc apertè negare non poterat (res enim ipſa exclamabat) eiuſdem criminis arguit aduerſarium, his uerbis, Sed hic quæro, quis putet eſſe crimen, fuiſſe in Africa Ligarium? nempe is, qui ipſe in eadem Africa eſſe uoluit, & prohibitum ſe à Ligario quæritur, & certè contra ipſum Cæſarem eſt congreſſus armatus

Modi confutationis quindecim.

armatus:quod confirmat à re, per congeriem expoſitionis ui. Hunc modum ſolutionis eadem in oratione, uel his uerbis expreßit Cicero, accuſas enim eum qui cauſam habet, aut ut ego dico meliorem quàm tu, aut ut tu uis parem, non uerò eiuſdem criminis, ſed etiam crudelitatis accuſat aduerſarium in eadem, non habet eam uim iſta accuſatio, ut Quintus Ligarius condemnetur, ſed ut necetur, hoc egit ciuis Romanus, ante te nemo, exteri iſti mores uſque ad ſanguinem incitare ſolent odium, aut leuium Græcorum, aut immanium Barbarorum. Nam quid aliud agis: Romæ'ne ſit, & cætera: rationem huius deinde infert, non tu ergo hunc patria priuare, qua caret, ſed uita uis, & cætera quæ ſequuntur.

Secundus eſt locus, quo certa de cauſa in aliud tempus ſoluere pollicemur, ut Demoſthenes in Androtionem: hoc enim pacto, quum uideant iudices aliud neceſſario fermè dicendum eſſe oratori, dum ea interiecta attentius auſcultant, remouētur uehementer à priore aduerſariorum ratione, quæ tum demū confutatur, quum iam aut propoſitis rationibus debilitata fuerit, aut auditorum animi abducti facile in contrariam partem applicentur. Neque huiuſmodi poſſe inueniri cauſam negauerim, in qua locus is quem ſoluere non poſſumus adhuc abducto ut diximus ab eo, & alijs occupato animo auditorum, omnino relinquendus uideretur. Secundus modus. *Tertius eſt modus, quum aduerſarij propoſitionem ita concedimus, ut aduerſarium ſolum in eo crimine obuerſatum oſtendamus, ut in oratione pro Aulo Cluentio, quum pateret iudicibus corruptum fuiſſe iudicium, nec id negare ullo modo poſſet, mirabilis ille orator corruptum quidem iudicium confitetur, nec itidem eiuſdem criminis utrunque, ſed ſolum Opianicum reum dicit. Quid ergo, inquit, negas'ne illud iudicium eſſe corruptum? non nego, ſed ab hoc corruptum* Tertius.

non

non eſſe confirmo: à quo igitur eſt corruptum? opinor primū etſi incertum fuiſſet, quiſnam exitus illius iudicij futurus eſſet. Et pro P. Sylla. longe abeſt regni ſuſpicio. Si quæris, qui ſunt Romæ regnum occupare conati, ut ne replices, annalium memoriam ex domeſticis imaginibus inuenies. Hunc modum, quoniam & à factis palàm improbaturus erat, cum deriſione protulit Turnus apud Vergilium in undecimo, Me'que timoris Argue tu Drance quando tot ſtragis aceruos Teucrorum tua dextra dedit, paßimq; tropheis. Inſignis ergo poßit quid uiuida uirtus Experiare licet, nec longe ſcilicet hoſtes Quærendi nobis, circunſtant undique muros. Imus in aduerſos? quid ceſſas? an tibi Mauors Ventoſa in lingua pedibusq; fugacibus iſtis Semper erit? Pulſus ego, &c. In quo illud mirandum, quòd cum à factis totum hunc locum ſolueret, ſua Dranci, & quidem amara cum deriſione attribuit, & cum ſolum timoris uitio contineri aſſerit? adaperta deinde irriſione, quoniam non fugiſſe dicere non poterat, rectè facta timori opponit, ut paulò pòſt repetemus.

IIII. *Quartus eſt modus, quum honeſte aliquid factum eſſe, aut fieri poſſe negare non poſſumus, ac ideo honeſtatem quidem concedimus, utile uerò ei opponimus, uel èconuerſo, ut Demoſthenes, quum Aeſchines diceret prauos Phocenſes, & iure perditos fuiſſe, non negauit, uerum utile reipublicæ fuiſſe affirmat, eos incolumes fuiſſe. Quintus modus eſt, quum*
V. *id quod ſoluere non potes, non tam ad cauſam pertinere dicis, quàm id quod aut dici ab aduerſarijs ueriſimiliter non poteſt, aut ſi diceretur, facile ſolui poteſt, ut Demoſthenes in Timocratem, & Cicero pro Sexto Roſcio: nam cum diceret aduerſarius eam cauſam incitaſſe Roſcium ad patrem interficiendum, quòd alterum filium ſecum in urbe, ſecum in conuiuijs, ſecum in delitijs, alijsq; urbanis pater habuiſſet. Sextum*

à ſe

à ſe procul in operibus duris,ac ruſticis relegaſſet,non poterat hoc negare ipſis etiam apertum iudicibus Cicero. *Quare quum à cauſa argueret aduerſarius,ipſe à uita , natura,moribusq́; Roſcij,à quibus non ita bene adiuuabantur aduerſarij, eos debuiſſe argumenta ducere obijcit. Quare ab ijs quæ tam uera,quàm uerisimilia erant,optime ad ea quæ refutata etiam per ſe erant,animos auditorum hoc modo conatur abducere, In hoc tanto,tam atroci,tam ſingulari maleficio,quod ita raro extitit,ut ſi quando auditum ſit, portenti,ac prodigij ſimile *numeretur,quibus tandem te Eruti argumentis accuſatorem cenſes uti oportere?non'ne & audaciam eius,qui in crimen uocetur ſingularem oſtẽdere, & mores feros immanemq́; naturam,& uitam uitijs flagitijsq́; omnibus deditam,& deniq; omnia ad perniciem profligata,atq; perdita:quorum tu nihil in Sextum Roſcium,ne obijciendi quidem cauſa contuliſti?patrẽ occidit Sextus Roſcius,qui homo adoleſcentulus,corruptus eſt.* *inueniatur

Sextus modus eſt,quum id quod uehementer uerisimile uidetur,cauſa quadam accommodata ſoluitur,quæ cauſa uidelicet huiuſmodi eſſe debet,ut quamuis ficta ſit,tamen aut infamia perſonæ,aut rumore aliquo,aut ſuſpicione,aut euentu rerum uera eſſe uideatur. Quare diligenter tota cauſa perſpicienda eſt,ut quod fingitur,ijs quæ facta ſunt, quæq́; manifeſta ſunt,conuenire uideatur. VI.

Septimus modus eſt,quo totum quod dicitur,ut facilius cõfutari poßit,in partes diuidimus,& unumquodque per ſe debilitamus. Is modus tunc maxime adhibendus eſt, quum id quod ab aduerſario dicitur, huiuſmodi eſt , ut una pars alteram confirmare uideatur. Quare ſi connexione quadam , aut complicatione partium inſolubilis obiectio aduerſarij eſſe uideatur , nos ut facilius rem noſtram agamus,unumquodque per ſe conſiderabimus, VII.

deinde ſi commodum uidebitur, totum etiam ſimul aggrediemur. Quòd ſi obiectionis partes, etiam per ſe facile ſolui non poßint, non erit ab re unamquanq; aliquo iſtorum modorum, quos expoſuimus, quosq́; exponemus, labefactare, ut Demoſthenes, *quum diceret* Aeſchines *propter pacem* Cherroneſum Athenienſibus *ſupereſſe, & pacem eſſe pro bello, & trecentas triremes præparatas habere rempublicam: tripartitò obiectionem hanc totam diuiſit orator, ac primam quidem partem recriminatione, ſecundam incommoditate, tertiam ex* Philippi *commoditate labefactauit.* Hæc *latius expoſui, ut intelligamus, non recriminationem ſolum, ſed incommodum noſtrum, & hoſtium commodum poſſe nonnunquam inſolubiles obiectiones * diruere.* Octauus *modus*

** diluere*

VIII. *eſt, quum ea quæ contra nos dicuntur ab aduerſario, non tanquam obiectiones nobis illatas ad ſoluendum proponimus, uerum ita ſolutiones afferũtur, ut obiectiones ſileantur: quod quũ accidit, narrationi potius quàm confutationi oratio ſimilis eſſe*

IX. *debet.* Nonus *modus eſt, quũ aliquid inuenimus, quod cauendum eſſe ab aduerſario dicimus: qua ratione ei conſulendo, ac eius rei periculũ aperiẽdo, quam ille firmam rationẽ putauit, quum eius beneuolentia moueri uideamur, facile poterimus effugere, ut* Demoſthenes *πρὸς σω. cuius ſimile* Ciceronis *illud pro* P. Sylla. *Sed tamen te à me pro magnis cauſis noſtræ neceßitudinis monendum eſſe etiam atque etiam puto. Non poſſunt omnes eſſe patricij. Si uerum quæris, ne curant quidem, nec ſe æquales tui propter iſtam cauſam abs te anteiri putant, ac ſi tibi nos peregrini uidemur, quorum iam & nomen, & honos inueterauit, & huic urbi, & hominum famæ, ac ſermonibus, quàm tibi illos competitores tuos peregrinos uideri neceſſe erit, qui iam ex tota* Italia *delecti, tecum de*

hono

honore, & de omni dignitate contendunt? quorum caue tu quenquam peregrinum appelles, ne peregrinorum ſuffragijs obruare. Hoc in *difficili ſolutu obiectione quærendum eſt,* Cicero *tamen hic in facili poſuit: neque enim qui ex municipijs erant, peregrini* Romæ *habebantur.* Vbique *enim ferè omnia conſequitur, ne quas æternitati mandabat orationes, eis quicquam deeſſe uideretur.* Itaque *nonnunquam etiam in facilibus, & aperte ſoluit, & monet, & precatur, & terret, alijs'que utitur modis, ut & copiam ſuam oſtentet, & facilius opprimat aduerſarium, quod & in hoc ipſo, quod propoſuimus facit.* Nam *quum dicit neminem unquam hoc* M. Catoni, Tit. Coruncano, Curioni, Caio Mario, *alijs'que compluribus, qui municipes erant obieciſſe, opinione omnium & uſu ſoluit: monet deinde, ac terret poſtremo: primo utitur modo, quum & communicipalem materno genere fuiſſe dicat.* Decimus *modus eſt, quum non quod nobis opponitur, ſed quod ſequitur, aut præcedit, ſi ad ſoluendum facilius eſt, aggredimur, ut* Demoſthenes *in* Leptinem: *quum enim diceret* Leptines *reuocandas eſſe uacationis donationes, quoniam multi non digni uacatione donati ſunt, atque hoc negare* Demoſthenes *tam manifeſtum non poſſet, hoc modo intulit ſolutionem,* Quoniam *nonnulli indigni, uacatione donati ſunt, idcirco cenſet* Leptines *etiam ab ijs qui bene meriti de repub. ſunt, eripiẽdas ingrate uacationes.* Nam *hic hoc ultimum quod tanquam conſequẽs poſuit, cuiuis ſoluere facillimum eſt.* Vndecimus *modus eſt, quum multitudine rerum auditor ita opprimitur, ut obliuione eius obiectionis quam ſoluere non potes, capiatur, ut* Demoſthenes *in* Aeſchinem: *quum enim diceret* Aeſchines Cherſobleptem, *antequam ipſe profectus eſſet, deuictum fuiſſe, aliarum obiectionum multitudine ſolutionum'que copia, ita confudit au-* X. XI.

ditores, ut uel è manibus ipſius Aeſchinis elapſus, quod
optimum inter omnes rationes Aeſchinis erat, præteriiſ-
XII. ſet. Duodecimus modus eſt, quum obiectionem quidem
non reprehendimus, ſed aduerſarij intentionem improba-
XIII. mus. Tertiusdecimus modus eſt, quum nomen pro no-
mine ponimus, ut Demoſthenes pro Cteſiphonte, ἀντὶ
τοῦ ἀνηγόρευσε, quod lege prohibitum erat, εἰσήγαγε di-
xit, ut ſi quis non exules, ſed ui eiectos reducere affirma-
XIIII. ret. Quartusdecimus modus eſt, quum aduerſarius nos le-
ge urget, ac nos multa dicimus præterire, quæ ad rem per-
tineant, ſola uerò intentione legislatoris, quod ex lege obijci-
tur, aut ſoluimus, aut ſoluere uidemur, ut Demoſthenes
XV. pro Cteſiphonte. Quintusdecimus modus eſt, quum ex
utraque parte ſimilis quædam ad cauſam afferri uidetur
ratio, quod quum accidit, comparatione opus eſt, qua ra-
tionem aduerſariorum reprimamus, noſtram extollamus: ſi
ut ex utraque parte teſtes afferentur, ex uita & auctori-
tate, ac conſtantia teſtes noſtros efferemus, ex contrarijs
locis aduerſarij teſtes contemnendos oſtendemus. Huic ſi-
mile eſt illud Demoſthenicon in Cononem, cùm enim uter-
que iureiurando cauſam ſuam affirmaret, impium illum, &
nefarium hominem reijciendum dicit, ſe pium ac religio-
ſum accipiendum. Præter hæc & riſum mouere in difficili
obiectione profuit, & factis falſum oſtendere, quod pa-
làm negare non poſſumus, & difficiliora difficilibus oppo-
nere artis eſt: Vt Vergilius in decimo, Aeneas ignarus abeſt,
ignarus & abſit: & in undecimo, Pulſus ego? aut quiſ-
quam meritò fœdiſsime pulſum Arguet, Iliaco tumidum
qui creſcere Tybrim, Sanguine, & Euandri totam cum
ſtirpe uidebit Procubuiſſe domum, atque exutos Arcadas
armis? Haud ita me experti Bitias & Pandarus ingens, Et
quos

quos mille uiros uictor ſub Tartara miſi, Incluſus muris &c. Item in Bucolico, Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Treis pateat cœli ſpatium non amplius ulnas, Dic quibus in terris inſcripti nomina regum Naſcantur flores, & Phyllida ſolus habeto. His recte habitis, ac exercitatione firmatis, illud maximè oratoris eſt, ut argumenta omnia, & rationes ex eiſdem locis ſic ad cauſam accommodet, quo cæteris cauſis conuenire nullo modo poßint. Hæc enim res & artem occultat maximè, & auditoris animum ut credat compellit, quippe qui non extrinſecus ad cauſam attrahi uideat argumenta, ſed ex ipſius cauſæ natura profluere. Nam quæ foris adduci uidentur, nec perſuadent, nec gratiam ullam habent, & quum ſe artificio quodam ficta oſtendant, cauillationes potius quàm rationes appellarim, quæ res ut uel digito tangatur, non grauabimur breuiter unam cauſam exponere. Captis Thebis, tabulæ, quibus Theſſalos centum talenta Thebanis debere continebatur, ad Alexandrum delatæ ſunt. Is debitum id Theſſalis ſe donare dixit, tabulasq; lacerauit: poſt aliquot annos Caſſander, qui Macedoniæ poſt Alexandrum regnauit, quum Thebanos reſtituiſſet, diem ſuum obijt. Pacata Græcia Thebani apud Amphictyonas, commune totius Græciæ iudicium, à Theſſalis C.T. petunt: hic quoniam donaſſe Alexandrum ita conſtare uolumus, quemadmodum Caſſandrum reſtituiſſe, duo nobis eſſe uidentur, unde maxime cauſa pendeat. Si Alexander iure donare potuit, & ſi qui reſtituit & iure reſtituere & uoluit, & potuit, ut quæ facta ſunt pro infectis habeantur. Quare à rebus primùm, deinde à perſonis hanc cauſam pendere dicendum. Hac ex re illud etiam pateat, quòd qui unde cauſa pendeat intelligit, is & diuiſionem, et ſtatum tum principalem, tum acceſſorios & incidentes

Exemplum argumentationũ, rationumq;.

Id eſt centum talenta.

dentes melius percipit. Verum in hanc cauſam, quæ iuridicialis abſoluta eſt, pauca ex alijs ſtatus locis, ex partibus iuris, & diffinitione omnia ferè inueniuntur: quod ut plurimum accidit, quum cauſa priuata ſit. Neque enim differt; ſi duo'ne inter ſe populi an duo quiuis homines in petitione contendant. Dicent ergo Thebani, quum donare ſit, quod iure ſuum alicuius eſt ſponte ad alium deferre, donare Alexandrum quod ſuum non fuit, non potuiſſe: non fuiſſe ſuum, quòd armis ablatum, non niſi armis detineri poßit: ſuum unuſquiſque iure non armis poßideat, nec eſſe arma ubi iudex, nec iudicem ubi arma: iudicio uim oppoſitam eſſe, quare quod ille ui ſuum fecerat, iudicio iure ſuum fuiſſe comprobari non poteſt. Quam ob rem, quod quum arma ualebant ui donatum fuerat, id iudicio reſtitui debet, ut quemadmodum quæ iudicio decernuntur plerunque armis inique reſcinduntur, ſic ui facta non iniuria iudicijs repudientur. Item donat quis quod habuit, ius noſtrum Alexander nunquam habuit, nam niſi quod manu teneri poteſt, ui non habetur, ius incorporale eſſe, quare donatione in alium, aut teſtamento in hæredem tranſire poſſe, ui eripi non poſſe: aliam uictoris, aliam hæredis eſſe conditionem, quoniam ad hunc ius cum re, ad illum res tantum tranſeat. Ad hæc ſi maxime ſubiectorum ius in uictorem tranſire poßit, non omnes ſubiectos Alexandro Thebanos fuiſſe, plurimos profugiſſe, qui cum liberi ſemper uixerint, ac nunc in patriam reducti ſint, illis pecunias poſt euerſionem urbis non Alexandro ſubiectis Theſſalos debuiſſe: quod reip. debetur, omnibus debetur: incolumi ciuitate, urbe capta ijs deberi, qui non ſeruiunt, ſeruos nullum ius ciuitatis retinere. Præterea ſi etiam potuiſſet Alexander iure donare, quod non potuit, Thebanis à Caſſandro reſtitutis ius omne reſtitutum: ac ut quos ille

ille euertit, iſte reſtituit, ita quod ille ui ereptum donauit, iſte in integrum reduxit, uterque Macedonum rex fuit. Si quoniam unus in ſeruitutem liberos detraxit, donatio ualuit, ualeat & noſtri iuris recuperatio, quum in libertatem per alterum piè reducti ſumus. Si quoniam ſubiecit ille iniquè nos atque impie, quod donatum fuit, pro tempore ualuit, nunc reſtitutio ſanctè facta ualeat in integrum. Si alienum ius ereptum à Macedonum rege donari potuit, cur non poteſt ab eorundem rege noſtrum nobis donari? Fingite nunc Theſſali, non uos nobis, ſed nos uobis debuiſſe, ſi petentibus pecuniam reſponderemus, rempub. direptam fuiſſe, nunc reſtitutam nihil debere, quis nos iure dicere aſſereret? non enim ſumus alij reſtituit, atque fuimus, quum eſſemus incolumes. Quod ergo repetere iure ſi nobis creditum eſſet, poſſetis, id quum debeatis, non reddetis? Fingite nunc Alexandrum habitis tabulis exegiſſe à Theſſalis, C. hæc talenta uoluiſſe, ad uos iudices ueniſſe, dediſſetis? non opinor: cur ita? quoniam quod non dedit repetere iniuſtum putaretis, quoniam uictor armis quæ inuenit tenet, quæ in ciuitate quam uicit, non inuenit, nec requirit quidem: quod ergo exigere iure non potuiſſet, id quî donare potuit? ſed uictor fuit, armis nos oppreßit, ergo quouſque arma ualebant, ui noſtrum habuit, nunc armis depoſitis, & ui eiecta, noſtra nobis reſtituta ſunt. At quoniam relata gratia homines inter ſe contineat, maxime conſiderare debetis Theſſali, quam nobis pro meritis gratiam referatis, quum nullam habeatis. Nam profecto neque uos ſi uobis donabatur quod nobis eripi uidebatis, ſi quid uel pietatis, uel gratiæ in uobis erat, acceptare debebatis: neque id ego paruum putauerim, quòd eum ciuitatem quæ pecunijs ſuis uos ſubleuauerit, non modo non alleuiaſtis oppreſſam, ſed iam etiam reſtitutam, quantum in uobis

 eſt,

eſt, extinguere ſtudeatis: hic & qua mente Alexander donauit, & Caſſander reſtituit quæri poſſet: adhæc ſi poſſent in eos inuehi, quòd ipſi Alexandrum contra Thebanos * *iniuria concitaſſent, atque totam Græciam conturbaſſent, non paruam in eos accumularent inuidiam. Cui indignationi commiſeratio coniungi poſſet, quòd ſatis ſit per eos antiquiſsimam urbem direptam fuiſſe, & erit amplior deſcriptio captiuitatis nunc reſtitutis, ſi pecunijs ſuis per Theſſalos priuabuntur, altera erit captiuitas. Theſſali contrà donare unumquenque poſſe ſuum, creditum ad Alexandrum perueniſſe, quoniam uictor: neque quicquam poſſe magis ſuum alicuius eſſe, quàm quod armis adeptus ſit, neque magis rem quàm ius ad uictorem tranſire, quippe quum nihil ab eo iure repeti poßit: quod ſi non eſſet, quæ perturbationes omnium eſſent conſiderate. Nullus eſt, qui quod poſſideat, id natura habeat, ſed aut uacuas prouincias occuparunt homines, aut alijs expulſis eas tenuerunt: primum fieri poſſe credimus, alterum quotidie uideamus: quòd ſi uictoris iure non ſunt, quæ armis habet, iam inuenietis, qui Thebas iure à uobis repetent. Quare nunquam armis habitum, iudicio repetitum eſt: nam quæ armis ablata ſunt, iure reſtitui niſi armis non poſſunt, quod omnes præter Thebanos intelligunt. Nullus enim præter eos depoſitis armis à uictore, quod bello amiſerat, in iudicio petit. Reſtituit Caſſander quod reſtituere poterat, poſteriores reges priorum facta reſcindere non ſolent, neque ſi uellent, iure poſſent. Quare quod nobis ab Alexandro donatum erat, alijs dare Caſſander non poterat, ſed dedit quod habuit, tabulas has multò ante in manibus noſtris fuiſſe, quàm regnare Caſſander cœpiſſet, quis ignorat? At quoniam non eſſe iudicem ubi arma, dicis, miror cur à iudicibus petis quod armis ablatum fateare: & quum reſcindi*

* doloſè

iudicia ui armorum concedas, cur uis armis facta iudicio repudiari? Nam idem eodem plus & minus poſſe quî poterit? arma iudicijs plus poſſunt, tu quod armis factum eſt iudicio corrigere uis? At manu ius haberi non poteſt, ſed habitæ ſunt tabulæ, & magis in uictorem, quàm in hæredem, tam ius quàm rem tranſire non intelligis: hæres in pace ſolum quod ſibi relictum eſt, poßidet, armis plerunque amittit: uictor, quod gladio conſecutus eſt, facta pace iure non reddet? Præterea ſi quæ manu habuerunt uictores, iure tenent, quod concedere uideris, & ius earum rerum ad eos tranſire concedas neceſſe eſt. Etenim quî poteſt res iure ad aliquem tranſire, ſi ius non tranſit, niſi rem quoque iniuria teneri à uictore contendis? ſed iure non repetitur. Si non omnes ſibi ſubiecit Thebanos Alexander, at ciuitatem ſubiecit, & profugi illius ciuitatis, è qua profugerunt, ciues non ſunt: quod ut clarè uideas, finge profugos ante reſtitutionem pecuniam repetiſſe, nullus iure illis redderet, neque enim armis expulſi cius unquam ciuitatis è qua pulſi ſunt iura, niſi armis repetere poſſent. Quare non illis, ſed reip. Thebanorum debebatur & eruta erat. Fingite nunc nihil nobis Alexandrum donaſſe, iure tamen non redderemus. Nam ſi reſtituta ciuitas omnia de nouo reparat, leges, iudicia, mœnia, quæ diuturniora, quàm creditum, ſunt, cur quod primæ ciuitati debebatur, huic quoque deberi arbitramini? Inuehentur quòd ius gentium ſoli Thebani contemnant, & petent ne in eis primum ius commune deſeratur. Hinc iam clarè uideri arbitror, quonam modo à locis ad cauſam accommodatis ita ducantur argumenta, ut alij cauſæ conuenire non poßint, & quòd principales, hoc eſt, conſtitutionum loci ſecundarios amplectantur, illiſque confirmentur, quamuis nonnunquam econuersò quoque fieri poſſe

non negauerim. Præterea in principalibus locis integras argumentationes fundari, à ſecundarijs rationes, confirmationes, expolitionesque inueniri, quamuis & à principalibus hoc fieri ſoleat. Neque enim oratoria præcepta huiuſmodi ſunt, ut aliter ſe habere non poßint, ſed dicuntur quidem, quæ ſæpius fiunt, orator uerò iudicio ſuo prout cauſa poſtulat omnia commutabit. Nam hoc artis maximè eſt, quod ars præcepit ad commoditatem cauſæ ex arte immutare. Verum, ut quod dicebamus, autoritate quoque Ciceronis firmetur, à Miloniana exemplum argumẽtationis proponamus, in quo à partibus iuris, qui locus in iudiciali principalis eſt, tota argumentatio abſoluitur, Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſum fateatur. In qua tandem urbe homines ſtultißimi diſputant? nempe in ea, quæ primum iudicium de capite uidit Marci Oratij fortißimi uiri, qui nondum libera ciuitate, tamen populi Romani comitijs liberatus eſt, cum ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur. Hic iam obiectionem propoſitam uides, & ſolutionem allatam à iudicato. Conſuetudo deinde additur & autoritas, quam ad iudicatum reducimus, An eſt quiſquam qui hoc ignoret, quum de homine occiſo quæratur, aut negari ſolere omnino eſſe factum, aut rectè, ac iure factum eſſe defendi? niſi uerò exiſtimatis dementem P. Africanum fuiſſe, qui quum à C. Carbone tribuno plebis in concione ſeditiosè interrogaretur, quid de T. Gracchi morte ſentiret, reſpondit iure cæſum uideri, neque enim poſſet aut Hala ille Seruilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut Marius, aut me conſule ſenatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos ciues interfici nefas eſſet. Itaque hoc iudices non ſine cauſa fictis fabulis homines doctißimi memoriæ tradiderunt, eum qui patris ulciſcendi cauſa, matrem necauiſſet, uariatis hominum ſententijs,

Aliud exemplum.

tijs, non ſolum humana, ſed etiam ſapientiſſimæ deæ ſententia liberatum. Hoc *ultimum à iudicato, prius ab exemplo, quod tamen ad iudicatum reducimus excogitatum eſt, & per oppoſitionem dictum, cui tamen quoniam facile intelligitur oppoſitum deeſt: nam cum conſequens negatur, priorem oppoſitionis partem dicere, cætera auditoribus relinquere, & à conſequente in antecedens orationem torquere uehementius eſt, & ſimplex uidetur concluſio.* A *lege deinde rationem adducet,* Q*uòd ſi duodecim tabulæ nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem ſi ſe telo defenderit, interfici impune uoluerunt, quis eſt qui quoquomodo quis interfectus ſit puniendum putet? quum uideat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus?* Atqui *ſi tempus eſt ullum iure hominis necandi, quæ multa ſunt, certe illud eſt non modo iuſtum, uerumetiam neceſſarium, quum uis ui illata defenditur.* Pudicitiam *quum eriperet militi tribunus militaris in exercitu* C. Mari*j propinquus eius imperatoris interfectus ab eo eſt, cui uim afferebat.* Facere *enim probus adoleſcens periculoſe quàm perpeti turpiter maluit, atque hunc ille ſummus uir ſcelere ſolutum, periculo liberauit.* Aſſumptio *rem ipſam, qua de agitur, aſſumit; quare mihi quod preceſſerat, ad ſuperiora potius quàm ad aſſumptionem pertinere uidetur: quòd ſi quis aſſumptionem, nam uis illata à* Milone *depulſa eſt, illud diceret,* atque ſi tem pus eſt, latius ipſa res aſſumpta eſt:id* uerò, *quod modo ſequitur, ipſam rem aſſumit, & ex uſui adiuncto, natura, æquo & bono, & lege comprobatur.* Inſidiatori *uerò & latroni quæ poteſt afferri iniuſta nex: quid comitatus noſtri, quid gladij uolunt, quos habere certè non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret?* Eſt *igitur hæc iudices non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum arripuimus,* *atqui

hauſimus, & expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi uita noſtra in aliquas inſidias, ſi in uim, in bella, aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, honeſta omnis ratio eſſet expediendæ ſalutis. Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari iubent, quum ei, qui expectare uelit, ante iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda: & perſapienter, & quodammodo tacitè dat ipſa lex poteſtatem defendendi, quæ non modo hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſa uetat, ut quum cauſa, non telum quæreretur, qui ſui defendendi cauſa telo uſus eſſet, non hominis occidendi cauſa habuiſſe telum iudicaretur. Quapropter hoc maneat in cauſa iudices. Non enim dubito quin probaturus ſim uobis defenſionem meam, ſi id memineritis quod obliuiſci non poteritis, inſidiatorem iure interfici poſſe. Hac ex concluſione, illa quam diximus, aſſumptio confirmatur. Verùm ex hoc ratiocinationis ordine illud etiam mihi in mentem uenit, ex omnibus locis alicuius ſtatus unicam argumentationem componi poſſe, ſed hæc ſufficiant. Nam de dicendi generibus atque modis dicere, aut aſpere ſoluat, confiſus probet, à ſplendore deinde ad acrimoniam deſcendat, aſperitatis ſchema immiſceat, ſplendorem recipiat, acriter aſſumat, uelociter naturæ uim oculis ſubijciat, eiq; immoretur, cæteraq; huiuſmodi, & ſi non extra rem, ſtultum tamen eſſet prius quàm dicendi formæ percipiantur, cur hæ potius quàm illæ, curq; ita permixtæ ſchematis membris, Methodo, alijsq; huiuſmodi, quibus confuſæ ſimplices, unã reddunt, ratione certa explicare uelle. Quare de confirmatione & cõfutatione ſatis dictũ eſt. Nunc ſi de peroratione dixerimus, huic uolumini modum imponemus.

DE PERORATIONE.

Perorationis partes.

PEroratio eſt artificioſus terminus orationis. Perorationis, quam nos epilogum dicimus, tres partes ſunt, enumeratio

ratio, indignatio, conqueſtio. Enumeratio eſt per quam res diffuſius dictæ, comminiſcēdi cauſa unum in locum coguntur, hanc nō ab exordio, neq; à narratione, ſed à diuiſione incipere neceſſe eſt, deinde non omnia quæ dicta ſunt, ſed breuiter ac paucis uerbis uim uniuſcuiuſque argumentationis ſub aſpectum ſubijciemus, qua in re maxima uarietas adhibenda eſt, ne ſi ſemper eodem modo enumeremus, aut artificio facere uideamur, aut in faſtidium, ac ſatietatem orationis incurramus. Variabitur ergo enumeratio dupliciter, aut ordine, aut tractatione: & ordine rurſus bipartitò, aut quum tam confirmatio, quàm confutatio ſimul repetuntur, aut quum ſeorſum, ac ſeparatim à confirmatione repetitur confutatio. Nam confutationis quoque firmiſsimas ac probatiſsimas partes in enumeratione aſsumi poſſe, manifeſtum eſt, ac coniunctim quidem repetere multò artificioſius atque uehementius, dum commode fiat putamus: nam quum quid dixeris oſtendas, atque quod contra illud afferebatur ab aduerſarijs, quemadmodum diluiſti demonſtres, mirabili hoc artificio, ut tibi credat auditor nimirum compellitur: quod ſi ſeorſum ac diſiunctim confutationis enumerationem à confirmatione ponendam arbitramur (nam etiam accidere poteſt, ut hoc potius faciendum ſit, quàm illud) id quoque dupliciter fieri poteſt: etenim aut à confutatione prius, aut à confirmatione incipere, deinde alterutra abſoluta ad alteram tranſgredi neceſſe eſt. Communiter autem ſiue coniunctim, ſiue diſiunctim enumeras tribus modis, commutatione ordinis uarius eris, quum partes diuiſionis expones, & quibus rebus unamquanque confirmaſti breui oſtendis, quum partitionem quidem prætermittis, confirmationis autem firmiores rationes perſequere, quum non à diuiſione aut confirmationis principio, uerum ab ea, quam

Enumeratio quibus modis.

nuperrime diximus argumentatione quæcunquæ firmiora uiderentur, repetimus uſque ad diuiſionem, quam ſi hoc ordine dicimus, prætermittendum cenſeo. Ac de ordine quidem & diſpoſitione perorationis hæc in præſentiarum ſufficiant: Actione autem uariabis, ſi aut perſonæ, aut rei orationem attribuis: perſonæ, aut noſtræ, aut alienæ, quæ grauitatis ac ponderis plurimum apud iudices habere uideatur, quam actionem ita proferre poſſumus, ut omni ordinis modo cauſam exornemus, ac nunc à diuiſione, nunc ab initio confirmationis, ſiue confutationis, nunc à fine incipiemus, & hæc modo coniunctim, modo diſiunctim dicemus, hoc modo, Quum hæc ita ſint, quid putatis, nunc iudices ſcriptorem legis ſi adeſſet dicturum? non'ne his apud uos uteretur uerbis? Quid dubitatis iudices, legibus hunc è ciuitate depellere, quum hoc & hoc uobis demonſtratum ſit, illud planum factum? Rei autem actio attribuitur, ſi urbi, aut legi, aut alicui rei oratio accommodatur, quo in genere omnibus ordinis modis uarietatem poſſe acquiri perſpicuum eſt, hoc modo, Quòd ſi leges loqui poſſent, non'ne apud uos ſic quererentur, Quidnam amplius iudices deſideratis, quum uobis hoc & hoc planum factum ſit? In omni autem enumeratione non totas argumentationes, ſed id quod in unaquaque grauiſſimum uidetur, colligendum eſt, ita breuiter & clare, ut non omnino, ſed memoria renouetur. Indignatio eſt oratio per quam grauis in rem offenſio, aut magnum in hominem odium inſtigationis auditorum cauſa concitatur: huius indignationis, quam etiam amplificationem appellare licet, duplices ſunt loci, proprij ſcilicet atque communes: proprij ſunt, quibus rem diligenter expoſitione omnium quæ conſequi eam poſſe uidentur, amplificamus. Quare circunſtantiæ omnes hic ita conſiderandæ ſunt, ut non quemadmodum in alijs oratio-

[margin: Indignatio quæ & Amplificatio.]

nis

nis partibus,ad aliquid comprobandum adducantur: Verum quæcunq; ea in re,aut perſona,aut loco,aut tempore,aut cauſa,aut modo facta ſint,aut poſſe fieri,ueriſimiliter credantur, ampla & criminoſa efferantur oratione. Licebit igitur ad quamlibet circunſtantiam modum diligenter accommodare, quod faciemus,ſi ſingula,quæ unicuique circunſtantiæ inſunt: aut uere accidunt,uel accidere poſſe creduntur, ſingulatim exponemus. Etenim peroratio quæ per indignationem, aut conqueſtionem tractatur,poëticum fere dicendi modum inſequitur. Vt enim poëtæ modo magis materiam quàm alijs circunſtantijs ampliant,ita in his orator modum cunctis circunſtantijs inſerens,uehementer & orationem amplificat,& auditores mouet. Quòd autem poëtæ hoc dicendi genere utantur,ſingula modo ſuo amplificando eximius ille poëta Vergilius ubiq; oſtendit, Arma uirumq́; cano, Troiæ qui primus ab oris, Italiam fato profugus Lauináque uenit Littora, multum ille & terris iactatus & alto Vi ſuperûm,& cætera. Nam hic ſtatim à principio,quemadmodum in ſingulis inſiſtat, manifeſtum eſt,quum & profugum & iactatum terra ac mari dicat, multa quoque & bello paſſum. Modo ſingula amplificat, cauſas quoque modis addit, quum fato & ui ſuperûm & memorem Iunonis ob iram,ita contigiſſe confirmet. Item, Vnam,quæ Lycios fidumq́; uehebat Orontem, Ipſius ante oculos ingens à uertice pontus In puppim ferit, excutitur pronusq́; magiſter Voluitur in caput: aſt illam ter fluctus ibidem Torquet agẽs circum,& rapidus uorat æquore uortex. Verùm poëtæ ubique ferè,ut dictum eſt, hac quæ ſingulorum expoſitione diligenti fit, amplificatione utuntur, oratores indignatione ac conqueſtione ſemper quàm fieri poteſt ampliſsime, parcius in alijs. Quam quidem ſingulorum, quæ conſequuta ſunt,uel quæ conſequi poſſe uidentur,expoſitionem

tionem per tria tempora partimur, præteritum, inſtans, & futurum. Quare ſi res tantam nobis copiam præbere poteſt, ut & à tribus temporibus poßit amplificari, poterimus ordine à præterito tempore incipere, ac in futurum terminare orationem. Qua in re diligenter curandum eſt, ſi idem aut eodem modo dicendum aliquid ſæpius contingit, ut uarietate orationis & uerborum quàm multiplice poteſtate ſatietatem fugiamus. Quòd ſi res adeò tenuis eſſe uidetur, ut ſufficientem amplificationi copiam non afferat, dabimus operam, ut orationis confirmatio, in qua plerunque ſparſæ ſunt amplificationes, ſine amplificationibus efferatur. Ea uerò quæ confirmationem amplificare poſſent, omnia perorationi ſeruabimus, confirmationis amplificationem perorationi inſerentes. Nam hoc intereſt inter illam amplificationem, & hanc, quòd illa non ſingulorum modò, uerum ipſa rerum minuta inciſione firmatur. Hæc ut dictum eſt, modo rerum maxime gaudet. Quare ſi tenuis eſt res, comprehenſionem, hoc eſt, locum ab initio ad finem totum ſimul proponemus, & ad totum fictoria quædam, ut docuimis, afferemus. Eas uerò diuiſiones, quas in his quæ ab initio ad finem ſunt, fieri docuimus, concluſioni inſeremus, quas non ita ut in confirmatione dicemus. Genere enim dicendi, multum à confirmatione differt peroratio. Nam ibi cum longiora ſint orationi membra, circuitu etiam plurima efferuntur, perorationis uerò membra, & breuiora ſunt, & ab omni circuitu alieniora. Quare huiuſmodi amplificatio quæ in re tenui fit, ab ea confirmatione, quam per diuiſionem in ſingula in comprehenſione fieri docuimus, genere dicendi ſolum differre uidetur: quòd ſi res uehementer tenuis eſt, ac eas inciſiones rerum, quæ in comprehenſione fiunt, perorationi conſeruare non ſufficit, licebit ſimiliter exemplis, ſimi-

litudine

*litudine,fictorijs,& huiuſmodi unumquodque inciſionis membrum amplificare, ac rurſus in rem commodiſsime redire: qua ex re adeò magna fluet dicendi copia, ut hinc uerè uideri poterit, oratorem facile rem paruam ſua poſſe oratione, uel in immenſum extollere:quod,ut clarius pateat, exemplo quoque aperiatur,*Trecentos Thebanorum *captiuos ab* Alexandro *emerunt* Lacedæmonij,*eosq́; ſuper* Tropheum,*quod parta ab illis uictoria* Thebani *instituerunt, omnes unà iugulauerunt,accuſantur in communi* Græciæ *conſilio iniuriarum*. Hic *in confirmatione quidem trecentos iugulaſtis dicemus crudeliter tanquam beluas:*Et *quorum calamitati ſuccurrere debuiſtis,hos uno, eodemq́; die trucidari non erubuiſtis:*quos *ſubleuare debebatis, hos deprimere magis auſi eſtis: quos ut captiuos emebatis,hos ut latrones ſecuri percuſsiſtis*. Hæc *inciſio eſt ex trecentorum perſona: nam quum in omni circunſtantia fieri poſsit, in re & perſona ad quas etiam cæteræ reducuntur, maxime fieri ſolet:ab inciſione etiam rei,ſi diceres*, Si *non interfeciſſetis,ſed uerberatos ſolum dimiſiſſetis,adhuc iniuriarum crimine uos non abſoluerem*. Hæc *& huiuſmodi amplificationis exempla,præterea ſimilitudines, contraria confirmationi inſeremus*. In *hac cauſa,quoniam res propoſita minime tenuis eſſe uidetur, quæ in re tenui perorationi accommodari ſolent(nam hic modum rerum ut diximus,concluſioni afferre ſatis ac ſatis erit)interfeciſtis dicemus trecentos uiros,non eſtis moti lacrymis eorum, non audiſtis querelas,non intellexiſtis complorationem*. A *factis etiam eorum,ac maxime,quum illos alterutros amplecti, oſculariq́; uideritis,tum omnem iniquitatem in eos effudiſtis*. A *dictis etiam, non mouerunt uos ſupplicationes eorum,non uerba illa miſerabilia, quæ uel lapides ipſos mouiſſent*. Hic

Exemplũ amplificationis.

& ſerm

& ſermocinationem ſubijcere poterimus. Nullo *enim orationis loco ſermocinatio aptior eſt, quàm indignationi, aut conqueſtioni, quum à proprijs locis peroramus.* Hic (*ut diximus*) *exemplorum commemoratio, & ſimilitudinum, & aliorum quæ uel ad confirmationem orationis accommodari diximus, fieri opportune poteſt. Quæ, quoniã idem uideri poſſint, in quo differant dicendum eſt. Ea ergo quæ ad confirmandas rationes afferuntur, huiuſmodi ſunt, ut & rationis uim, & amplificationis ſimul contineant. Quæ ijſdem de locis ad perorationem trahuntur, ſolam amplificationis naturam retinent, ut ſi in propoſito themate, exemplo confirmares ac diceres, tanto crudeliores uideri debere* Lacedæmo*nios, quòd eorum olim trecenti pro libertate Græciæ apud* Thermopylas Xerxi *ſe regi* Perſarum *oppoſuerũt, qui quãtum in illis fuit, hoſtes interemerunt, Græciam liberauerunt. At his nõ ſatis uiſa ab* Alexandro *deuaſtata Græcia, niſi quorum ipſe hoſtis miſerebatur, eos iſti atrociter necarent: cuius orationis, ut apertius dicatur, hæc uis eſt, ut quãta gloria trecentis eorum pro libertate Græciæ trucidatis affecti ſint, tantò quoniam ad calamitatem Græciæ trecentos crudeliter necarunt, mœrore conficiantur.* In *peroratione ab eodem ſic,* Trecentos *trucidaſtis, deleuiſtis totam* Lacedæmonis *gloriã, amiſiſtis laudem illam mirificam, qua ex morte trecentorum qui cum* Leonida *pro libertate Græciæ mortui ſunt, ad aſtra* Lacedæmones *efferebantur: inquinaſtis illorum uirorum lau datiſſimum numerum: aut ſic,* Non *mouit uos ille trecentorũ numerus, & cætera ſimiliter.* Verum *ea de indignatione, quæ proprijs locis fit, ſatis dictum eſt:* Nunc *ad communes tranſeamus.* Communes *loci ſunt, qui omnibus communiter ſimilium cauſarum rebus accommodari poſſunt, ut contra parricidam, furem, tyrannum, latronem, aut pro innocente, uel forti*

uiro,

uiro, & huiuſmodi. Communes loci indignationis ſunt, quibus omnia quæ rem conſequi poſſunt, exponimus acriter & criminoſe: hi nouem maxime ſunt, auctoritas, pertinentia, euentus, ſeueritas, ampliatio, comparatio, collectio, inconuenientia, conuerſio. Ab auctoritate ſumitur communis locus, quum commemoramus quantæ curæ iis fuerit ea res, quorum auctoritas grauiſſima eſſe debeat. Hæc partim diis, partim hominibus attribuitur. Diis, quum ex oraculis, ſortibus, oſtentis, prodigiis, reſponſis, uatibus, ac ſimilibus rebus, quanti eam rem facere oportet oſtendimus. Hominibus, quum aut ex noſtrorum maiorum ſententia, ſcriptorumq́; legis actione rem magnam uideri oportere putamus, aut regum, aliarumq́; ciuitatum & gentium uſu, & opinione atrox eſſe facinus comprobamus. Item quum aperimus qualis ſit ſapientum hominum ea de re ſententia, & eorum maxime qui illis rebus operam diligentiſſime aut dederunt, aut dant, quarum rerum ſcientia, rei qua de agitur notitiam optime comprehendit. Pertinentia eſt, per quam amplificando per indignationem ad quos illa res pertineat, acriter oſtendimus, aut ad omnes, aut ad plures, quod atrociſſimum eſt, aut ad ſuperiores, quales ii ſunt, quorum auctoritate indignatio ſumitur, quod indigniſſimum eſt: aut ad pares animo, fortuna, corpore, quod iniquiſſimum eſt: aut ad inferiores, quod ſuperbiſſimum eſt. Euentus eſt, quo oſtendimus quid conſecuturum ſit, ſi eum impunitum relinquamus, in quo neceſſe eſt, ut aperiamus multos æmulos huius audaciæ futuros, ſi ſibi conceſſum intellexerint: quod confirmabimus, ſi demonſtrabimus multos alacres, quid de eo ſtatuatur, expectare, ut ex eo intelligere poſſint, quid ſibi quoque de re tali liceat: quibus de rebus, quid mali euenturum ſit, ſi huic conceſſum fuerit, ante oculos ponemus. Præterea ex his inferemus, hanc

Communes loci indignationis.

Ab auctoritate.

Pertinentia.

Euentus.

huius rei naturam uideri, ut niſi quamprimum corrigatur, non ſicut cæteræ res intellecta ueritate commutari, ac corrigi poßit, ſed ſemper in peius ruat, quum neque conſilio, neque poteſtate aliqua reuocari poßit, aut difficillime poſſit. Quare cauendum eſſe ſi nos & remp. ſaluos eſſe uolumus, ne huius rei licentia, auctoritate iudicij ſanctiatur. Seueritas eſt, qua oſtendimus nullam uoluntario facinori ueniam dari conuenire, imprudentiæ nonnunquam concedi oportere. Ampliatio eſt, per quam indignamur, tam tetrum, nefarium, crudele, tyrannicum facinus eſſe factum per uim, manum opulentam, quæ res à legibus, & ab æquabili iure remotißima ſit: quod confirmabimus, ſi demonſtrabimus non uulgare, neque factitatum, nec ab audacißimis quidem hominibus id quo de agitur, ſed à barbaris ac feris gentibus, immanibus quoque beſtijs eſſe remotum, ſi cum iniuria, contumelia coniuncta demonſtrabitur, quæ res in ſuperbiam, arrogantiam, odium incitat. Hæc erunt, quæ in parentes, liberos, coniuges, conſanguineos, ſupplices, crudeliter facta dicuntur. Præterea in maiores natu, hoſpites, uicinos, amicos, in eos quibuſcum uitam egeris, apud quos educatus, à quibus eruditus ſis, in calamitoſos, mortuos, ac in omnes miſericordia dignos. Præterea in homines claros, nobiles, honoribus uſos, ac in eos qui nunquam lædere alios conſueuerunt, nec ſe defendere potuerunt, ut ſunt pueri, ſenes, mulieres, quæ omnia hoſtibus, ac etiam inimicis noſtris indigna uideri dicemus. Comparatio eſt per quam per contentionem oſtendimus, quanto atrocius & indignius ſit alijs, quæ conſtat eſſe peccata id de quo agitur, quod genus, ſi atrocius diceres ſtuprare ingenuam quàm uiolare ſacrum, propterea quòd ad hoc egeſtate plerunque homines impellantur, illud nullus niſi luxu atque ſuperbia perditus

Seueritas.

Ampliatio.

Comparatio.

ſuſcip

ſuſcipiat. Collectio eſt, per quam omnia quæ in negotio gerendo acta ſunt, quæq; conſecuta negotium, cum uniuſcuiuſque criminatione ac indignatione colligimus, ex quo fit, ut tota res ante oculos ponatur, & ſummum in reum odium concitetur. Inconuenientia eſt, per quam indignamur ab eo nobis illatum maleficium, à quo minime oportuerit, qui nos defendere, ac tutari deberet, quòd aut nunquam, aut rarò alijs accidat, itaque nobis hoc primum accidiſſe conqueremur, nec alicui antè, quod memoriæ traditum ſit. *Collectio.* *Inconuenientia.*

Conuerſio eſt, per quam ab auditoribus petimus, ut in ſuas res noſtras iniurias referant: ſi ad pueros pertinebit, de liberis ſuis cogitent: ſi ad mulieres, de uxoribus: ſi ad ſenes, de parentibus. Ac indignationis quidem hos communes locos eſſe putamus. Oportet autem ex commodo cauſæ non hoc ordine quo expoſuimus, à communibus locis rem amplificare. Illud etiam ſcire conuenit, quòd hos communes locos proprijs oratores permiſcent, ut ueriſimilior ſimul & acrior oratio uideatur. Conqueſtio eſt oratio, per quam auditorum captatur miſericordia: huius etiam ſicut & indignationis loci, alij proprij, alij communes ſunt. Proprij ſunt, qui cauſæ ita cohærent, ut alij cauſæ conuenire non poſsint. Communes ſunt, qui multis cauſis conuenire poſſunt. Proprij ergo conqueſtionis loci ex ipſa re geſta, & his quæ rem conſequuntur, inueniri ſolent, & à tribus temporibus, præterito, inſtante, conſequente, ut ſuperius dictum eſt, capiuntur: à præterito, ſi in quibus incommodis iniuria fuerit, oſtendetur: ab inſtanti, ſi qua in fortuna nunc ſit aperiatur, quum antè in ſublimiore fuerit & fortuna & dignitate: à futuro, ſi quid ſibi aut ſuis miſeriarum euenturum ſit, oſtendet, niſi cauſam obtinuerit. Verum hæc, quæ dicta ſunt, ſi ita proferas, ut à nobis expo- *Conuerſio.*

ſita ſunt, communibus non proprijs locis miſericordiam captas. Hoc enim (ut diximus) inter communem locum & proprium intereſt, quòd proprius rei qua de agitur accommodatur, communis latius patet, ac ideo multis ſimilibus cauſis accommodari poteſt. Quare & communem locum ad proprium rediges, ſi quæ ad rem pertinent, addere uolueris, & proprium communiorem efficies, ſi quæ rei ſunt, ab eo detraxeris, quod breuiter exemplo quoque demonſtrandum eſt. Moueat illud uos iudices, moueat uehementer, quod decem annis, quibus clariſsimus ille rex Agamemnon hinc aberat ab adultera matre, non ut Agamemnonis filium decuit, infelix educatus ſum, quum ab ipſa Clytemneſtra iudices, tum ab Aegiſto adultero, & doctrina miſer, priuatus ſum regia, & moribus contra decus regium ruſticanis nutritus, & inſuper ſummo cruciatu, ac dolore corporis indigne, cum me ac Agamemnone patre, tum uobis ipſis iudices plurimum affectus ſum. Hoc iam ita cauſæ accommodatum uidetur, ut nequaquam alij cauſæ conuenire poſsit, atqui eundem locum communiter hoc modo pronunciabis, Quis ignorat iudices iam decennio, quibus incommodis, quibus doloribus, quo cruciatu corporis miſer uexatus ſim? Nam quem decuit optimis moribus, ac diſciplina inſtitui iudices, his ego omnibus aduerſariorum priuatus ſum ſcelere, ac inſuper crudeliter miſer ac atrociſsime exagitatus, nunc quum primum reſpirare uiſus ſum, ab audaciſsimis aduerſarijs etiam in ſupplicium rapior. Hoc ideo latius expoſuimus, quamuis uerbo etiam uno intelligi poſsit, ne quis putaret longè nos ab antiquorum præceptis, quæ illi indignationi atque conqueſtioni attribuunt, aberraſſe. Nam quæ illi communibus præcepta locis accommodabant, hæc ab his ipſis in orationibus ſuis animaduertimus, tam communiter, quàm proprie proferri. Quare, ut di-

lucidior præceptio fieret, hos communes, illos proprios locos appellare placuit. Hoc itaque, *ut dictum eſt, tam in conqueſtione, quàm in indignatione uolumus ita fieri poſſe, ut & quæ rebus inhærent, ſublatis rerum circunſtantijs communiter efferantur, & quæ communiter traduntur, circunſtantijs rerum interpoſitis cauſæ inhæreant, quamuis & quoſdam ita communes dixerim inueniri, ut ſemper ab oratoribus communiter efferantur, de quibus etiam primum dicendum uidetur.* Communes ergo loci conqueſtionis ſunt, *per quos uis fortunæ in omnes, & omnium infirmitas oſtenditur, & commutatio ſimiliter rerum omnium, ac inſtabilitas ante oculos ponitur.* Item *ſi quid de humanitate, miſericordia, aut maiorum, aut eorum ipſorum qui audiunt, aut omnium dicimus.* *Qua quidem humanitate, ac miſericordia ſi maxime utendum cenſemus, eam honeſto, & laudabili & euentu maxime comprobabimus.* Cæteros locos, *qui & ad* proprios *rediguntur, ex diſtributione temporum, deploratione ſingulorum, euentu præter ſpem, præterea conuerſione, exuſcitatione, commendatione, obſecratione, pietate, ac poſtremo magnanimitate emanare cenſemus.* Primus *eſt, per quē diſtributione temporum miſericordia captatur.* Hunc *bipartitò conſideramus: nam aut ſemper calamitoſos nos indigne fuiſſe conquerimur, & nunc id effici crudelitate aduerſariorum, niſi humanitas nobis iudicum auxilio ſit, deploramus, ut etiam in poſterum ſemper lugere neceſſe ſit: aut quibus in bonis, qua dignitate, quo honore fuimus, & nunc per quem maxime, quibus in malis, ac dedecore ſimus, deflemus.* Hic *commodiſsime turpitudinem, humilitatem, illiberalitatemq́; rei indignam ætate, genere, fortuna, priſtino'que honore noſtro apponemus.* Secundus *eſt uniuſcuiuſque incommodi diligens cum deploratione expoſitio, ut in morte filij oblectamenta infantiæ, pueritiæ ſola-*

Communes conqueſtionis loci.

I.

II.

tia, amor, ſpes, tutela ſenectutis, conſeruatio domus, & quæ huiuſmodi ſunt. Item quæ in geſtione negotij ſunt, ut non affui, non uidi, non poſtremam eius uocem audiui, non poſtremum ſpiritum accepi. Item, In manibus inimicorum mortuus eſt, in hoſtili terra turpiter iacuit inſepultus à feris dilaniatus, communi quoque honore in morte caruit. Item quum illa incommoda ante oculos ponuntur, in quibus deductos nos ab aduerſarijs dicimus, ut inopia, dolor, dedecus, ſolitudo, infirmitas, ut is qui audit, re ipſa adeſſe, non uerbis
III. *ſolum audire uideatur.* Tertius eſt per quem præter ſpem *aliquod factum comploratur, ut quum dicis, bono te animo illi fuiſſe, ac quum gratiam debitam expectaſſes, in miſeriam*
* præferemus. *incurriſſe, quod per indignationem * proferemus, quòd ab his, à quibus minime conueniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus beneficerimus, quos adiutores fore putauimus, aut à quibus indignum eſt, ut ſeruis, liberis, clientibus, ſupplicibus, uel quum dicimus, ſperaſſe nos à filio, quoniam ita par erat, non filium à nobis ſepultum iri, noſtroſq; ab eo, non contrà illius à nobis clauſos iri oculos aut aliquid*
IIII. *huius.* Quartus eſt, per quem caſum noſtrum, aut in eos *ipſos qui audiunt, aut in eos ipſos, qui chari ſibi ſunt ita conuertimus, ut quum nos uideant, ſui aut ſuorum in memoriam*
V. *uenire cogamus.* Quintus eſt, per quem oratio ad mutas *& expertes res animi refertur, ut ſi ad equum, domum, ueſtem ſermonem alicuius accommodes, quibus animus eorum*
VI. *qui audiunt, uehementer commoueatur.* Sextus eſt per quem *parentum liberorum ſui corporis ſepeliendi, aut alicuius rei eiuſmodi commendatio fit, in quibus commendandis, diſiunctio quoque deplorabitur, quum dicamus didici ab eo quicum libentiſſime uixerimus, ut à parente, aut filio, aut fratre, aut*
VII. *familiari, & intimo.* Septimus eſt qui per obſecrationem

ſumit

ſumitur, in quo orantur illi qui audiunt humili & ſupplici oratione ut miſereantur. Octauus eſt per quem non noſtras, VIII.
ſed eorum qui chari nobis ſunt fortunas conqueri demonſtramus: quare pietatem in alios magis quàm in noſtris incommodis lugere oſtendimus. Nonus eſt, per quem animum no- IX.
ſtrum in alios miſericordem fuiſſe oſtendimus, & tamen amplum & excelſum, incommodorum patientem eſſe ſi quid acciderit demonſtramus. Nam ſæpe uirtus & magnificentia in qua grauitas & autoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam commouendam quàm humilitas & obſecratio. His locis commoueri animi ad miſericordiam ſolent. Quare eorum aliquos quotquot in cauſam incidunt, non eo ordine, quo expoſuimus, ſed ſicuti res poſtulat, occupabimus, quæ omnia ita dicemus, ut non rebus ſolum, ſed orationis genere, uoce, geſtu, uel ad lacrymas iudices prouocemus, quod quum factum intellexerimus, finem perorationis afferemus. Nam quoniam conqueſtio ad afficiendos, mouendosq́; animos miſericordia adinuenta eſt, non eſt diutius in ea commorandum, ſi quod uolumus per eam efficere, id iam factum eſſe perſpiciemus. Deinde haud paruum operæ pretium eſt, in his ipſis lacrymis, ſi fieri poteſt, auditores relinquere, ut quod iudicaturi ſint, ipſa motione animorum pronuncient. Verum quoniam tam indignationis, quàm conqueſtionis illud proprium eſſe uidetur, ut omnia ſub aſpectum ſubijciantur, (Nulla enim res magis affectus mouet, qui peroratione maxime ſunt excitandi, quàm ut ipſis negotijs audiendo iudices intereſſe uideantur) quid de affectibus ſentimus, breuiter aperiendum eſt. Vt igitur omnes affectus orationi neceſſarios ducimus, ſic eos magis ad elocutionem, quàm ad inuentionem pertinere putamus. Non enim ſimiliter eadem res alio atque alio modo dicta concitat auditores. Quare mihi uidentur

uehementer errare, totam'que hanc rem penitus ignorare, qui affectus hic curioſius enumerant, quaſi facile ſit ſi quis affectus nouerit, quos nouit, oratione mouere, aut quaſi enumerari poßint, qui prout ab oratore conſiderantur penè infiniti ſunt. Neque enim odiſſe, amare, cupere, abominari, gaudere, dolere, timere, ſperare, iraſci, & ſi qua alia generalius enumerantur, nobis ſolum ſubiecta ſunt, ſed multa præterea, quæ quamuis iſtis contineri uideantur, diuerſo tamen genere orationis tractanda ſunt. Quis enim neſcit ſic nonnunquam afficiendos iudices, ut contemnant, ut faueant, ut dedignentur, ut inuideant, ut miſereantur, ut ſæuiant? Quæ omnia, cæteraq; huiuſmodi, etſi ad alios reduci poſſe uideantur, genere tamen dicendi, tractationeq; diuerſißima ſunt, neque inter ſe ſolum, ſed eadem res à ſe ipſa nonnunquam. Natura enim iudicum, loco, tempori, alijsq; circunſtantijs oratio accommodanda eſt. At hi uel tardi ſunt, ac hebetes, uel acuti ad mouendumq; faciles: præterea mites, iracundi, truces, benigni, inuidi, timidi, quæ omnia longe aliam atque aliam orationem oratoris deſiderant, quàm ſi affectus ipſe per ſe ſolum conſiderandus eſſet. Ad hæc multum intereſt, ſe ne ſolum orator affectum uelit oſtendere, an iudices quoque afficere. Neque enim ſemper quum timere nos fingimus, auditori quoque terrorem incutere uolumus. Quare eos qui affectus, quot & qui ſunt enumerant, eamq; rem plurimum poſſe arbitrantur, tanquam huius artis imperitos relinquamus, nos quum quid cauſa deſiderat intellexerimus, orationis genus ad id accommodabimus, affectusq; quum per totam orationem, ut uiua oratio ſit, tum in peroratione maximè commouebimus. Qua in re illud ſumme optimum uideo, ut artem natura iuuet, imagines rerum abſentium ſic animo noſtro adſciſcere, ut res ipſas uidere oculis, ac præſentes habere*

* *iudico*

habere uideamur: hoc enim modo, dum ars & exercitatio nobis inſit, uoces, actus, orationem, ipſi affecti optimè confingemus. Nam qui affectibus idonea non attribuunt, illudere hi quidem auditores, deriſionisq́; cauſa potius fingere, quàm ex animo dicere uidẽtur. Sed de partibus orationis iam ſatis dictũ eſt, & huius uoluminis magnitudo longius proceſſit. Quare quæ ſequuntur deinceps in quartum librum traducamus.

LIBRI TERTII FINIS.

GEORGII TRAPEZVNTII RHETORICORVM LIBER QVARTVS.

DE GENERE DELIBERATIVO.

QVONIAM de partibus orationis, quàm breuius potuimus in ſuperioribus explicauimus uoluminibus, eaſq́; ad iudiciale accõmodauimus, nunc conſequens eſſe uidetur ut paucis de deliberatiuo & demonſtratiuo genere diſſeramus. Ac primum quidem, quoniam difficilius eſt, deliberatiuum abſoluamus, deinde quum demonſtratiuum etiam expoſitum fuerit, de cæteris oratoris officijs conſiderabimus. Deliberatiuum eſt quod poſitum in conſultatione, habet in ſe ſententiæ dictionem. Eius partes ſunt duæ, ſuaſio, & diſſuaſio. Suaſio eſt oratio deliberatiua, quæ primo

Deliberatiui partes.

in conſultatione, quid faciendum ſit, oſtendit. Diſſuaſio eſt oratio deliberatiua, qua auditoribus aliam partem, ac ſuaſione oſtenſum eſt, perſuadere conamur. Orationes deliberatiuæ itidem ut iudicialis, ſex ſunt partes, Exordium, narratio, diuiſio, confirmatio, confutatio, & peroratio, uel concluſio. Nam etſi quatuor partiū orationem putamus, tamen ex diuiſione unius, ſex nobis redduntur. Particulas enim in partibus enumerare propter breuitatem nunc placuit, quod in primo non fecimus, ut rei natura perſpiceretur. Exordium uel principio uel inſinuatione tractatum, his rationibus quibus in iudiciali cauſa inueniri ſolet. Narratio ſi qua incidit, quomodo explicanda ſit, ſatis ex primo intelligi poſſe confido. Diuiſionem quoque breuem & abſolutam, ut in primo dicebamus, facere neceſſe eſt. Verum hoc non in deliberatiuis tantum cauſis, ſed in cæteris quoque obſeruare non inutile uidetur. Finem, quum per totam orationem, tum maxime in diuiſione conſyderandum. Verum in iudiciali quidem finis quis ſit manifeſtiſſimū eſt. Omnes enim æquitatem eſſe, quæ honeſtatis pars eſt, uno ore profitentur. Demonſtratiui quoq; finem honeſtatem eſſe non ita anguſtam, ut in iudiciali, ſed latius uniuerſimq; captam omnes fere contendunt. Deliberatiui generis alij honeſtatem ſolam, alij utilitatem, finem eſſe arbitrati ſunt. Nos quoniam illud unicum Latinæ linguæ ornamentum ac præclariſſimum oratorum decus Marcum Ciceronem, cuius nec nomen quidem ſine eloquentiæ dici poteſt mentione, ubique ſequimur, deliberatiui generis finem tam honeſtatem quàm utilitatem conſtituimus: Vtile uerò hoc & honeſtum, nō ſic ſeorſum ac ſeparatim, ut nomine dicuntur intelligimus: Verum id quod ex honeſto ac utili, intellectu in unum conflatur, finem eſſe deliberationis affirmamus. Oportet ergo ita in omni genere diuidere, ut ex unoquoque diuiſionis membro

Finis deliberationis.

uel ipſe finis,uel quæ finem conſequuntur palàm appareant, uel ex omnibus diuiſionis partibus,quod intendimus, concludatur,ut Cicero de præficiendo Pompeio bellum Mithridaticum & genere neceſſarium,quare non prætermittendum:& magnitudine pertimeſcendum,quare non contemnendum ait, ſed illum uirum tam in periculoſo bello præficiendum, qui procul dubio cunctis Romanis imperatoribus præſtaret,atque his partibus honeſtum & utile ita expreſſum eſt,ut res eadem honeſtas & utilitas alijs nominibus poſita eſſe uideatur. Quare ſemper diuiſio, quo recte fiat, non aliena neque aduerſaria erit fini, ſed ei,ut dictum eſt,accommodabitur,atque inhærebit,cæteraq; habebit omnia, quæ in primo latius explicata ſunt. Confirmatio & confutatio in deliberatiuo genere haud fermè aliter atque in iudiciali cauſa fieri ſolent. Quare inde omnia, quæ huic cauſæ conueniunt, traducenda putamus,quod etſi facile fieri poſſe reor,tamen ne qua retardatio legentium animos impedire poßit,altius fundamenta hac quoque in re iacere non grauabor. Cauſa deliberatiua propoſita quæ conſiſtat,conſtitutio cauſæ quærenda eſt, quæ quoniam deliberatio conſequens tempus ubique ſpectat, negotialis non eſſe non poterit. Eſt enim negotialis conſtitutio rationalis,in qua faciendum'ne ſit aliquid,aut non,quæritur. Quare nunquam mihi quidem uidetur negotialis à deliberatiuo genere abſutura, quæ quidem, ut in ſecundo dictum eſt, finalibus locis maxime tractatur. Fines porro cauſarum paulò antè dicti ſunt,æquitas,honeſtas,utilitas. Nam legem,poßibile,impoßibile, laudabile, euentum,& ſi quæ alia ſunt,quæ in negotiali conſiderantur,ad hos finales reduci locos manifeſtum eſt. Verum quoniam æquum & bonum aliqua iuridiciali abſoluitur,& negotialis ex lege plerunq; naſci demonſtrata eſt,legitimam & iuridicialem in deliberatione-

Deliberatiua quo pacto tractandum.

Status in deliberatiuis.

nem poſſe incidere neceſſe eſt: quod cum ita ſit, nullus amplius dubitare debet, cæteras quoque omnes conſtitutiones in hoc genere inueniri poſſe. Nam ſi iuridicialis, quam præteritum ſpectare tempus in primo diximus, incidit; quanto magis coniectura & diffinitio, quæ non magis ad tranſactum quàm ad conſequens tempus reſpicere uidentur? Translationem uerò huic cauſæ conuenire quis dubitet? Præſertim quum intelligat translationem huiuſmodi eſſe, ut etiam in iudiciali genere non ſine quadam deliberationis ſpecie inueniri poßit? Nam cum quæritur, Ciceroni'ne Verres accuſandus ſit, aut hoc'ne loco, his auditoribus, hoc tempore cauſa agenda ſit, & iudicationes à deliberatione non abhorrent (à tranſacto enim tẽpore recedere, & conſequens occupare uidentur) & multa ex finalibus locis nonnunquã ad eiuſmodi deliberationes probandas improbandas'ue conferuntur. Quas ob res omnes conſtitutiones earumq; partes, deliberatiuum genus ambire neceſſe eſt, quamuis nonnullæ res inueniãtur, quæ nunquã hanc, aut illam conſtitutionem, aut conſtitutionis partem recipiant, quod cum ſimiliter iudicio accidat, non hac re à uera rectaq; opinione moueri debemus. Nam ſicut quum deliberamus an indicere bellum debeamus, iuridicialis abſolute nunquam incidere poteſt. (Nullus enim bellum per ſe ſuſcipiendum diceret) ac cæteræ omnes huiuſmodi cauſas ambiunt, ſic quum cædes hominis nunquam per ſe ſuſcipienda uideatur, niſi aliquid addas, parum in ea abſolutio tibi proderit. Verùm quoniam negotialis ſemper huic generi, cæteræ conſtitutiones & per ſe & incidenter cum negotiali aduenìant, quomodo hoc fiat, aperiendum eſt. Negotialis conſtitutio eiuſmodi naturam ſortita eſt, ut nulla deliberatiua cauſa inueniri poßit, quam ſi paulo amplius proponas, non accurrat ilicò, atque cauſam totam pro ſuo iure complectatur: Verùm ſi

rùm ſi rationis aliquid adijcias,atque inde conſideres,quiſnam ſtatus ſit ille,tibi ſtatus conſurgit,qui etiam quum latius proponebas poſt negotialem acceßit. Quare licebit,ſi ex re tua fieri uidetur,alterutrum facere. Nam aut negotialem cauſam occupabis,reliquosq́; ſtatus tanquam ſecundarios ad illam reduces,aut à principio ratiuncula quadam contracta cauſa,ſtatum,qui ad negotialem accedebat, principalem conſtitues: quo quidem pacto tunc utendum cenſeo, quum nihil aut parum negotialis conductura ſit. Verùm,quoniam hæc præceptio perutilis eſt,exemplis quoque aperiatur, inferendum'ne ſit bellum Mithridati conſideras, quoniam faciendum'ne ſit,conſideras,negotialis eſt. At ſi parua adiectione ita conſideres, quum multos Romanæ urbis ciues uno die, unoq́; nuncio Mithridates interfecerit,ei'ne bellum inferendum ſit, & ſi faciendum'ne aliquid quæratur, tum contracta cauſa eſt,nec tamen à negotiali omnino diſceßit,ſed ei relationem quoq; criminis adiecit. Nam ut ſi animali rationem adijcias,ab animali quidem minime receßiſti,auguſtius autem inſignius'que animal intelligas neceſſe eſt, ſic ſi rationem aliquam negotiali afferas, ad aliud quidem tranſiſſe uideris, negotialem tamen non omiſiſti. Nec nunc id ego dico, ut omnino uelim relationem criminis negotialis ſpeciem eſſe, præſertim quum abſque ea inueniatur relatio,ſed ut oſtendam negotialem deliberatiuum genus non facile prætermittere. Item ſi quis dicat,diruenda eſt Carthago,alterq́; non diruendam contendit,quum diruenda'ne ſit quæratur,negotialis eſt. At ſi dicas diruendam eſſe Carthaginem, ne quid poſthac tale patiamur, opponaturq́; non eſſe diruendam, quoniam nunquam tale quid ab eis pertimeſcendum eſt,& ſi coniecturalem feciſti per quam tota cauſa tractanda eſt,tamen in negotialem huiuſmodi coniecturam radices tendere quis non uiderit?

Nam

Nam qui dicit non eſſe diruendam Carthaginem, quoniam nihil tale pertimeſcendum ſit, is concedere uidetur ex honeſto & utili eam diruendam, ſi pertimeſcẽdum eſſet. Item armáne paranda ſint aduerſus M. Antonium, an non, negotialis eſt, quæ quoniam diffinitione abſoluitur, poteris uel primo è carceribus impetu eam diffinitionem quæ quidem negotialem ſupponat adhibere, hoc modo: Aduerſus M. Ant. qui urbi bellum infert, paranda ſunt arma. Econtrario ſic, non ſunt aduerſus M. Antonium arma paranda, nõ enim bellum, ſed tumultũ cõcitat, hic ſiue tumultuantes etiam hoſtes appelles, ſiue bellũ dices nõ tumultum, diffinire neceſſe eſt. Itẽ delenda eſt Corinthus, ne commoditate loci Græci leues homines inducti deficiãt, ac nobis urbẽ natura ac manu munitam expugnare labor maximus ſit, hic ſi dices delendam nõ eſſe (neq; enim deficient, quum totum orbem parere Romanis uideant, et ſi deficient, non erit ingens labor expugnare) coniecturam facies, ſi ex obſiſtentia addideris, aut puniendos uideri homines, antequã peccent, aut certam afferre ciuitati ruinam, propter quã coniectura aſſequeris defectionem inire non oportere, Iuridicialem abſolutam inuenies: ex quibus clariſſimè patet, deliberatiuum genus omnes conſtitutiones, earumq; partes amplecti, quamuis negotialem ſolam recte, aliás obliquè atque retorte ut iudiciale negotialem. Nam quum primo impetu non erumpant, neque ut in iudiciali fieri ſolet accedant (ei enim, qui accuſatoris uicem gerit, quare quicquam proponat dicendum eſt, quod nunquam iudiciali accidit, unde à defenſore accedere hic conſtitutiones neceſſe eſt: quum quæ iudiciali ſtatui accedunt ab accuſatore ſæpius oriantur, neque ad locum quempiam incidant, ſed totam ambiant quæſtionem, ne negotialem amittant, ut illæ principalem, ſed complectantur &

teneant

teneant, & plerunque ita cum ea confundantur, ut non multi ſtatus, ſed unus ex illa, & his confici uideatur) non rectas nec propriè acceſſorias, nec incidentes, uerùm obliquas ac retortas appellamus: quare quamuis eiſdem nuncupentur nominibus, diuerſæ tamen hæ aliæq; atque iudiciales ſunt omnino putandæ. Nam quæ eandem originem habere non poſſunt, aliumq; finem reſpiciant, quo fit, ut aliter tractentur, ut paulò pòſt latius tangetur, diuerſas eſſe neceſſe eſt. Alioqui tria genera cauſarum nunquam diceremus. Nullus enim non mente captus eaſdem diuerſis generibus ſpecies ſubiectas putauit, niſi forte ſuaſionem ac diſſuaſionem, ut formas generi deliberatiuo ſubijceret, ſed hæc in ipſis formis generum aperte * negantur. Hæc de origine. *uagantur.

De tractatione generis deliberatiui.

Nunc de tractatione pauca dicamus. Quum ergo aut conſtitutiones earumq; partes ſi plures incidant inueneri- mus, omnes quidem locos quibus eas conſtitutiones in ſecundo abſolui demonſtrauimus, diligenter diſcutiemus, ſi quid ab eis, quod adiumento cauſæ ſit, inueniri poterit: Deinde hæc quoque, quæ deliberationis præcepta ſunt propria, quoniam à fine proprio manant, omnia tentabimus, nec ſeparatim ab illis in oratione tractabimus, ſed ſingula ſingulis, aut plura uni ſi accommodatius ita uidebitur poſſe fieri, diſtribuemus, quam rem in hoc genere perutilem, nonnullis clariſſimorum oratorum orationibus declaraſſem, niſi longum eſſet exemplis ſingula complecti, & rem peritis clariſſimam futuram confidamus. Præterea quoniam cæterorũ quoq; induſtriam ad inquirendũ incitandam putauimus, non inutile duximus breuius res ſingulas tangere, ut breuitate cõmoti inueſtigare cætera conentur. Nã qui omnia dicit, quũ nihil quod dubitet lectori afferat, is facit ne quid præter ea quærendum uideatur. Sed ne longius diuertar, quum prius conſtitutionẽ delibera

liberationis inueneris, omniaq́; quæ præceptis eius cõſtitutionis ex re tua dici poßint conſideraueris, tum demum ea quæ à fine deliberatiui generis manant, ſic tuæ cauſæ adaptato, ut minime ab his quæ de conſtitutionibus manant, ſeiungi uideantur, ſed in unum concurrant, unumq́; corpus orationis conficiant. Nam ut ſtatus ſtatum præſupponunt, neque ab eo ſeparantur, ita & loci locos, qua in re naturam conſtitutionum ſequi neceſſe eſt. Nam ut coniunctiores uel remotiores à negotiali ſunt, ita & locos cõiungi aut ſeparari uidemus. Quare aliter negotialem in iuridiciali abſoluta, à qua utilitatis ſolum conſideratione diſtare uidetur, aliter in alijs tractabis: quibus ex rebus patet eos recte deliberatiuum genus tractare non poſſe, qui negotialem contempſerunt, aut eius naturam non intellexerunt, quos eò magis errare putamus, neque ſentire quid agant, quod neq; ab ea recedunt cum de deliberatiuo genere loquuntur, & generis putant locos à formis ſeiunctos inueniri, quum nihil in genere ſit, quod in ſpeciem non defluat. Verum quoniam quomodo conſtitutiones in deliberatiuo inueniri docuimus, deliberationis quoque ſtatum proprium in iudicium torqueri doceamus, nec ab oratore ſummo recedamus, L. Flaccus quum in Aſia prætor eſſet ut uicina maria à prædonibus tuta redderet, communi ciuitatum impenſa claſſem conſtituit. Accuſatur deinde quum opus non eſſet claſſem conſtituiſſe: hic quoniam deliberatio eius reprehenditur tanquam inutilis, ac fruſtra ſuſcepta, his locis dicere cauſam oportet, quibus animum ad conficiendam claſſem induxit. Quare negotialis in iudicio eſt, cui aliquid accedere à iudicij fine non incongruum eſt, ut quum natura hanc ab illa differre neceſſe ſit, tractatione quoque differat, ſed de his hactenus. Nunc ad ea tranſeamus, quæ quum ex ipſo fine deliberationis defluant, à conſtitutionibus tamen non ſeparan

paran

parantur. Sed quamuis loco conſtitutionum adnitantur, tamen quoniam ex proprio fine deliberationis profluunt, præcipi ſeparatim ſolent. Finis igitur deliberatiui generis ut antè diximus, Honeſtas eſt, quam ita intelligimus, ut utilitati coniuncta ſit: quum enim ex honeſto & utili finis emanet, placuit honeſtatis uocabulo potius quàm utilitatis eum nominare. Nam honeſta multa per ſe, etiam quum inutilia uideantur, ſuſcipi uidemus, ut Stoicos multos, Academicos ac Cynicos audiuimus, acquirendæ diſciplinæ, ac adipiſcendæ uirtutis gratia, non modo collatam ſibi ab alijs pecuniam contempſiſſe, ſed etiam ſuam eieciſſe. At contra, nemo unquam, qui quidem boni exiſtimationem uiri habuerit, utilitatem turpem conſectatus eſt. His ita dictis, rerum expetendarum tria genera eſſe uidentur, uitandarumq́; ex oppoſito tria. Nam quædam dignitate ſua nullo emolumento capientia, ui propria nos ad ſeſe alliciunt, quæ purè honeſta nominamus, ut uirtus, ſcientia, ueritas. Quædam non ſua ui aut natura, ſed quum turpitudinem non afferant, propter fructum atque utilitatem expetuntur, ut pecunia, hæc utilia communiter appellantur. Quædam & ſua ui nos ducunt & utilitatis ſpecie capiunt, ut amicitia: id uerò quod utile quidem, ſed inhoneſtum, ac palàm turpe, tanquam inconſiſtens, quadruplatoribus, & ſicarijs, de quo deliberent, relinquatur. Primam igitur rerum expetendarum partem in Rectum aut Laudabile diuidimus. Rectum eſt quod cum uirtute & officio ſit. Id diuiditur in Virtutem & Officium.

Honeſti. *Expetendorum tria genera.* *Honeſti partitio.* *Rectum, et eius partes.*

Virtus eſt animi habitus rationi conſentaneus: quæ quadripartitò diuiſa eſt, in prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia eſt rerum multarum memoria, & uſus quamplurium negotiorum: quo quidem ex uſu & memoria rerum multarum calliditas quædam conſlatur, quæ ratione

Virtus. *Prudentia.*

t tione

tione quadam poteſt habere delectum bonorum & malorum. Partes prudentiæ ſunt memoria, intelligentia, prouidentia.

Memoria. Memoria eſt per quam animus præterita repetit. Intelligentia. Intelligentia eſt, per quam ea quæ ſunt perſpicimus. Prouidentia. Prouidentia eſt, per quam futurum aliquid uidetur, antequam fiat. Hæc quum maxima pars prudentiæ ſit, multarum rerum memoria & uſu, tum uel maxime ſingularum circunſtantiarum acri examinatione conficitur. Qua in re ſi quis non parum profecerit, intelliget ſe multum & in prouidendo & in dicendo conſecutum eſſe. Iuſtitia. Iuſtitia eſt æquitas ius unicuique tribuens pro dignitate cuiuſque: hanc tripartitò partimur, ut quoddam natura ius eſſe intelligamus, quoddam conſuetudine, quoddam lege. Nam iuſtitiæ initium à natura profectum, conſuetudine poſtea & legibus ſancitum eſt: quæ & ſi ſatis in ſecundo qualia ſint, patuerunt, tamen etiam hic inſerenda uidentur. Natura ius eſt, quod nobis non opinio, ſed quædam innata uis inſeruit. Eius partes ſex ſunt, religio, pietas, gratia, uindicatio, obſeruantia, ueritas. Religio eſt uis inſita, quæ deorum metu, & ceremonijs hominem ducit. Pietas eſt in patriam, aut in parentes, aut in alios ſanguine iunctos officium. Gratia eſt officiorum, honorum, & amicitiarum memoria & remuneratio. Vindicatio eſt quæ uim & contumeliam defendendo aut ulciſcendo propulſat, & per quam peccata punimus. Obſeruantia eſt, per quam ætate & ſapientia, uel aliqua dignitate antecedentes ueneramur. Veritas eſt, quæ nos mouet ut rem ſicuti eſt, & ſicuti ſcimus, dicamus. Conſuetudine ius eſt, quod ſine lege propter uetuſtatem æquè ac ſi legitimum ſit, uſitatum eſt, ut pactum, par, iudicatum. Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit. Par eſt quod inter aliquos communes æquabile eſt. Iudicatum eſt, de quo aliquorum aut alicuius iam ſententia, conſtitutum eſt. Lege ius eſt, quod

aut populi, aut Imperatoris iuſſu ſancitum eſt. Fortitudo eſt rerum magnarum appetitio, & rerum humilium contemptio, & laboris cum utilitatis ratione perpeßio: eius partes ſunt quatuor, magnificentia, fidentia, patientia, perſeuerantia. Magnificentia eſt rerum magnarum cum ampla animi cogitatione adminiſtratio. Fidentia eſt per quam animus in magnis & honeſtis rebus multum in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocauit. Patientia eſt rerum arduarum, ac difficilium honeſtatis ac utilitatis cauſa, uoluntaria & diuturna perpeßio. Perſeuerantia eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis & perpetua permanſio. Temperantia eſt rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus, animi firma ac moderata dominatio: partes eius ſunt continentia, clementia, modeſtia. Continentia eſt, per quam cupiditas conſilij gubernatione regitur. Clementia eſt per quam animi temere in odium concitati, comitate retinentur. Modeſtia eſt per quam pudor honeſtus claram & ſtabilem comparat auctoritatem. Hæc quidem ſunt ferè, quæ per ſe expetuntur, de quibus multò latius ac ſubtilius philoſophi diſputare ſolent. Quare ſi quis hæc acutius atque perfectius comprehendere uelit, adhibebit ad legendos philoſophorum eos libros, qui de officio & uirtute ſcripti ſunt, & tempus & diligentiam. Nos hic iſta tetigimus, quoniam aliter ne intelligendi quidem huius deliberatiui generis poteſtas datur. Nam & ſi iudicijs etiam non parum harum rerum cognitio conducere uideatur, tamen deliberationi atque demonſtrationi ſic propria eſt, ut ſine his rebus, nec deliberatio, nec demonſtratio quidem dici poſſe uideatur. Ex his autem quæ de uirtute dicta ſunt, officium illud oriri uidetur, quod quum ipſius uirtutis ad unumquenq; hominum accommodatio uideatur, à uirtute quidem nunquam ſeiungi queat, neceſſe

Fortitudo.

Temperantia.

Officium à uirtute non ſeparatur.

eſt. Ita enim cum ipſa uirtute ſe habet, ut neque uirtus unquam ſine officio, neque officium ſine uirtute inueniatur: quæ quum ita ſint, tamen uirtus omnium, officium non omnium eſt. Nam ea uirtus & decorum, quod communius conſideratur, ſi unicuique ſecundum ætatem, ſcientiam, dignitatemq́; ſuam accommodes, officium appellatur. Quare patet officium eſſe ex ætate, ſcientia & dignitate uniuſcuiuſque, circunſtantijsq́; cæteris ſecundum uirtutem congruam ac conuenientem actionem. Hæc officia etſi oratoris conſiderationi ſubiecta ſint, tamen quantum ad rem pertinent, quoniam & deliberatiuo & demonſtratiuo generi multum afferunt, ſufficit paucis, qualia ſint, breuiter ante oculos ponere. Nullus ergo dubitat alia uirorum, alia mulierum eſſe officia. Virorum enim regere, & ratione cuncta diſponere: Mulierem uiris ſubijci, & eos ſubſequi, nec omnia uelle ſcire quæ gubernationi uirorum ſubiecta ſunt. Nam aliter in matris Papyrij prætextati fabulam ſæpius inciderimus. Fœminarum autem, alia quidem uirginum & puellarum, alia matronarum officia ſunt. Harum uiros diligere ac obſeruare, liberos ſi qui ſunt, libere educare. Virginum, parenti non contradicere, nec ſermone uti nimis amplo, ſed modeſto & parco. Nam procax quidem ſermo, & loquacitas, quamuis neminem deceat, tamen non tam in uiris quàm in mulieribus, nec tam in matronis, quàm in uirginibus turpis eſt. In uiris rurſus, alia puerorum, alia iuuenum, alia ſenum officia ſunt. Nam ſeni conſilium, & cura iuuenum plerunque traditur. Iuuenes laborem perpeti, maioribus obſequi, laude accendi uehementer decet. Deinde Imperator quidem clementiam, prouidentiam, magnanimitatem in omnibus conſeruabit. Miles autem non erit quidem earum uirtutum expers, ſed maxime obſeruabit magnam quandam

Officiorum cōſideratio.

in expl

in explendis imperijs uoluntatem. Iam quoniam de officijs dignitatum loquimur, quis non uidet aliud eſſe quod ad ſenatorem, aliud quod ad tribunum plebis, aliud quod ad conſulem, aliud quod ad prætorem pertineat? aliud legati, aliud tribuni militum, aliud magiſtri equitum, aliud Imperatoris exercitus, & eius proconſulis, aut conſulis, aut dictatoris officium eſſe, quis non intelligit? Sed eorum omnium aliqua legibus, aliqua conſuetudine, aliqua æquo & bono confirmantur. Sunt item alia, quæ parentum ad liberos ſunt, aut liberorum ad parentes. Item ad ciues, aduenas, peregrinos, & eos pauperes, calamitoſos, inopes: aut contrà diuites, potentes, felices. Item cum poteſtate, aut ſine poteſtate, quæ omnia ſi quemadmodum dicuntur, ita ſimpliciter & fieri deberent, non eſſet paruæ cognitionis uidere in unaquaq; re quid conueniat: nunc autem quum adeò inter ſe permittentur, ut nunquàm fermè ſtabilia ſint, ſed loco, tempore, horum, aut illorum præſentia in uario nimis, atque uario ſtatu inueniantur, difficillimum omnino omnium iudico, & quid deceat inuenire, & quum inueneris, actione non incommoda exequi. Maximè uero tum quid faciendum ſit, difficile uidetur, quum ita accidit, ut opponi quædam inter ſeſe uideantur, ut ſi filius magiſtratus populi ſit. Dubitatum enim diu eſt à multis, quodnam officium patris ad filium, aut filij ad patrem id temporis ſit, quorum multi non dubitant, quoniam filius magiſtratus populi ſit, & deambulandi, & ſedendi, & ſalutandi rationem commutatam aſſerere. Nonnulli tamen ſolum id fieri oportere aſſeuerant, quum aliquid quod ad publicam actionem, adminiſtrationemq; pertineat, agitur: domi autem & in his quæ ad priuata pertinent, patrem præponunt. Nos quoniam huius rei mentionem fecimus, accidere poſſe contendimus, ut nunc primum, nunc poſtremum, nunc neutrum recte fieri

poſſit. Nam & magiſtratus dignitas nonnunquam tanta eſt, ut non ſolum foris, ſed etiam domi dictatorem, aut conſulem populi Ro. recte patri propoſueris, & pater ſi ſummæ autoritatis tum ætate, tum honoribus, tum ſapientia fuerit, à minore magiſtratu filio anteponetur, ac noſtra quidem ſententia ſuper ea re talis eſt. Horum ergo magnam habere officiorum cognitionem, & quid conſuetudine ualeat, quid etiam lege ſancitum ſit, in deliberationibus ſcire neceſſe eſt. Nonnunquam enim in deliberando quæritur, quod & in alijs fieri poteſt generibus, quorum poteſtas de re propoſita deliberandi ſit, aut qui modus, quod tempus, quis locus, quæ cauſa huius deliberationis eſſe ſoleat, quæ omnia ex medio officiorum oriri fonte, qui circunſtantijs implicitus eſt, præclariſſimum eſt. In deliberationibus autem non ea ſolum, quæ propter ſe expetuntur, ſed ea etiam, quæ propter ſe uitanda fugiendaque ſunt, plurimum poſſe neceſſe eſt. Nam quemadmodum his quæ expetuntur hortari conſueuimus, ita his rebus, quas propter ſe fugiendas arbitramur, potiſſimum diſſuadere non dubitamus. Fugienda igitur propter ſe dicimus tam ea, quæ & uirtuti & officio uidentur oppoſita, quàm ea quæ quum finitima ferè ac propinqua uideantur, abſunt inde tamen longiſſime, in quibus etiam maior fieri error plerunque ſolet, multiq; uirtutis imagine capti feruntur in uitia penitus, quum credant nequaquam recedere ab officio. Nam uirtuti quidem oppoſita manifeſta ſunt, ut ignauia fortitudini, iniuſtitia iuſtitiæ, intemperantia modeſtiæ, ſtultitia prudentiæ, & per alias honeſti partes oppoſitum inuenire, non difficile eſt. Quæ autem etſi finitima uidentur, tamen procul abſunt, eaq; re inter uitia rectiſſime numerantur, ut exemplo oſtendemus, huius generis ſunt. Confidentiæ contrarium eſt diffidentia, audacia

dacia non contrarium, ſed oppoſitum ac propinquum, ac tamen uitium eſt. Similiter perſeuerantiæ, quæ uirtus eſt, pertinacia finitima eſt, religioni ſuperſtitio, & cæteris ſemper uirtutibus, quæ finitima uidentur, uitia fugienda ſunt, quæ nonnunquam nec certo quidem nomine appellantur. Officijs autem propinqua putamus uitia, quæcunque aliqua circunſtantia non recte facta uidentur, ut ſi poteſtatem alicuius rei cuidam homini eſſe concederemus, eo autem modo, aut tempore, aut loco, aut cauſa non debuiſſe facere contendimus. Quare quum aliquid huius accidit, ut uel officio rem fieri abſolute negemus, uel alicuius poteſtati ſubiectam non eſſe, inficiatione: quum ex aliqua circunſtantia infirmamus, obſiſtentia utendum arbitramur. Verum quoniam res expetendas tripartito diuidimus, honeſtum ſcilicet, utile & coniunctum, honeſtum'que in rectum & laudabile, ac de recto quantum ad rem pertinet, ſatis dictum eſt, conſequens eſt ut de laudabili breuiter diſſeramus. Laudabile eſt quod conficit honeſtam, & præſentem & conſequentem commemorationem, id ex officio & uirtute naſcitur. Quare ab officio & uirtute re quidem non ſeparatur, in dicendo autem idcirco ſeparari ſolet, quoniam non ſolum uirtus hominibus, uerumetiam laus per ſe expetitur, qua ratione nonnunquam recto prætermiſſo à ſola laudis petitione cohortamur, quum oſtendamus quam famam, quam gloriam conſecuturi ſumus. Item quam infamiam fugiemus, quam ignominiam euitabimus, ſi hoc fecerimus: quod ita eſſe, aut partibus honeſti comprobabitur, quum ab omnibus laudari uirtutem dicemus: aut moribus, aut conſuetudine omnium, aut ſapientioribus hominibus, & his maxime, qui harum rerum peritiſsimi habentur, aut ciuibus noſtris, ſocijsq; laudabile uiſum iri oſtendemus, quæ Laudabile.

omnia non tenui, ſed graui & ampla oratione proſequemur. Sed de honeſto ſatis dictum eſt, nunc de utili breuiter dicamus, quod partim bonorum præſentium conſeruatione, ac abſentum comparatione, partim incommodorum inſtantium propulſatione ac futurorum inhibitione diffinimus: hanc utilitatem quæ in ciuilibus quæritur cauſis totam corpori attribuimus. Nam res fortunæ omnes ad commodum ferè corporis expetimus: Ac ciuitatis quidem quaſi corpus ea conficere arbitramur, ſine quibus nec ciuitas quidem eſt, ut agri, portus, pecunia, claßis, nautæ, milites, ſocij, quæ quamuis ita ſe habeant ut nonnulla etiam horum ad conſeruandam ciuitatem neceſſaria non uideantur, tamen quoniam nullum eſt, quod aut huic aut illi ciuitati neceſſarium non ſit, idcirco corpus ciuitatis conſtituere huiuſmodi omnia dicenda ſunt. Nam mediterranea quidem tanquàm extraneas res quaſdam, quibus non neceſſario conſtituatur, ſed amplificetur ac exornetur, ſolum claſſe, & nautis neceſſe eſt. Venetia. *Venetiarum autem preclarißima noſtris temporibus ciuitas, nautis, claſſe, portu non minus conſtituitur, quàm pecunia, militibus, ſocijsq; corroboretur. Hæc ideo diximus, quoniam perutile, immo neceſſarium oratori putamus, ſi recte conſulere patriæ ſtudet, ut diligēter conſideret, quibus ciuitatis corpus tanquam ad uiuendum neceſſarijs membris contineatur, quibus coadiuuetur, quibus exornetur. Plurimum enim intereſt ad dicendum, ad corpus'ne ciuitatis pertinere oſtendas rem qua de agitur, an ad amplitudinem & dignitatem ſolum. Ac primum quum ad ſalutem, neceſſarium: ſecundum quum ad ornatum pertineat, uſus appelletur. His ita conſideratis ſi quis agros, portus, pecunias, & quæ huiuſmodi, quàm ampla dicit conficienda, is quoniam potentiorem ciuitatem confici cenſeat, amplitudinem ſimul cum incolumitate ciuitatis conſeruandam dicit.*

Quare

Quare utilitatis partes duas eſſe cenſemus, Incolumitatem & Potentiam. Incolumitas eſt ſalutis tuta & integra conſeruatio: huius partes ſunt, custodia regionis, mœnia, portus, claſſes, nautæ, milites, ſocij, arma, equi, imperatores clari, pecunia, & quæ ea conſequuntur, ut eſt earum rerum, quæ efferuntur & inferuntur diligens obſeruatio, redituum amplificatio, impenſarum diminutio, & quæ huiuſmodi, dum hæc omnia neceſſariò ad conſtituendam, & conſeruandam ciuitatem requirantur. Potentia eſt non ad ſua conſeruanda ſolum, ſed ea etiam, quæ aliorum ſunt obtinenda, idonea rerum facultas. Potentiæ partes ſunt hæ, quas & incolumitatis diximus, dum illis amplum quoddam & excellens ac minus neceſſarium eſſe additum intelligatur, ut per ea non ſolum ad defendendam iniuriam, uerumetiam ad inferendam ciuitas multum ualeat. Sed de utilitate nunc ſatis. Quare coniunctum tum ex utilitate, tum ex honeſto conſideremus. Huius coniuncti partes ponimus dignitatem, amplitudinem, amicitiam, bellum, pacem, legislationem. Dignitas eſt alicuius honeſta, cultu, honore, & uerecundia, digna autoritas.

Vtilitatis partes. *Incolumitas.* *Potentia.* *Vtilis & honeſti coniunctorũ partes.* *Dignitas.*

Amplitudo eſt potentia aut maieſtatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia. Amicitia eſt mutua beneuolentia, quæ conſenſu, ac pari uoluntate conficitur. Bellum eſt aut ad expellendum præſentem, uel futurum metum, aut ad amplificandum imperium, ciuitatum contentio. Pax eſt cœpti belli fœdere depoſitio. Legislatio eſt alicuius rei ex ſententia totius populi diſpoſitio. Ad hanc lationem legis tanquam membra tam abrogationem, quàm correctionem ac expoſitionem legum adijcimus. Abrogatio legis eſt, quum dicimus non eſſe ſeruandam legem, quoniam inutilis, aut inhoneſta, aut utrunque. Correctio legis, eſt alicuius rei in lege additio uel diminutio. Expoſitio eſt obſcuræ legis

Amplitudo. *Amicitia.* *Bellum.* *Pax.* *Legislatio.* *Abrogatio.* *Correctio.* *Expoſitio.*

interpretatio. At loci quidem, quibus omnis ſuaſio aut diſſuaſio fieri ſoleat, ferè omnes expoſiti ſunt. De his enim & ex his, ac eorum contrarijs omnis deliberatio fit. Hæc igitur omnia, ut diximus, negotialis conſtitutionis locis accommodanda ſunt, & quum utilia & honeſta, tum neceſſaria & facilia demonſtranda ſunt. Neceſſariò fieri dicimus quæcunque aut natura ſui, aut caſu fieri neceſſe eſt. Nam oriri ſolem atque occidere, mori hominem, uri flamma, natura ſui neceſſaria ſunt. Vrbem quampiam in hoſtium peruenire poteſtatem ſimpliciter neceſſe non eſt, ſed caſu. Nam ſi ita accidit, ut undique hoſtium copijs circundanda ſit, neque auxilium aliunde poßit expectare, neque ciues rerum abundantia, præterea uel manu, uel natura loci muniti ſint, nec quid ſit, quod hoſtes inde amouere poßit, urbem in hoſtium poteſtatem uenire neceſſe eſt: Ciues autem ab huiuſmodi ſeruitute liberari adhuc aut fuga, aut morte, aut deditione honeſta & liberis digna, Poßibile eſt. Facile eſt, quod nullo aut ſine magno labore, ſumptu, moleſtia, quàm breuißimo tempore confici poteſt. Laborem uerò, ſumptum, moleſtiam, longinquitatemq́; temporis, non ſimpliciter, ſed comparatione rei, qua de agitur, conſiderare putamus. Nam qui nullus aut paruus labor uideri debet, ſi rei præclaræ gratia ſuſcipitur, is maximus iure exiſtimabitur, & ſi parua quadam de re ſubeundus diceretur. Sed facilitati ac neceßitudini Difficile ac Impoßibile oppoſita ſunt. Difficile igitur eſt, quod ſine magno labore, ſumptu, moleſtia, longinquitateq́; temporis confici non poteſt. Impoßibile ſimiliter ac quod neceſſe eſt, aut natura ſui fieri non poteſt, ut quieſcere cœlum, moueri ſurſum lapides, deferri ignem: aut caſu, ſi, quum alicui quæ ſuperius enumerauimus urbi acciderent

Neceſſaria.

Poßibile.

Facile.

Lab. r.

Difficile.

Impoßibile.

rent, impoßibile diceres ciuitatem euadere. Hæc igitur quatuor, quæ tam honeſtati quàm utilitati adiuncta dicimus, ſiue horteris, ſiue dehorteris, diligenter conſideranda ſunt, & ea quidem, quæ natura ſui aut fieri non poſſunt, aut neceſſariò fiunt, quum in dicendi rationem incidunt, nihil erit quod multa dicamus. Nulla enim ratione huiuſmodi naturam lenire poſſumus. At in alijs ſi hortamur, impoßibile non huiuſmodi ſed difficile, difficile facile eſſe oſtendemus, ut in ſuperiore exemplo, ſi permanere ac defendere urbem cenſemus, multa inueniemus, aut à conditione loci, aut ab inſcitia hoſtium, aut à calliditate & conſilio noſtro, quibus rem fieri poſſe, quamuis difficile confirmabimus: deinde quum iam animos auditorum eo quòd poßint euadere exuſcitauerimus, quod difficile dicebamus, facile appellabimus. Idque uel ex re ipſa, quòd cito, quòd ſine magna moleſtia & labore, ſi hoc aut hoc faciemus, uel ex comparatione comprobabimus nullos labores, nullam moleſtiam, nihil eſſe tam arduum, tam difficile, tam periculoſum, quod pro libertate iucundum uideri non debeat. Econtra uerò ſi dehortabimur, facile difficile, difficile impoßibile appellabimus. Quod, niſi omnes partes bene & diligenter occupabimus, ac poſtremò ſic eas colligemus, ut uel uno ſpiritu oculis auditorum ſubijciantur, nunquam commode conſequemur. Quare quemadmodum ei qui hortatur unum aliquid ſufficit, quo rem & fieri poſſe & facile fieri poſſe cõfirmet, ita ei qui dehortatur nihil per ſe ſolum ſufficit, ut aut impoßibilem aut rem neceſſariam confirmet, niſi ſimpliciter res huiuſmodi eſſet. Vnde patet, quòd qui caſu neceſſariam aut impoßibilem rem dicit, niſi aſſeueranter omnia conglutinet, ac ſub uno aſpectu demum omnia colligat, nihil faciet: qui contradicit ei,

ſuffic

*ſufficit ut aut loco, aut tempore, aut perſona quadam, conſilio, cautione, mendacio, pollicitatione, pactione aliqua, rem facilem poßibilemq; oſtendat. Præterea ſcire oportet non ex ipſa re ſolum, ſed etiam ex adiunctione plerunque huiuſmodi neceßitudines conſiderari ſolere: quod cum accidit, aut in adiunctionem tota cauſa transfertur, aut ex utraque parte, ſi res quoque orationem patitur, quum exhortationes, tum dehortationes conquirendæ ſunt. Verum in exemplo propoſito ſatis iam * præceptum eſt, quomodo ex ipſa re ſuademus, aut diſſuademus. Ex Adiunctione autem hoc pacto, Neceſſe eſt ut deditione hoſtibus te tradas, niſi fame malis perire. Nam cum rem ipſam ſi fieri poteſt labefactaueris, quòd non neceſſe ſit ut te tradas (Poteris enim te fortiter manu defendere, aut conſilio ſuperare hoſtem, & ſi quid huius dici poteſt) ad ipſam adiunctionem uenies, quam ſi fieri poteſt, primo negabis, uel quòd parcius diſtributa frumenta diutius poßint ſufficere, uel quòd alia etiam inuehi poſſunt: deinde honeſtius eſſe dices, uel ſi certum ex fame conſtaret exitium, in libertate fortiter mori, quàm in ſeruitute ignauiter ſimul & miſerabiliter uiuere. Verum quoniam honeſtum & utile deliberatiui generis finem diximus utilitatisq; partes duas eſſe putaui, unam quæ incolumitas, alteram quæ cum ad uim atque opes ſpectet, uſum nominamus, conſiderandum eſt cuinam iſtorum adhæreat adiunctum, honeſtati'ne, ut ſi diceres, neceſſe eſt hoc faciamus, ſi honeſtè uolumus uiuere: an incolumitati, hoc modo, neceſſe eſt ſi incolumes eſſe uolumus, arma præparemus: an uſui & commoditati, hoc pacto, neceſſe eſt, ſi ſine incommodo uolumus uiuere, ea exportare, quibus abũdamus: ea inuehere, quibus egemus. Omnibus igitur adiunctio inhærere nequaquam neganda eſt.*

*perceptum

Adiunctio.

eſt. Verum honeſtas ſine qua nec uiuere quidem homo dicendus eſt, ſummam neceßitudinis obtinet. Incolumitas poſt honeſtatem maxime neceſſaria eſt, uſus & commoditas tertium locum neceßitudinis, ac leuißimum ſubſortita eſt. Hæc quum inter ſe comparanda ſint, commoditatem nunquam incolumitati, aut honeſtati, apertè anteponendã eſſe dicemus: quod ſi cauſa hoc poſtulat, cõmoditatẽ ac uſum incolumitatẽ appellabimus, idq́; ita eſſe rationibus, quod ſine huiuſmodi cõmodo incolumitas, aut difficile, aut nullo modo conſeruari poßit, comprobabimus: deinde incolumitatem comparabimus honeſtati. Neque enim ita clare contendemus incolumitatem & tutelam uitæ honeſtati præferendam. (Nullus enim id æquo accipiet animo) ſed quòd nihil honeſtum ſit, quod ſalutem non pariat: uirtutibus uti non poſſe, qui ſuas rationes in tuto non collocarit: ipſos etiam deos infeſtos his eſſe, qui ſibi pericula, necemq́; inconſultò aſciſcunt. Quare incolumitatem præponendam; quia nunquam ſine honeſtate ſit: honeſtatem ſine incolumitate, nomine ſolum, re nihil eſſe, hoc pacto comparationem faciet, qui tutam rationem honeſtæ rei proponet: qui contrariam partem defendit, primo ſi ex re dici poteſt non eſſe honeſtum huiuſmodi, ut non ſeparetur ab incolumitate, breuiter ratione, autoritate, exemplo demonſtrabit: uel ſi hoc melius uiderentur auditores ſuſcepturi, eum tutè uiuere, qui honeſte uiuit, aſſeuerabit, non qui in præſentia incolumis ſit: & eum qui turpiter uiuit, incolumem eſſe non poſſe, & his in periculis uerſari, ut uel ſeipſum ac umbram ſuam pertimeſcat. Quare non honeſtatem incolumitati, ſed incolumitatem honeſtati coniunctam eſſe dicet. Vnde ſine honeſtate incolumitatem nomine ſolum eſſe, deinde uel dolorem ſi is timeatur, uel mortem ſi ea formidetur, dedecore & infamia leuiorem eſſe, conſiderare quæ ſit turpitudo conſecutura: At

non

non immortalitatem, neque æternam incolumitatem conſequi, nec eſſe exploratum illo uitato periculo, nullum in aliud periculum uenturos, uirtute uel ultro ad mortem proficiſci eſſe præclarum, fortitudini fortunam quoque adiumento eſſe ſolere. Sed comparatio quidem incolumitatis cum honeſtate hoc ferè modo fieri poteſt. Sæpe autem & ipſum honeſtum inter ſe, & utile nonnunquam ſibiipſi comparandum eſt, quod fit ſi ambæ partes deliberationis, aut honeſtæ aut utiles uidentur. His ergo in cauſis primo dabimus operam, ne huiuſmodi res eſſe credatur, ut utraque deliberationis pars honeſta aut utilis, ſed hæc honeſta, illa turpis: hæc utilis, illa inutilis uideatur: primum ex iuridiciali abſoluta oſtendemus, quòd hoc natura, lege, conſuetudine, iure communi, pacto, iudicatiſq; innitatur: illud è contra alterum coniecturis aſſequemur, quare natura rei, loco, tempore, perſona, cauſa, hoc utile, illud inutile, per contentionem oſtendere poterimus. Deinde ſi ex cauſa fieri uidetur, per obſiſtentiam utrunque utile aut honeſtum confitebimur, & hoc tamen honeſtius aut utilius eſſe contendemus: Idq; eiſdem de cauſis, & ex iiſdem locis comprobabimus. Præterea in comparatione utilitatis, quum locorum, temporum, perſonarumq; contentio fit, ut quum, bellum'ne, an pax ex ratione noſtra fieri poſſit conſideramus, non circunſtantias ſolum conferendas arbitramur, uerum etiam cætera, quæ aut circunſtantijs attribuuntur, aut eas conſequuntur. Non enim ſolum cui locus commodior, cui tempus aptius, quis meliore cauſa nititur conſiderandum eſt, ſed militum etiam numerus, uoluntas, induſtria, exercitatio, audacia, obedientia, fides imperatorum. Præter hæc ferè omnia, ſcientia, fortuna, uirtus, autoritas, utriuſque ciuitatis pecuniæ, arma, equi, naues, nautæ nautarum'que peritia, & patientia, ſimiliter quænam gens

audacior

audacior, bellicoſior, maioris animi, adeò ut etiam uicta, non ſe uictam reputet: at altera ignaua, timida, quæ uerbis ſolum ſe efferat, & in aduerſis rebus omnino concidat, in ſecundis tumore corrumpatur. Ita rebus corporis cum externis facta contentione, per demonſtrationem quid utile, aut quid utilius facile uidebimus: quæ omnia ita dicemus, ut ſimul quoque, quid nobis factu facile, quid illis difficile aut difficilius, quid neceſſarium, impoßibileq́; ſit, ſi opus erit, appareat. Eiſdem enim rebus corporis cum externis, hæc quoq; ea comprobantur amplius: id quoque breuiter hic commonendum puto, laudem utilitatemq́;, ac eorum oppoſita quadripartitò, ut in ſecundo diximus, ſpectare oportere, hoc pacto, Si hoc facimus, & ſi qua præſens eſt infamia, diluetur, & quæ in poſterum conſequeretur euitabitur aut lenietur, aut quam habemus laudem conſeruabimus, & maiorem acquiremus: Item ex parte commodi ac incommodi: ſi hoc facimus, aut non facimus, & præſentia commoda continebimus, & adipiſcemur maiora, & ſi quid incommodi eſt abijcietur, aut diminuetur, & quod incommodi futurum erat, non aderit aut minus aderit. Sed iam nihil eſſe puto, quod ad deliberationē pertineat, cuius fontes & radices non aperuimus, quorum omniū illud maxime in omni deliberatione memoria tenendum, ut maior orationis uis eò cōflectatur, quod magis obſtat, ut uerbi gratia, ſi bellum agendum dicis, cum quibus ad bellum opus eſt acriter conſideraueris, quòd armis, militibus, claſſe, Imperatoribus, nautis, ſi quid horum facile haberi poſſe non uideatur, quomodo comparari queat, enodabis, & quoniam hæc pecunijs apparantur, earum quoque copiam, unde acquiretur, niſi in promptu ſit, declarabis, idque ordine faciendum ſi qua de facultate pecuniarum dubitatio ſubeſſe uideatur. Quare reſolutionis atque compoſitionis ferè modo cuncta

Vtilitatē eiuſq; oppoſitū quadripartito ſpectari.

nobis

nobis utrinque excogitabuntur, & ex comparatione, ſi opus eſt, noſtra efferentur, hoſtium deprimentur, aut ſi re aliqua hoſtes antecellunt, uel pluribus uel potioribus nos ſuperiores oſtendemus. Verum hæc de deliberatione ſufficiant, de qua longiorem ſermonem contexuimus, quoniam nullus ſatis doctrinam hanc explicaſſe, aut Græcè, aut Latinè nobis uiſus eſt. Nam omnes quos ego legi, uix de hoc genere principium præcipiendi fecerunt, & finem ſtatim attulerunt, ſiue quòd rem difficilem rati ſunt, ſiue quòd uſu rerum potius quàm præceptis confici putauerunt. Nos non ab re feciſſe arbitror, quòd quantum oratoris intereſt, explicare conati ſumus. Nunc de demonſtratiuo dicemus, ſi prius id cõmonuerimis, cætera in deliberationibus, ſimiliter ac in iudiciali genere fieri ſolere. Argumentationis enim modi, propoſitiones, rationes, confirmationes, ſolutiones, eodem modo etiam hic fieri debere nullus dubitat: perorationes ſimiliter, aut per enumerationem, aut per conqueſtionem, aut per amplificationem conficiuntur. Nam & utilitas, uirtus, laus, amplificanda nonnũquam, cum horum gratia aliquid faciendum, exhortamur: & calamitas, & miſeria præterita, inſtans, conſequens, ante oculos per commiſerationem ponenda eſt, quum erumpere ab ijs malis, ad quicquam boni ſuſcipiendum cohortamur.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

Demonſtratiuum eſt, quod attribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem, uel uituperationem cum amplificatione. Eius partes ſunt Laus & Vituperatio. Laus. *Laus eſt oratio amplificatiua rerum bonarum, quas certæ ineſſe perſonæ dicimus.* Vituperatio. *Vituperatio eſt oratio amplificatiua rerum malarum*

rum quas certæ ineſſe perſonæ dicimus. Verum etſi certarum perſonarum laudem & uituperationem eſſe affirmo, non tamen ignoro has demonſtratiui generis partes non ſolum perſonis, ſed rebus, temporibus, locis, plantis, animantibus etiam nonnunquàm attribui. Nam ut ſingulos ſæpe homines, gentéſque uniuerſas demonſtratione amplectimur, ſic uirtutum aliquam, uer, aut æſtatem, montes, hortos, uites, lauros, boues, equos, aut uituperatione, aut laude dignos putamus: quæ omnia, quum de his dicitur, perſonarum tenere locum arbitramur: eiſdem enim locis ferè in horum atque in perſonarum demonſtratione utendum eſt. Quare ut hæc commodius tranſigere poßimus, huius quoque generis quo per omnes partes ſuas abſoluta inuentio ſit, præcepta breuiter exponenda uidentur. Nam quamuis raro in uita hoc genus ſeparatim temporibus noſtris accidere poſſe forte uideatur, at in iudicialibus & deliberatiuis cauſis ſæpe magnæ partes eius uerſantur. Etenim ita ſe habere tria hæc genera ſæpe conſiderauimus, ut unum in altero ſæpißime inueniatur, ac niſi alterum alteri innitatur, non poſſe graui atque facunda, uerè que oratoria oratione abſolui. Nam deliberationis partes in iudiciali, tam occupare neceſſe eſt, quum acriter quicquam peccatorum puniendum hortamur, ne illius rei, quaſi autoritate iudicum, ſumpta licentia, omnes in eiuſmodi ſcelera ruant. Quæ enim incommoda euenient accuſator, contraq; defenſor quid commodi ex abſolutione, qui deliberationis loci ſunt, diligenter & conſiderant & exponunt. Quid enim in eodem iudiciali, non'ne magna demonſtrationis pars conficitur, quum oſtenditur, quàm utilis uitæ hominum ſit, aut contrà is cuius de re agitur, fuerit, futurus'ue ſit, & cauſa, quæ plurimum in coniecturis ualet, non'ne niſi demonſtratione uitæ probetur, partim conficit? Idem in rela-

Tria genera in una complecti cauſa.

 tionibus,

tionibus, alijsq; conſtitutionis partibus ſolet uſui euenire. Iu*diciale uerò genus duobus in reliquis inueniri, cui dubium unquàm fuit?* Nam *quum iuridicialis conſtitutio eius generis propria uideatur, ea cæteris in generibus plerunque uerſari ſolet, ut ſi quum faciendum'ne ſit quicquàm deliberes, iurè ne fieri poßit conſideres: ſimiliter quoque ſi iure aut iniuria uituperandum uel laudandum quenquam contenderes, atque id ipſum demonſtratiuum genus quum in plures deliberationis locos, tum maxime in exhortationes belli aut pacis quum uires hoſtium noſtris uiribus comparantur, ita incidit, ut huiuſmodi contentio ne fieri quidem aliquo pacto poßit, niſi demonſtrationis locis utaris.* Q*uas ob res ſi quis uno in genere quàm plurimum ualere deſiderat, is oportet ut in omnibus elaboret.* Q*uoniam ergo nõ minus eſt induſtriæ in hoc quoq; genere cauſæ, conſiderandum putamus, ut diligenter ac breuiter hæc etiam pars abſoluatur, per partium orationis ordinem, documenta exponi debere intelligo.* Partes orationis

Partes orationis demonſtratiuæ.

demonſtratiuæ, ita ut in alijs ſex eſſe putamus, Exordium *ſemper ferme per principium tractatur.* Nam *etſi ex conſuetudine accidat, ut in nonnullis* V*enetiæ ciuitatibus fieri uidi, ut neceſſe ſit aliquem laudare, quamuis minime probus uideatur, tamen beneuolentia capta ex hoc ipſo quòd officio noſtro fiat, & quòd bonam cõſuetudinem ſeruandam putamus, quæ probos meliores, improbos bonos ſæpe reddere conſueuit, ad reliquas orationis partes ueniemus, de quibus mox dicetur.* Pri*ncipium ergo, aut à noſtra, aut ab eius de quo dicitur, aut ab eorum qui audiunt perſona, aut à rebus ipſis ſumitur.* A *noſtra perſona, ſi laudamus, aut officio facere uel quòd cauſa neceßitudinis intercedat, uel quòd in eo loco, honore, dignitateq; ſimus, in qua qui fuerunt, ſemper huiuſmodi munus ſuſceperint.* Hoc *tamen tum faciendum arbitramur, quum*

Exordium.

A noſtra perſona principiũ.

non

non bene effugere poſſumus, quin uel improbum laudemus, quo in caſu etiam illa non erunt aliena, nos ideo ſuſcepiſſe laborem, ut opera noſtra non paruam utilitatem uniuerſæ ciuitati conferamus, bene nos perſpexiſſe, laude improbos probos, bonos meliores fieri: hic tamen ſi is quoque audiret, de quo dicimus, ne eum offendamus, addere poſſumus; certo ſcire nos hunc probatum uirum ita excitari laudibus, ut ex probo meliorem futurum non dubitemus: aut à ſtudio facere affirmabimus, quòd huiuſmodi uirtutis ſint, qui laudantur, ut ex laude ipſorum appareat qualis noſter quoque animus ſit, & ſimul nobiſcum cæteri ad ſimilem uirtutem accendantur. Si uituperabimus, aut meritò facere quòd ita tractati ſumus, aut ſtudio quòd utile putemus eſſe ab omnibus unicam malitiam atque nequitiam cognoſci, uel quod placet oſtendi quid nobis diſpliceat, aut officio, quòd in eo loco, honore dignitateq; ſimus, ut hoc nobis uel neceſſe faciendum ſit. Ab eius perſona de quo dicimus, ſi laudabimus, dicemus illius facta poſſe uerbis conſequi neminem, quoniam huiuſmodi ſint, ut omnium laudatorum eloquentiam facile anteire poßint, omnes illius uirtutes prædicare oportere, uix aliquid eo dignum ab omnibus dici poſſe. Si uituperabimus, paucis commutatis eodem ferè modo dicemus. Nam quoniam laus uituperationi oppoſita eſt, ſi pauca laudationis uerba in contrarium uertes, uituperationem nimirum conficies. Ab auditorum perſona, ſi apud eos laudabimus qui hominem cognouerint, dicemus nos monendi cauſa pauca dicturos. Sin eſſent ignari, ut talem uirum uelint cognoſcere petemus, quoniam in eodem uirtutis ſtudio ſunt, qui audiunt, atque ille quem laudaturi ſumus. Præterea ſperare nos facilè his huius facta probaturos, qui ad hæc ſponte parati ſunt, qui quum ſua ſtudia præclaris uiris pla-

A perſona eius de quo dicimus.

cuiſſe uideant, alacriores ad complectendam huiuſmodi uirtutem efficientur. Contraria erit uituperatio, quoniam nouerint, pauca de malitia, nequitiaq́; eius dicturos. Quòd ſi ignorarent, petemus ut cognoſcere uelint uti ſingularem malitiam uitare poßint. Præterea ſperare nos illius uitam ipſos uehementer improbaturos, quoniam dißimiles ſint. Ab rebus ipſis, incertum eſſe quid potißimum ex tanta multitudine rerum, quas optime geßit, laudare debeamus, uereri ne quum multa dixerimus, plura prætereamus, nullam eſſe orationem, quæ illius factis non uincatur. Et ſi quem ex eloquentia laudaturi ſumus, in hac excellentia rerum, ipſius opus eſſe oratione dicemus, & quæ huiuſmodi ſunt, quibus contraria ſumuntur in uituperatione. Principio ita tractato, Narratio non erit ulla, quæ neceſſario conſequatur, ſed ſi quid inciderit quo aliquod factum eius, de quo loquimur nobis narrandum ſit, cum laude ac uituperatione ampla prout res poſtulat narrabimus. Sed narratio ſicut nunquàm ferè incidit, quum eum laudamus, cuius facta nota ſint, & ſola amplificatione indigent, ſic ſemper inuenitur, quum quid fecerit ignotum ſit, quæ non uno in loco tota ut in alijs generibus cogitur, ſed paßim ut quicque amplificandum eſt, breuiter narratur, quod & in alijs accidere poſſe propter multitudinē rerum nō ex reo ſolum, ut dictum eſt, uerumetiam ex accuſatore, Cicero in Verrem, teſtatur. Diuiſione utemur commodè, ſi naturam eius rei quam laudamus, diligenter quibus conſiſtat conſiderabimus. Non enim oportet (ut plurimi putant) quoniam omnis demonſtratio, aut ex rebus quas externas appellant, aut ex his, quas corpori aut animo attribuunt in has partes ſemper orationem diſtribuere. Nam & faſtidium auditoribus pareret ſi ſæpius fieret, & ignorantiæ uitium non euitaret, ſi quis rei naturam non relinqueret, &

A rebus principium.

Narratio.

Diuiſio.

ret, & his communibus ſemper eſſet occupatus. Quare optimum factu putamus ut in iudicio atque conſilio is bene partitur, qui quum omnia quibus facile abſolui poßit cauſa conſiderauit, ea reducit in paucißima quædam genera, quibus in diuiſione utitur, ſic hoc in genere, ſi poëta, uerbi gratia, uel orator laudandus eſt, danda eſt opera, ut intelligamus quibus rebus poëta eximius aut eloquentißimus orator ad tantam facultatem profectus ſit, quæ omnia ad quàm pauciora maxime poſſumus reducemus, deinde unumquodque etiam eorum ſi in plura diuiditur, locis ſuis diſtribuemus. Sic enim eloquentiæ magiſter Cicero, *cuius quum clarißimas legimus orationes, multa diuina huius artis ornamenta nobis affluunt, quum ſcribimus, ea ſolum notamus, quæ occurrunt, ſic inquam ipſe in oratione pro* Pompeio *præficiendo in ea parte fecit, in qua ſummas imperatoris laudes diligenter perſecutus eſt, ubi etſi laudatio ipſa* Pom. *propter conſultationem adhibita ſit, diuiſio tamen non aliena ab ea diſtributione eſt, quæ ſi ſummum imperatorem laudare uellet, non ut præficeretur, ſed ut clarior fieret adhibenda fuiſſet: quid ergo dicit?* Ego *enim ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quatuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, uirtutem, autoritatem, felicitatem.* Oportet *igitur ſi* Ciceronem *imitari uelis, in eas* partes *breuiter ac abſolute diuidere, quæ totam rem complectuntur, atque conſtituunt, deinde ſingulas partes loco ſuo in minora diſcindere, ſi ita faciendum uidebitur, aut etiam omnia non diſtincte, ſed paulo confuſius agere, ſi hoc commodius fuerit, quod ipſe in eadem oratione factitauit.* N*am quum multas dicat eſſe uirtutes imperatorias, multasq́; numeret, confuſius pòſt eas inſequitur, quàm ad diſtinctam diuiſionem* * *pertineat.* Q*uod quare faciat, aut in commentarijs eiuſdem orationis, aut quum de ſumma grauitate oratoris agemus,*

Exemplum è Ciceronis oratione pro Pompeio.

* *perueniat*

 mus,

mus, latius dicetur. Nunc quoniam de confirmatione & confutatione huius generis dicendum eſt, quæ partes orationis nunquàm bene poſſe tractari uidentur, niſi quis conſtitutionem cauſæ nouerit, habeat'ne conſtitutionem demonſtratio, differendum eſt. Magni enim intereſt, quum cauſa proponitur, ſcire, ſit'ne conſtitutio quærenda, quæ totam cauſam contineat, quam principalem nominamus, an in dicendo ſolum emergat, atque erumpat, quam incidentem dicimus: qua in re, difficili atque obſcura uererer equidem, quod ſentio aperire, niſi uiderem nullo pudore multos in medium afferre quæ opinantur, etſi non ſolum falſa, uerumetiam inutilia nimium ad dicendum exiſtant. Dicunt enim demonſtratiuam cauſam, non minus quàm deliberatiuam, uel etiam iudicialem, conſtitutiones ſuſcipere: quem errorem tam magnum, tam ad dicendum incommodum, tunc iure reprehendiſſe arbitrabimur, quum eas rationes, quibus niti uidetur, confutauerimus, quod ut facilius fiat, rationes eorum prius breuiter exponemus. Primo igitur Ciceronis, Quintiliani, Victorini, Martialisq; cuiuſdam autoritate ratum dicunt eſſe quod ſentiunt, deinde nullam unquàm cauſam cenſent eſſe dicendam, quæ conſtitutione aliqua non contineatur. Quare cæcos nos penitus eſſe aſſerunt, ſi demonſtrationem & cauſam eſſe cenſemus, & nulla conſtitutione complecti: hoc enim, natura ipſius rei nullo pacto fieri poſſe affirmant. Idem enim aſſerunt eſſe, hominem ſine ratione, & cauſam ſine ſtatu inueniri poſſe. Tertio, facti aiunt controuerſiam in omnia tempora distribui. Nam & quid factum ſit poteſt quæri, hoc modo, Occiderit'ne Aiacem Vlyſſes: & quid ſit, hoc pacto, bono'ne animo ſint erga rempublicam Fregellani: & quid futurum ſit, hoc modo, ſi Carthaginem reliquerimus incolumem, nunquid ſit incommodum ad rempub. peruenturum.

Conſtitutionem *in genere demonſtratiuo nõ eſſe.*

Errores quorundam confutantur.

Hæc

Hæc enim à Cicerone ipſo in primo rhetoricorum ita expoſita ſunt, quo fit, ut ad hanc rationem autoritas quoque tanti uiri accedat, in quibus omnibus quum coniectura comprehendatur, eam coniecturam quæ in præſenti tempore uerſatur, uel Victorino teſtante, quum deſcribendi ſint Fregellani, ac ex laude, uel uituperatione ipſorum demonſtrandum ſit, bonum'ne an malum erga rempub. gerant animum, demonſtrationis eſſe dicunt. Quarto, ſi clariſsimorum hominum orationes in demonſtratiuo genere conſtitutionibus abſolutæ ſunt, neceſſe eſſe dicunt, ut uel male huiuſmodi orationes conſcriptas arbitremini, uel non poſſe demonſtrationem conſtitui ſine conſtitutione aliqua concedatis. At conſtat, ſi Quintiliano credēdum eſt, C. Cæſarem in uituperando Catone tribus uſum fuiſſe conſtitutionibus, idq; Ciceronem ipſum notaſſe: aut ergo caſu & impetu quodam naturæ, à qua tamen profecta omnis ars eſt, non arte Catonem uir ille uituperauit, aut ſi arte uſus eſt, non poteſtis negare conſtitutiones ita demonſtratiuum ambire genus, ut ne genus quidem ſit, ſi ab omni conſtitutione deſtituatur. Nam primum quidem ſi dicetis, C. Cæſarem impetu non arte uituperationem illam ædidiſſe, nihil amplius nobis uobiſcum erit, qui tam impudenter huius artificij autores contemnatis. Hæc illi quum dicunt, contentionis nobis multo cupidiores eſſe uidentur, quàm ueritatis. Ita enim eos controuerſia uerbi exagitat, ut neq; ſeipſos neq; nos recte intelligere uideantur: uerum ut apertiſsime omnes percipiant quibus uel parum huius facultatis ineſt, rem ſicuti intelligi debeat, breuiter exponemus, deinde argumentis rationibusq; ſuis facilius reſpondebimus. Demonſtratiuum genus, quum ſimplex eſt ac purum, hoc eſt, ſolum demonſtratiuum abſq; deliberatione quapiam atq; iudicio, ſemper id amplectitur quod certum eſt: quod cum ueterum uſu, quo inuēta omnis

demonſtratio eſt, & conſuetudine laudandi uituperandiq́ꝫ, tum maxime ratione comprobatur. Nam & qui ultima demonſtrationis initia quærunt, inde aſſerunt laudandi conſuetudinem ortam, quòd qui in gymnaſijs, palæſtra, ceſtu, curſu, alijsq́ꝫ huiuſmodi generibus, alios in contentione uincebant, & coronari & laudari ſolebant. Quam rem Pindari Odæ, quibus Olympionicos ad aſtra tollit, confirmant, qua in laudatione, non ſolum re, ſed ne ſuſpicione quidem affuit unquam aduerſarius. Hanc conſuetudinem inde acceptam, omnes quoque oratores, qui in hoc genere uerſati ſunt, diligenter conſeruant. Raró enim huiuſmodi orationem inuenies, in qua ſibi orator aduerſarium totius huiuſmodi cauſæ confingere audeat, quod ratione fieri neceſſe eſt. Non enim uidetur abſq́ꝫ ratione fieri, quod crebrò fiat. Quare ſi rationem aperuerimus, priſtinam conſuetudinem, & orationis uſum, recte ſine aduerſario conſtitutam intelligemus. Si laudator & uituperator hoc in genere inter ſe aduerſarij non ſunt, nemo unquam aduerſarius inueniri poterit. Nam quum ita inter ſe oppoſitæ ſint laus & uituperatio, ut accuſatio & defenſio, ſuaſio & diſſuaſio, oportet ut accuſator defenſori & diſſuaſori ſuaſor, ſic uituperatorē laudanti aduerſarium eſſe. At in demonſtratiuo genere laudator uituperanti nunquàm re aduerſarius eſt. Relinquitur ergo, ut genus hoc aduerſario careat. Nam ſi quis Ciceronem, uerbi gratia, laudandum contendit, atque alius eundem non laudandum opinatur, ijq́ꝫ inter ſe aduerſarij ſint, iam huiuſmodi demonſtratio de natura ſui decidit, & aut iudiciale, aut deliberatiuum genus complexa eſt, quo modo non negamus conſtitutiones in demonſtrationem incidere. Verum quæſtio non de hoc, neque de incidenti conſtitutione habetur, de qua paulò pòſt uidebimus, ſed utrum demonſtratiuo generi ex natura ſui principalis

Pindari odæ.

cipalis

cipalis non incidens conſtitutio attribui poßit, quod adeò falſum eſt, itaq; aliena ab omni demonſtratione conſtitutio uidetur, ut nec demonſtratio quidem ſit, ſi conſtitutionem recipiat. Neceſſe eſt enim ubicunque conſtitutio inueniatur, ibi & aduerſarios de re aliqua inter ſe contendere. Eſt enim ut & nobis in primo expoſitum eſt, & omnes conclamant, nihil aliud conſtitutio, niſi defenſoris prima repulſio, cum accuſatoris inſimulatione coniuncta. Porrò quum aduerſarij de re quapiam contendunt, tunc decerni, dijudicariq; aliquid neceſſe eſt, quod primo iudiciali, deinde deliberatiuo accidit. Quare demonſtratiui generis proprium erit, omni conſtitutione carere. Aliter enim res, quæ demonſtratiuo generi ſubijcitur, certa non erit, ſed in controuerſiam trahetur. Laudandus eſt, quòd linguam Latinam eloquentia ſua decoraſſet Cicero, ſi nullus contradicit demonſtratio pura eſt, neque ob id qui laudat, tacere debet: quòd enim laudandus ſit, omnes laudatori tacitè concedimus, quibus uerò laudibus, quàm amplis, quàm firmis rationibus comprobatis audire deſideramus, quo fit ut ea, quæ inconſiſtentia in alijs generibus eſſent, hic conſiſtant, neque pugnantia dicimus, quòd conſiſtere aliquid abſque ſtatu putemus. Hoc enim generibus cæteris accidit neceſſariò, quòd & aduerſarij ſunt, & principales ſtatus, & quidem clarè & explicitè inueniantur. Hic tamen unde principalis oriatur, re non ſit, ut tibi ipſi obijcis, ac aduerſarium adeſſe fingis, ita ſtatũ occulte & implicite oriri neceſſe eſt, quod ad cõſtituendam cauſam in demonſtratiuo genere ſufficere res ipſa docet. His ita dictis, rationes ſuas qualeſnam ſint, conſideremus. Primum (inquiunt) & Cicero in ueteri, & Victorinus, qui eos libros rhetoricorum exponit, omni in genere incidere conſtitutiones confirmant. Nam quum dicitur bono'ne animo ſint erga rempublicam Fregellani, deſcribendi no- *Victorinus.*

u 5 bis

bis ſunt Fregellani, qui ſemper uidebantur aduerſi. Quare hoc in themate demõſtrationem contineri Victorinus putauit, neq; nos negamus, ſed tamẽ hic principalis cauſa demonſtratiua nõ eſt, ſed ad probationem principalis incidit cauſæ. Nam ut ſæpe dictũ eſt, nõ ab eo quod probat, ſed ab eo quod probatur cauſæ conſpiciendæ ſunt. At hic principale illud bono'ne animo ſint, demonſtrationis non eſt, quod uel ipſa propoſitione perclarum eſt. Sic enim in duobus generibus in demonſtratiuo certius ut omnis abſit controuerſia proponitur, hoc pacto, bono animo ſunt Fregellani erga nos. Principale igitur illud non eſt, quòd aduerſi reipub. aliàs quoque fuiſſent, aut non, ſed & certum ex hiſtoria eſſe poteſt, & principalem quæſtionẽ probat. Quare, ſi qua etiam conſtitutione hoc ſecundum pertractandum fuerit, ea non principalis, ſed incidens conſtitutio dicenda eſt. Neque tamen hæc pars, ſi per ſe tota conſideratur, rectè demonſtrationis erit, ſi conſtitutionem recipiat: oportebit enim depulſionem intelligere, qua demonſtratio caret. Nos autem non de huiuſmodi, ſed de pura demonſtratione, neque de incidenti ſtatu, ſed de principali diſputamus. Nam incidens quidem non in huiuſmodi cauſis ſolum, ſed etiam in his quæ uerè demonſtratiuæ ſunt, inuenitur, ut ſi quũ laudem Ciceronem, iure parentem patriæ ipſum appellandum putem, quòd Catilinæ infregit conſilia, id'que uererer ne iniquo animo auditores acciperẽt, atq; propterea mihi ipſe obijcerem, obiecta'que refellerem, incidenti conſtitutione iuridiciali in demonſtratiuo genere uterer, quod ſæpiſſimè fieri nõ negamus: totam etiam quæſtionem demonſtrationis, laudandum necne aliquem uideri conſtitutione, prout qui dicit, aduerſarium ſibi fingit, implicite contineri cenſemus, apertè quærendum pernegamus, nulla enim eſt. Quod, qui contradicunt, non intellexerunt, aut conſultò prætermiſerunt.

Quare

Quare nobis uidetur, ſi autoritas eius, qui demonſtrationi ſtatum attribuit tanta eſt, ut negari honeſtè non poßit, de incidendi locutum conſtitutione dicendum eſſe, quod & Ciceronis exemplo, bonó ne animo ſint erga nos Fregellani latißimè patet, in quo ea ipſa demonſtratio & alij coniungitur, & principalis non eſt, deinde quum nullo pacto cauſam ſine ſtatu poſſe conſtitui arbitrantur, uehementer errant. Cauſa enim eſt res quæ cum certarum perſonarum interpoſitione in dicendo proponitur. Conſtitutio uerò eſt prima deprecatio defenſoris, cum accuſatoris inſimulatione coniuncta. Quare conſtitutio quidem omnis, & cauſa erit. Habet enim certas perſonas defenſoris, & accuſatoris, aut ſuaſoris, & diſſuaſoris. Nihil enim refert quantum ad hanc rem, hoc aut illo uocabulo contendentes appellare, non autem idcirco & cauſa omnis conſtitutionem neceſſario complectetur. Nam ut proprium eſt conſtitutionis controuerſia, ita cauſæ proprium omnes aiunt certarum perſonarum interpoſitionem. Id autem etiam ſine controuerſia conſiſtere poſſe quis non uiderit? nam quum ſit controuerſia certarum perſonarũ de re quapiam contentio, ipſa quidem cauſa eſt, & iudiciali maxime: tum ab alijs, tum à Cicerone ad Herennium attribuitur. Cauſa uerò quum certam perſonam requirat, eamq; abſq; controuerſia ac contentione poßit adipiſci, demonſtrationem ſine conſtitutione conſtitui poſſe manifeſtum eſt: fieri enim non poteſt, ut quoniam homo animal ſit, omne idcirco quicquid animal ſit, & homo ſit. Nam hoc quidem, ne inſanus unquàm diceret: at cauſam, genus, & quidem ſupremum conſtitutionis etiam ipſi dicunt, ſed non uident non omni cauſæ, ſed ei ſolummodo ſubijci conſtitutionem, quæ controuerſiam ac contentionem ſuſcipiat. Nam quum tria genera cauſarum etiam ipſi ponant, uni per ſe toti ineſſe controuerſia

non

non poteſt. Nam & ſi nulla ſpecies ſine genere, genus tamen abſq; hac ſpecie eſſe poteſt. Quare taceant aliquando, & Græcos harum rerum inuentores ſequãtur, apud quos nullus unquam hac de re dubitauit. Præterea ſi diuerſorum generum diuerſæ ſunt ſpecies, neceſſe eſt, ut in deliberatiuo aliter quã in iudiciali ſtatus oriebantur, aliter etiam hic & per obiectiones incidere uel implicite ac occulte excogitari, quod dicendi ratio oſtendit, non ut in ſuperioribus apertè inueniri. Quartum dicebant (nam tertium ex his quæ iam dicta ſunt, facile refellitur) clariſſimos autores à maximis oratoribus, conſtitutionibus in demonſtratiuo genere uti notatos fuiſſe: quòd ſi demonſtratiuum genus ſimpliciter illi tractarunt, incidentes ſtatus fuiſſe dicemus. Nam principales fuiſſe quî poterunt? & enim ſi omnis conſtitutio depulſio eſt aduerſarij, ubi depulſio non eſt nec conſtitutio eſt. At demonſtratio depulſionem principalem non habet (caret enim aduerſario) caret igitur conſtitutione. Sed in uituperando Catone uſus eſt ſtatu C. Cæſar, incidenti ergo, uel ſi uolueris principali demonſtratio tibi ſimplex non erit, ſed iudiciali generi permixta, quod equidem facile conceſſerim. Is enim erat Cato cum genere tum maxime uirtute, ut nemo eſſet fermè non inuidus, qui eum ſummis non putaret decorandum laudibus. Quem quum Cæſar uituperare inſtituiſſet, omnibus ferè ſe aduerſarium profitebatur in eo uituperando. Quare quum cæteri laudandum, ipſe ſolus uituperandum ſentiret Catonem, & quum aduerſarium & depulſionem tanquam in iudicio afferri huc uideamus, conſtitutionem ex depulſione naſci neceſſe eſt: ſed ſimplicitas demonſtratiui generis conſeruari non poteſt. Nam eius proprium eſſe rerum bonarum malarum'ue, quas ineſſe cuipiam omnes facile concedunt, amplam expoſitionem nemo unquam negauit. Quare hoc iam ratum habeatur,

Græci inuentores.

Quomodo ſtatu uſus in Catone uituperando Cæſar.

demonſtrationem omni constitutione natura ſui carere. Inanem enim oratori laborem imponemus, ſi principalem in hoc genere conſtitutionem ſibi inueniendam putabimus. Nam cum oporteat ex depulſione ſtatum inueniri, ac nulla inſit principalis depulſio, neſcio quam conſtitutionem aliquis quæret, niſi quis fortaſſe dixerit fingendum nobis ſtatim à principio cauſæ aduerſarium eſſe: quod ſi quis uerum putauerit, is ſi ſibi ipſe conſtare uult, confiteatur oportet fictam quoque non ueram demonſtratiui generis conſtitutionem inueniri. Verum nos fictas has conſtitutiones, à quibus fictos quoq; locos fictaq; argumēta naſci neceſſe eſt, in ueris prætermittamus, et ad præcipiendum reuertamur. hoc tamen prius dictum uelim, illud quoq; importunitatem eorum oſtendere, qui conſtitutionem in hoc genere principalem quærunt. Quòd ſi quis alicuius ſtatus ordinem in demonſtratione, quemadmodum in alijs generibus per totam orationem ſequi uoluerit, cum nihil habere quod dicat, præclariſſimum eſt. Adeò natura rei repugnat & obſtat. Quare quod re fieri non poteſt, id quærendum præcipere dementiæ putandum eſt. Nam qui non uidet demonſtrationem locis ſuis, nulla ratione conſtitutionis adhibita, quod cæteris generibus accidere non poteſt, peragi poſſe, is oratoriæ facultatis omnino ignarus ex cupiditate contentionis omnia perturbat. Sed hos relinquamus, Nos quod uel ſi nullam conſtitutionum ſcientiam habueris, locis proprijs tractari poteſt, id natura ſui nulla conſtitutione neceſſariò ſuſtineri intelligamus. Erit ergo genus ſine ſpecie, ſed huius generis omnis ſtatus incidenter ſpecies eſt, uel etiam accedit: ſuæ illæ ſunt, quæ diuerſitate laudatarum rerum tanquā in diuerſis ſtatibus locos aliquantulū immutant, ut hominis plantæ, domus & huiuſmodi rerū laudes, quas & abſq; ſtatu ample peragi poſſe, & locis ut rebus differre patet. Quare & ſpecie

diuer

diuerſas atque diſparatas manifeſtum eſt eſſe. Illud denique nõ prætermiſerim, acceſſorium ſtatum non ex fictione ſolum obiectionis oriri, ſed nullum etiam certum ſtatum præſupponere. Quare aranearum eum telis ſimilem eſſe neceſſe eſt. Verum hæc oratio defendendæq; ueritatis ſtudium, longius nos euexit. Quare nunc ad præcepta inuentionis redeamus. Omnis demonſtratio ab his locis fluit, quos perſonis eſſe attributos diximus. Verum ut res latius atque altius repetatur, communiorem quoque modum eius rei exponamus. Confirmationis demõſtratiuæ tres ſunt loci, nam aut ab animo, aut à corpore, aut à rebus externis omnis demonſtratio capitur. Animi ſunt quæcunq; conſilio & cogitatione fiunt, ut Prudentia, Fortitudo, Iuſtitia, Temperantia, de quibus antè dictum eſt. Corporis ſunt quæ natura corpori attribuit commoda, uel incommoda, ut uelocitas, robur, dignitas, ualitudo, & quæ cõtraria ſunt. Externas res dicimus quæ caſu, aut fortuna ſecunda aut aduerſa ſolent accidere, ut genus, educatio, diuitiæ, poteſtas, gloria, affinitas & eorum contraria. Verum quoniam omnis honeſta laus, ac uehemens uituperatio, ex his quæ animi ſunt conficitur, idcirco cætera omnia ad res animi trahere cõmode oportebit: ut ſi bono genere natus fuerit, dicemus parem, aut excelſiorem ſuis fuiſſe: ſin humili, ipſum ſuis non maiorum uirtutibus laudem conſecutum. In uituperatione, ſi bono genere, ualde degeneraſſe à ſuis nec mediocri eis decori fuiſſe: ſin malo, tamen ipſis detrimento fuiſſe. Similiter in educatiōne ſi laudas, quòd in liberalibus artibus fuerit eruditus, quòd id ætatis quod plerique omnes ocio & uoluptatibus conſumunt, bene ac honeſte bonis diſciplinis tradidiſſet: Sin uituperas, à bonis ſeipſum artibus apertè ſubtraxiſſe, nihil ſibi defuiſſe præter ſeipſum. Item ſi dignitas ac forma corporis fuerit, laudi ſibi, non ut cæteris detrimento atque dedecori fuiſſe.

Confirmationis demonſtratiuæ tres loci.

fuiſſe. Amplius, uires, uelocitatem egregiam, cæteraq; huiuſmodi ſumma induſtria, honeſtis ac crebris exercitationibus comparata fuiſſe: bonam ualitudinem ex perpetua diligentia, & temperantia cupiditatum acquiſitam. In uituperatione, ſi erunt hæc corporis commoda, his male uſum dicemus, quæ natura egregia eſſet conſecutus, ac ideo magis uituperandum: ſi non erunt, omnia præter formam, ipſius culpa & intemperantia accidiſſe dicemus. Similiter in poteſtate, paupertate, diuitijs, gloria, amcitijs, inimicitijs qualemnam animum habuerit conſiderabimus, & quid fortiter, quid ignaue, quid pruden ter, magno animo, iuſte, continenter uel contrà geſſerit oſtendemus. Idq; non in factis ſolum, ſed etiam in dictis obſeruare licebit. Nam quoniam ut diximus uera demonſtratio ex animo habetur, ac animum tam à corporis rebus & extraneis, quàm à factis & dictis nonnunquam comprehendimus, & à dictis nonnunquam facilius (animi enim ſimulacrum orationem putamus) neceſſe eſt quod in omnibus his animi uitium uel uirtus appareat non parua cura perſpicere, quæ ſi huiuſmodi erunt, ut quiuis concedere poßit ita eſſe ut dicimus, dabimus operam, ut quàm maxime ampla & magna oratione efferantur. Nihil enim magis proprium eſt demonſtrationi quàm ampla oratio. Quòd ſi nonnulla ſuſpicamur aliuſmodi atque nos uolumus forte uideri, rationibus earumq; confirmationibus, de quibus iam unde inueniantur docuimus, comprobanda nobis ſunt: obijcere etiam nobis ipſis id quod obſtare uidetur, & ſoluere à locis eius conſtitutionis, quam obiectio nobis obtulit, alijſque modis, quibus diximus ſolutionem fieri, non inutile eſt. Abſtrahuntur enim hoc pacto ab eo quod opinabantur auditores facilius, quod ita faciundum eſt, ut nunquàm ab ampla oratione diſcedamus. Quam amplißimã quum proprijs, tũ cõ-

munibus

munibus locis efferemus. Nam *genus, educationem, operationesq́; alicuius, ieiuna oratione, atq; exangui exponere, id quidem non eſt demonſtratiuo genere uti, ſed hiſtoriam conſcribere. Quare qui aliquem laudat, & exili quodam dicendi genere res ſuas ſolum exponit, is quid ſit demonſtratio parum intelligit. Ac huiuſmodi multa his noſtris temporibus omni refertis ignorantia fieri animaduerti, & quod moleſtius ferendum eſt, ab his maxime, qui huius orationis copiæ magiſtros ſe profitentur, qui uel quum clariſsimos imperatores laudent, quorum res geſtas ampliſsimas exiſtimant, ab exili tamen & arida oratione recedere non poſſunt. Quamobrem ſæpius dicendum eſt, demonſtratiuum genus, ne demonſtratiuum quidem eſſe, ſed à natura ſui excidere, niſi crebris amplificationibus abſoluatur.* Ordinem *autem in demonſtrando conſeruare hunc licebit.* Primo *genus, hoc eſt, quibus maioribus natus ſit oſtendere, deinde cum educationem amplexus fueris, ad iuuentutis ſtudia uenire, ac deinceps operationes uirilis ætatis amplecti.* Primumq́; *quod primo geſtum ſit cum amplificatione proferre, aut ſi ita uiſum fuerit, breuiter primo narrare, deinde ampla id oratione complecti, ac alterutrũ ordinem, hoc eſt, hunc aut illum, uel utrũq;, id eſt, modo hunc, modo illum, uſq; ad poſtremũ obſeruare, omnia ad animi, ut ſæpe diximus, uitiũ, aut uirtutẽ accõmodare, ut ſi laudemus, hoc fortiter, illud quã prudenter: modeſtiſsime aliud, aliud quã iuſte factũ prædicemus: ſin uituperemus, iniuſte, incontinẽter, ignaue, imprudenter atq; temere aliud atq; aliud factum probabimus cum amplificatione.* Illud *etiam dicendum eſt, non omnes has partes in quacunque laude uel uituperatione aſſumendas uideri.* Nam *ſæpe non incidunt, nonnunquàm etiam tametſi incidunt, nihilominus maioribus & amplioribus contenti locis multa prætermittimus. Quare quemadmodum in alijs*

quoq;

quoque generibus, iudicio oratoris, quid dicat, quid prætereat relinquimus. Confutatio quæ per ſe inſit nulla eſt, ſed ſi qua ex obiectionibus incidit, cuius ſtatus locis abſolui poßit, conſiderabimus, ut ſuperius quoque tactum eſt: eamq; perbreuem facere oportebit, ne defenſores, aut accuſatores pro demonſtratoribus eſſe uideamur. Concluſionibus breuibus utemur, ac pleraſque enumeratione proferemus, nonnullas etiam licebit comparatione ad exitum cauſæ abſoluere, in qua ſemper curandum eſt, ut aut æqualem hunc de quo dicimus, aut maiorem, nunquam minorem ei cui comparatur oſtendamus. In hac uerò ipſa comparatione, maxime ſi non totam rem toti rei, ſed ſingula ſingulis comparamus, enumeratione uti licebit, ut ſi ita diceres, magnus Alexander rei militaris peritia, maior Scipio. Ille enim imbelles homines, hic Hiſpanos ac Carthaginienſes omnium bellicoſißimos ſubuertit. Modeſtia ille laudabatur, quòd Darij uxorem, ac filias ne uidere quidem uoluit: quàm hic modeſtior, qui & uidit & abſtinuit? Ac ita per collationem breuiter in memoriam redigemus quæ diximus, qua quidem in collatione amplißimum ac pulcherrimum iudico quàm plurimos occupare: quod erit, ſi ſecundum unamquanque rem uni uel pluribus conferamus, ut Ciceronem in eloquentia Demoſtheni, in philoſophia Platoni, in prouidentia Themiſtocli, in iuſtitia Ariſtidi, in liberanda patria Thraſybulo. Sed de demonſtratiuo genere iam finem faciemus, ſi illud etiam aſſumpſerimus, comparationem non in concluſione ſolum, ſed in ipſa quoque cauſa nonnunquam locum inuenire. Nam quum aliquid amplificamus, licet breui comparatione, quàm magnum, quàm ſingulare, quamq; admirabile ſit aperire. Præterea comparationem in demonſtratiuo fieri ex utraque parte, laudis ſcilicet, ac uituperationis, in qua ſingula ſingulis per totam orationem

Confutatio.

Concluſio per comparationem.

conferuntur: quæ oratio uel laus, uel uituperatio, uel ex utriſque compoſita inuenitur, & parua magnis nonnunquam exæquat, aut etiam maiora oſtendere conatur: hæc omnia parum commutata, in alias quoq; demonſtrationis formas deſcendēt. Nam qui plantam, uel equum laudat, tanquàm à genere à quo deorum res aut producta, aut culta ſit, uel cui dedicata enodabit cum amplificatione, ut oliua Palladi, Neptuno uel Marti equus, myrtus Veneri, Libero patri uitis: educationi uerò ſimile erit, quòd citò creſcat, quòd citò fructum ferat: utilitas deinde, quam ex fructu, uel uſu rei conſequimur, rerum geſtarum locum obtinebit.

DE DVCTV CAVSAE.

NVnc quoniam ductus nequaquàm ad inuentionem pertinere non poteſt (nam & ſi elocutionis quoque habeat plurimum, iacit tamen in inuentione radices, ex qua conſilium agendi naſcitur) de eo primùm, deinde de reliquis oratoris officijs diſſeremus. *Ductus.* Ductus igitur eſt dicendi ratio, qua tota cauſa oratori agēda eſt, eum in ſimplicem & figuratum partimur. *Simplex.* Simplex eſt quum clarè id agimus, quod in cauſa poſitum eſt. *Figuratus.* Figuratus eſt, quum etſi ipſa cauſæ ratio poſtulat aliud agere quàm uolumus, idq; ita fieri uideatur, tamen ad quod uolumus occultius rapiuntur auditores. Simplicem in rectum & ſimulatum. Figuratum in contrarium, obliquum, & quod nos κατ᾽ ἔμφασιν, Latini per ſubiectionem dicere poſſunt, diuidimus. *Rectus.* Rectus eſt, quum id agimus quod uolumus, ſine ſimulatione. *Simulatus.* Simulatus eſt, quum id agimus quod uolumus, cum ſimulatione. Prioris exemplum, Iuxta cadauer recens in ſylua repertus, cædis accuſatur. De ſimulato poſtea dicemus, clarius enim fiet, ſi de figurato prius diſſeretur. *Contrarius.* Contrarius ductus eſt, in quo oppoſitum eius quod palam

dicimus

dicimus uelle,auditoribus perſuadere conamur:quod facimus, aut quia quidnam auditores ſentiant, experiri uolumus, aut quia ſine offenſione auditorum hoc orationis ductu facilius eis perſuaſum iri arbitramur, ut in hoc exemplo, Dant Lacedæmonij Athenienſibus pacem, *ſi* Periclem *eis dare uoluerint, conſultant* Athenienſes, *moleſtè hanc eorum* dubitationem fert* Pericles, *& quum nullo modo dari uelit, tamen dandum ſe conſulit.Itaque quod faciendum ſignificat, diſſuadere magis quàm ſuadere conatur: hoc ſimplici ductu agi non poteſt.* Nam *ſi quod uult proponeret, publico commodo ſuum præponere uideretur, & hac offenſione auditorum neſcio ſi obtineri cauſa poſſet.* *Obliquum eſt,cum ad contrarium, & aliud quid oſtendit oratio,ut in hoc exemplo,* Dives *in magna annonæ penuria ſubleuare pollicetur ciuitatem, ſi pauperem inimicum ſibi liceat occidere, & pauper in concione dandum ſe conſulit, hoc ad contrarium: dari enim non uult etiam ex obliquo aut non eſſe annonam apud diuitem aſſerit, aut ſi eſt, inde capere reip.licere.* Per *ſubiectionem appellamus ductum, quum quoniam, aut pudore, aut timore, aperte dicere impedimur,ita dicimus,ut quod uolumus, ab auditoribus ſubintelligi, non à nobis dici uideatur.* Horum *contraria & obliqua eodem tractantur modo, præter quàm quòd contraria unum quid uolunt,obliqua plures res amplectuntur.*In *his ergo præcipuum eſt obiectiones ita firmare, ut difficile diſſolui poßint:*Confirmationes *autem ſic tenues afferre,ut etiam per ſe parum ualere uideantur, aut omnino pugnantibus approbare: nam qui in confirmando pugnantia dicit,is certe oppoſitum,quod in contrarijs quæritur,non quod propoſuit, probat: hunc figuratum ductum* Homerus,*eloquentiæ fons non inuenit ſolum, ſed perfecit.* Nam Agamemnona *in concione, ut animos militum experiretur conſulere fugam facit, &*

* *conſultationem*

Obliquus.

Per ſubiectionem.

ea dicit, quæ non eſſe fugiendum magis probant. V*erùm qui* Homerum *uidere cupit, ſecundum* Iliados *legat, nos in exemplo ſuperiore rem latius aperiamus:* Pericles *quum tradendum ſe* Lacedæmonijs *cenſeat, eiusq́; oppoſitum uelit, confirmando beneuolum ſe* Athenienſibus *ſemper dicet fuiſſe, ſalutem ſuam publicæ utilitati ſemper poſtpoſuiſſe: hæc exemplis confirmabit, & nunc ſi cõmodum ciuitatis, & pax firma inde conſtitui poteſt, ſi ipſe dabitur, non dari ſolum uelle, ſed mori etiam, ut patria pacem habeat, paratum eſſe: infirmam fore pacem ſi obiectionibus confirmare poteſt, obliquum ductum occupabit. Alius quidem, qui commodis patriæ ſalutem præponeret ſuam, tentari patientiam ciuitatis ab hoſtibus diceret, ut ſi hoc æquiore animo ferat, maius* * *impetret.* Ego *ſi tradi nollem, cauendum uobis dicerem, ne ſpoliata pecuaria canibus, à lupis nullo defendente lacerentur, non eſſe audiendos amicos meos, ſi quis amore meo compulſus diceret non oportere imperanti hoſti parere: turpe enim eſſe, & mortem turpitudine potiorem, amicis imperantibus parendum non hoſti, & quòd patres noſtri, neque* Dario *unquam, neque* Xerxi, *neque cuiquam hoſti paruerunt, neque uoſipſi unquam: quæ omnia ideo parum apud eos ualere debent, quòd ipſe uel mortem pro patria oppetere paratus ſit.* Hæc *etſi non ita late ac commode dicta ſint, ut res poſtulat, tamen ut in exemplo ſatis.* Nam *quæ tradendum eum probant, parum ualent.* Quid *enim infirmius ad hanc rem, quàm quoniam ipſe nõ recuſet, idcirco dandum aſſerere? quod uerò beneuolum ſe* Athenienſibus *dicat, ſalutemq́; ſuam publico poſtpoſuiſſe ſemper commodo, huiuſmodi eſt ut oppoſitum potius inferat.* Obiectiones *uerò non eodem modo ſemper afferemus, ſed ut tempus, cauſaq́; poſtulare uidentur, commode uariabimus, & modo quidem ſic;* Alius *quidem, qui non*

* imperent

non ut Pericles patriæ commodum ſuæ ſaluti anteponeret, turpe diceret hoſti parere, quum amicis debeas: Modo ſic, Ego *autem, ſi quis nolentem ire cogeret, ſic & ſic dicerem: nunc uerò quum uel uitam amittere pro patria paratus ſim, mittendum me cenſeo.* In *obiectionibus eadem dicere debemus: quæ etiamſi nolle aperte proponeremus, occupare conueniret: ideo enim figurata dicuntur, quoniam ad quod uolumus occultius deuenimus, eáq; dicimus, ut uincamur: nam in figuratis uinci, id quidem uincere eſt.* In *quibus omnibus ita tractare orationem, & his ſchematis uti conuenit, ut auditores, etſi oratione noſtra ad quod uolumus, adducantur, non tamen id nos uelle aperte percipiant.* Verùm *in contrario ſemper quærendum, ſi quid quod obliquum ductum faciat inueniri poßit, quod ſi firmius quàm contrarium eſt, illi potius immorandum, & ductum inde* occupandum putamus: ad hæc quod ex obliquo dicitur, apertius dicendum, ſi firmum eſt: tangendum, ſi tenue.* Verum *hæc de contrario & obliquo breuiter ſufficiant, quod autem* κατ' ἔμφασιν *dicimus, quodq; placuit* Latinè *ex ſubiectione appellare, id eſt, quum ex eo, quod dicitur, quod uolumus ſubapparet, & tamen eius cauſa dicere non uidemur. Subiectionis illud maxime proprium eſt, ut quod uolumus cum ui quadam erumpat, & affectum omnem aperiat,* & latere non poßit, cum tamen id nos uelle non pateat, mirabilis huiuſmodi oratio eſt.* Quare *niſi exemplum ſubiecero, facile intelligi non poteſt.* Vergilius *in quarto* Aeneidos, Non *licuit thalami expertem ſine crimine uitam* Degere *more feræ. Erumpit enim affectus, ut ſine thalamo uitam non putet hominum, ſed hæc propter indignationem: clarior illa apud Ouidium,* Aptior *ò dixit fœlicem coniuge matrem.* Quum *ergo aut parum tutum eſt dicere, aut non licet, aut pudor impedit, danda eſt*

*nuncupandum.

*ut

opera, ut uerbis ambiguis uel compoſitione orationis, uel utroque modo non minus id quod uolumus, quàm quod dicimus, oratio ſignificet: quòd ſi huius rei facultas non occurrit, confirmatione utendum putamus. Quæ ut clarius pateant & ſi minus auditu honeſtis, attamen explanationi huius loci fortaſſis aptioribus exemplis utamur, In*famis in nurum patris filius de nato ſibi puero* Apollinem *conſulit,* Deus *infantem parricidam fore dixit.* Non *uult exponere filius, abdicatur, contradicit.* Hic *quoniam crimen clarè aperire dubitamus, aut quia patris pudet, aut quia quum turpe ſit etiam, doceri parum poteſt, ex confirmatione, uel ſubiectione, adulterij quoque ſuſpicionem faciemus.* Con*firmatio atrocem ſuſpicionem hoc modo faciet, puta nunc ex te natum puerum eſſe pater, exponis quem genuiſti, eijcis infantem, cuius factus es pater.* * Ex *compoſitione uerborum per ſubiectionem hoc pacto,* Cur *me abdicas pater, aut quid aduerſus te unquàm commiſi? non'ne uſque adeò tibi ſemper obtemperaui, ut uel in conducenda uxore, eam duxerim, quæ tibi placuit?* Ex *ſola uerborum poteſtate, hoc modo,* Nam *quid tibi uis pater? non uenit in mentem ſolum me tibi filium eſſe? nepote expoſito extinctum iri genus noſtrum? & quod indignius eſt, in tanta rerum copia duos uiros una cum muliercula conuicturos?* Nam *conuiuere ut recte dici uidetur, ita ſuſpicionis nonnihil relinquit.* Item *neſcio iudices quid ſit, ut quum unuſquiſque in ſe magis quàm in alium caſus aduerſos reformidet, ipſe in quem oraculum tendere uideatur paruipendam, pater pro me tantum extimeſcat, ut niſi exponatur nepos, filium abdicare non dubitet, qua ego de cauſa ferre abdicationem minime potero iudices.* Quare *ſi conuincar, aut abibo in exilium, aut expoſito filio, ego quoque (neque enim uiuere potero) ſimul uitam exponam, quæ omnia quum*

*expoſitione

recte

recte pater ſciat, atque intelligat, miror iudices cur eam mihi optionem dat, qua præter ipſum nemo in tam ampla domo relinquatur: quòd ſi filij ac nepotis eum non miſeret, miſereatur nurus, quæ orbata uiro, orbata filio, ſola domi relinquetur. Miſereatur denique ſui ipſius, tandem'que ſibi ueniat in mentem, quàm duriſſima erit illa uita, quam unà cum nuru à cæteris omnibus deſtitutus in lacrymis atque luctu ducet, quum non licet aut parum tutum eſt dicere, hoc modo, Sub pacto abolitionis tyrannus dominationem depoſuit, petit magiſtratum eius competitor: quum in comparatione perſonarum cauſa maxime uerſetur, rogare poterit, ut apertius in ſe inuehatur, hoc pacto, Mihi in te dicere non licet, tu in me oro dicas, neque enim non potes, nuper te uolui occidere. His figuratis præciſiones etiam, quæ interruptam ſilentio relinquunt orationem, aptiſsimæ ſunt. Schemata quoque omnia congruere poſſunt, quæ aut plus in ſuſpicione relinquunt, quàm dicitur, aut aliud oratione, aliud intellectu complecti uidentur, ut occupationes, permutationes, ſignificationes, & quæ huiuſmodi ſunt. In omnibus uerò ſumme cauendum arbitramur, ne denſitate aperiatur figura. Nam ut autoritatis parũ, ita offenſæ nonnihil habebit, & aperta figura hoc ipſum perdit, quo figura eſt. Præterea in eo, quod ex ſubiectione fit, maxime iudex figuris credit, ſi nos putat nolle dicere. Aperta uerò figura fiat, ne timor aut pudor prohibere uideatur, ne palàm obijcias, ſed quod probare diffidas. Ad hæc ſubiectione utimur, ut iudex quærat illud neſcio quid quod ipſe fortaſſe non credat, ſi audiret, ac eidem quod à ſe inuentum exiſtimat credat. Quare nõ ſolum ui orationis, uerũ quod ego in huiuſmodi re nõ minimũ iudico, pronũciatione, quæ maxime affectus animi oſtẽdit, periculum aut pudor ſubapparere debet, quamuis nõnunquã non ex eo quod uolumus, ſed ex eo quod dicimus affici non* * nos

x 4 inutile

inutile dixerim, ut non à nobis recepiſſe, ſed à ſeipſo ſubtilius quid intellexiſſe iudex gaudeat. Illud uerò acriter animaduertendum, ne figuris rem illam ſubaperiamus, quæ nobis officit, tyrannidis affectatæ damnatum torqueri ut conſcios di eat, & accuſatorem eius præmium petere lex iubebat. Patrem filius accuſat, eo damnato, optat ne torqueatur. Pater contradicit. Qui pro patre dicit, figuras in filium quòd conſcius ſit, quamuis id pater uelit, non dicet: peruertit enim rem ſuã. Nam ſi iudices intellexerint, eum idcirco torqueri uelle, ut filium conſcium indicet, aut tortura liberabunt, aut torto non credent. Simplici ergo genere aget, ſe torqueri uelle, uel ut lex conſeruetur, neque hic uehementer in filium inuehetur, quòd id optet quod legem ipſam, quæ optandi ſibi poteſtatem dat, omnino peruertat, ſed ita callide aget, ut & torturam obtineat, & quid uelit iudices ui orationis ſuæ, non intelligant, uel quòd nolit accuſatoris acceptare beneficium: uel, quod ego maxime ſequerer, ut ſe tormentis innocentem portendat, in quibus omnibus, ut nimius in filium iræ affectus retinendus, ita moderatus non occultandus: hinc patet ſimplicium cauſarum, alias rectè agi, alias ſimulatè. Simulatum eſt, quum quod petimus, non ſui ſed alterius gratia uolumus, quod anguſtijs cauſæ impediti occultamus: hoc à figuratis differt, quoniam ibi uel nolumus quod optare uidemur, & quod nolle oſtendimus, id appetimus, uel cauſam occultius ſubijcimus, qua repelli aduerſarius debeat. Hic & quod clare agimus, id uolumus, & quare id uolumus, omnino celamus, qua ſola re à recto differre uidetur. Vnde quæ in illis eſt ſimulatio, plena figurarum eſt, hic quoniam figuræ obſunt recte agimus, & figuram ſicut ſcopulum caucmus. Verum in hanc neceßitatem quæ figuras deſideret, raro uera negotia ueniunt, in aliam huic ſimilem ac difficiliorem plerunque incidunt,

dunt, quum ſcilicet perſonæ potentes ac clari homines obſtant, à quorum reprehenſione ſi abſtineas, cauſa fluctuat, aperte reprehendere, cum metus & pudor, tum auditorum offenſio deterret: Illud quoque optime tenendum, ſæpius in ueris cauſis loci, quàm cauſæ figuram* intercurrere ſolere, *incurrere quibus in cauſis huiuſmodi figurata locutione inter utranque uiam anguſtum iter tenebimus. Verborum quoque in leuius mutatio figura nonnullis uidetur, ſed non eſt: mutantur autem tam quæ locum unum continent, quàm quæ totam cauſam ſubſtinent, quoniam durum eſt proprijs uocabulis rem appellare, pro quibus ea ponenda ſunt, quæ & rebus conuenire poſſe uidentur, & quod uolumus mitius oſtendunt, ut qui cum uictorias aureas in uſum conflare ſuadebat, uictorijs utendum eſſe dicebat. Themiſtocles etiam Athenienſibus non urbem relinquere, quod duriſſimum erat, ſed tanto terrore imminente apud deos eam deponere ſuaſiſſe fertur. Figuris tripliciter reſpondemus. Nam ſi rariores, neque magnæ uiolentiæ ſunt, nihil intelligere bonæ conſcientiæ uidebitur. Sin crebriores fuerint, quàm ut diſſimulari poſſint, ſicut latentia corporis uitia quum reſcinduntur, tum ſanantur, ſic eas aperiendo deijciemus. Sin erunt uehementiores, quàm ut tutò denudari poſſe uideantur, neſcire ſimulabimus, quid illud ſit, quod aduerſarij obliquis ſententijs ſignificare uoluerint: poſtulabimuſque ſi fiducia ſit, obijciant palàm, aut certe non exigant, ut iudices non ſolum intelligant, ſed etiam credant, quod ipſi palàm dicere non audeant.

DE DISPOSITIONE.

QVoniam inuentio, difficillima rhetoricæ pars nobis abſoluta eſt, de diſpoſitione breuiter ac clarè diſſeramus. Nam quemadmodum inſtructio exercitus in aciem neceſſaria

eſt imperatori,ſic hæc pars oratori eſt commodiſsima. Etenim ſicut illa in pugnando,ſic in dicendo diſpoſitio facile uictoriam parit. Quare ut imperator nõ ad eligendos milites ſolum,ſed etiam ad ordinandos plurimum laborat,ſic oratori non parũ operæ conſumendum cenſemus,ut ea quæ inuenerit, elegerit, recto iudicio comprobarit,in ordinem,perſonis,cauſis, loco, tempori conuenientem,redigat. Quas ob res danda nobis eſt opera,ut non minus breuiter quàm clarè diſpoſitionis præcepta referamus:qua in re plus etiam laboris nobis erit,quoniã hæc quoq; pars,ut elocutio,cunctis ferè neglecta eſt. Nam de diſpoſitione quidẽ,nec apud Græcos,nec apud Latinos, præter id quod ad Herenniũ edidit Cicero,nunquã legimus. Verũ quæ nos de diſpoſitione dicemus,quamuis nullibi legimus,non tamẽ noſtro arbitrio ficta,ſed uſu oratorum,& eius maxime, quem Latina lingua principem conſecuta eſt,approbata ſunt. Nam ut in cæteris rhetoricæ partibus fecimus,multa diximus quæ forte ab alijs præcepta non inuenies. Attamen ſi Ciceronem diligenter legis, ab eo quod ille fecerit, nos præcepiſſe intelliges. Sic in hac quoque parte Ciceronis nobis orationes horum præceptorum copiam præſtitiſſe confitemur,ſed de re dicere incipiamus, ut quod diximus, res ipſa doceat.

Et apud Quintilianũ fortaſſe.

Diſpoſitionis genera.

Diſpoſitionis duo ſunt genera, unum ab inſtitutione artis profectum, alterum ad caſum temporis accommodatum. Primum ex ui & ex natura cauſæ,id eſt,rei de qua agitur cõſideratur. Alterum perſonis,locis,temporibus attributum,ordinem ipſius rei artificioſe commutat. Verùm ut diſpoſitionem ex inſtitutione artis profectam intelligere poſsimus,ſimpléxne an duplex cauſa propoſita ſit,conſiderandum arbitramur.*

Cauſa ſimplex.

Cauſam ſimplicem appellamus, quæ unam non duplicatam ambit conſtitutionem,aut conſtitutionis partem,ut uerbi gratia, coniecturalem ſolum, aut legitimam ex ſcripto &

ſent

ſententia ſolum, aut iuridicialem abſolutam ſolum, aut aſſumptiuam ex unica parte, ut relationis criminis ſolum. Duplicem dicimus, quæ duabus aut pluribus conſtitutionibus, aut cõſtitutionum partibus, aut etiam unica duplicata conſiſtit. *Cauſa duplex.*

Huius duplicis tres ponimus partes. Nam aut quæſtiones duæ plures'ue afferuntur, aut res quidem ſimplex ab accuſatore affertur, multitudine autem rationum defenſionis conſtitutiones quoque multiplicantur, quas omnes principales nominamus, hoc modo, Lex, de nouis tabulis legem ferre capitale ſit, urbe obſeſſa, creditorum quidam tabulas, in quibus debitæ ſibi pecuniæ continebantur cremauit, cum cæteri imitantur, deinde in hoſtes impetu facto à debitoribus, urbs obſidione liberatur. Is qui primo tabulas combuſſerat, capitis acceerſitur. Hic ab accuſatore ſimplex affertur res, contra legem alieni æris tabulæ ductu tuo arſerunt. Ratio defenſoris partim à ſcripto, at legem non tuli: hoc enim eſt quod uetatur: partim à diffinitione, at aliud priuatum comburere, aliud legem reſcindere: partim à iuridiciali abſoluta, licet de re mea facere quod lubet: partim à conceßione per imprudentiam: neſciebam cæteros me imitaturos: partim à comparatione, at maiorem hac ex re utilitatem reſpub. conſecuta eſt. Prioris hoc erit exemplum, Mulier & eius uir eadem ægritudine laborare uidebantur, quidam medicus utriſque eandem attulit potionem. Vir mortem obijt, mulier conualeſcit, eam medicus in uxorem ducit: reus fit tam adulterij, quàm cædis. Aut quamuis ita ſit quæſtio unica, ut nec rationibus defenſoris multiplicetur, tamen & aliæ accidunt. Accidentes dicimus, quæ nõ ex prima depulſione defenſoris, ſed aut à rationis aut à loci cuiuſpiam depulſione naſcuntur, eas bipartitò diſtribuimus, in acceſſorias & incidentes. Acceſſorias nominamus, quæ non à prima depulſione defenſoris, ſed à ratio *Duplicis partes.* *Accidentes cauſæ.* *Acceſſoriæ.*

à rationis cuiuſpiam deprecatione proficiſcuntur, ut ſi quum dicat Oreſtes, iure Clytemneſtram occidi, illa enim patrē meū interfecerat, non à Clytemneſtra, ſed ab Aegiſto aduerſarius Agamemnonem occiſum contendat: hæc etſi ab accuſatore oriri uidetur: tamen à ratione conſtitutionis non eſt aliena, ut in primo latius dictum eſt. Incidens eſt, quæ inter dicendum ex alicuius loci ui uel depulſione naſcitur, ut ſi in diffinitiua conſtitutione, quum ad diffinitionem uentum ſit, neget aduerſarius diffinitionē æquam eſſe, aut quia legibus ciuitatis non conueniat, & ſic ex aliqua legitimarū incidenter diſſeritur, aut quia inhoneſta, et incidet abſoluta iuridicialis: aut quia inutilis, & erit negotialis. At hæc quidem de omnibus ſtatibus intelligi uolumus. Nam ſimplices & duplices cæteras'que huiuſmodi quas in ſecundo explanauimus, quamuis ad diſpoſitionem non parum conferant, tamen quia ſingularum conſtitutionum natura quadam conſiſtebant, idcirco quum de ipſis conſtitutionibus diceremus, merito abſoluimus. In cauſa igitur ſimplici, diſpoſitio artificioſa dupliciter conſideratur, per partes orationis, per argumentationes. In duplici tribus modis. Non enim ſolum his duobus qui dicti ſunt, ſed multo etiam magis per conſtitutiones earumq; partes conficitur. In ſimplici ergo cauſa ex arte per partes orationis diſtribues, ſi eum ſeruabis ordinem partium, quem in primo libro expoſuimus, ut ſcilicet ſecundum exordium, Narratio, Diuiſio, Confirmatio, Confutatio, ac poſtremò Concluſio cōſequatur: Verum quoniam nonnunquam duo uel tria Exordia dicenda ſunt, quomodo diſponenda ſint, breuiter aperiendum eſt. Intueri oportere putamus an aliquid eorum ideo fit, ut quod obſtare uidetur, id occupemus, an omnia recte ipſa ex cauſa proficiſcantur. Si primum (ſemper enim ita inuenio Ciceronem factitaſſe) quod obſtantia occupat primo locandum eſt ut pro

Incidens cauſa.

Exordia quomodo tractāda.

Pom.

Pom.præficiendo:in Verrem,pro Sexto Roſcio. Sin omnia ex cauſa ipſa qua de agitur proficiſcuntur, id primo ponendum eſt,quo magis moueri auditores ad id ſuſpicamur,quod per exordium acquirere deſideramus.Habet autem,ſi per ſe, cæteris ut dicitur paribus,exordiorũ loci conſiderantur maiorem uim,primo res,& rei id per quod oſtenditur factum iam eſſe ferme diuinitus,quod petimus,quod à confectione appellauimus,deinde id quod ab exuperatione in primo nominauimus:poſt rem,quod à cauſa inuenitur, locum poßidet. Tertio ea quæ à perſonis inueniuntur commodiora ſunt, & eorum cuncta,quæ à perſona noſtra capiũtur præcedunt,deinde quæ ab auditorum,tertio quæ ab aduerſariorum,poſtremo quæ ab his perſonis inueniuntur, quas extra iudiciũ eſſe diximus.Intelligendum tamen tum id quod à perſona auditorum dicitur, plurimum ualere, [illegible]m oſtendimus non minorem nos hac ex re,quàm ipſos,& eos qui ſibi chari ſunt contumeliam & calamitatem incurriſſe: hæc conſideratio ad electionem quoque, ſi unicum proponere uelis,plurimum ualet. Sæpe etiam accidit,ut uno in exordio plura proponenda ſint,& rationibus pluribus comprobanda,quod quum accidit, aut quæ præponenda ſunt omnia ſimul proferuntur,deinde prout res poſtulare uidetur, uel ordine rationes ſubijciendæ, uel poſterioris primo, quod Cicero pro Marco Marcello facit: aut primam partem primo expediemus ſubiectis rationibus,deinde ad alias ſerie ueniemus, quod pro Cn. Planco complexus eſt, ubi etiam à ratione ĩncœpit, ac propoſitione dicta,aliam quoque ſubiecit rationem, quod non in exordijs ſolum, uerumetiam in argumentationibus, & omnino ubique factitat, quum uel quæ probantur infirmiora uidentur, ideoq; undique uallanda ſunt, uel copia rerum orator abundat. Exordij finis huiuſmodi eſſe debet,ut facilis

ab eo

ab eo ad narrationem tranſitus eſſe uideatur. Nam in cauſa maxime ſimplici poſt exordium artis præceptio narrationem ſolet collocare, niſi diuiſio eius locum præoccupet.

Narrationis et diuiſionis diſpoſitio.

Etenim diuiſio narrationem ſemper conſequitur, niſi quãdo res exigit ut alio diuidamus ordine, quàm membra diuiſionis in agendo ſumus diſpoſituri: tunc enim maxime ſi enumeratione diuidere neceſſe ſit, aut prætermittenda diuiſio eſt, ſi magis ex re noſtra id futurum uidetur, aut ante narrationem commode collocanda, deinde quadam cum præparatione narrabimus. hoc enim pacto narratione interpoſita facile poſtea poterimus à quouis membro incipere. Nam quum enumeramus, ſi quidam aut naturæ aut temporis ordo ſubappareat, eius perturbatio ſi ſubito fit, & facilius comprehenditur, & deceptionis ac cauillationis atrocem facit ſuſpicionem. Quare nihil magis oratori fidem derogare ſolet. Cum uerò poſt narrationem, modo unum, deinde alterum non obſeruato diuiſionis ordine* confirmamus, idcirco minus diſtributionis apparet confuſio, quòd unumquodque ſolum profertur, & ordinis illa comparatio atque reſpectus, quum unum poſt alterum prænunciatur, emanat interpoſitione, narrationis omnino cecidit.

*infirmamus

Quare nobis placet ſi diſtributionis ordinem conſeruando propter anguſtias cauſæ obſeruaturi non ſumus, poſt exordium diuiſionem, tertio deinde loco narrationem ponere, ut Demoſthenes in oratione malæ legationis confecit. Cicero uerò pro præficiendo Pompeio, quum genus belli quadripartitò exponeret, ultimam, quòd delenda ſibi eſſet illa macula, ideo cælauit, nec eam ordine ut cæteras propoſuit, quoniam eam tanquam uehementiorem primo acturus erat, quam diuidendo primam non expoſuit, quoniam à narratione ut cæteræ, non uidebatur effluere. Quas ob res ſummo cum artificio

Demoſthenes.

ſicio clariſsimus ille orator in expoſitione quidem, quam primo tractaturus erat, partem ratione propoſita celauit imperitos, primam uerò principalemq́; partem concludens ordine quo egit, his uerbis enumerat: Quare uidete num dubitandum uobis ſit, omni ſtudio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis ueſtri, ſalus ſociorum, uectigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum republica defenduntur. Verùm quum nõ expoſitionem ſed artem ſcribamus, hæc latius quàm oporteret diximus, ne quis aut ſine exemplo fingere nos præcepta putaret, aut ſine cauſa inſcitiam nõnullorum ſecutos nos eſſe arbitraretur, & ignorantia plurimorum uel ex hoc loco perſpecta atq; deſpecta, cætera diligẽtius qui orationes Ciceronis legunt, uelint inquirere. In diuidendo igitur, ut breuiter quod ſentimus exponatur, aut naturæ, hoc eſt, conſequentiam quandam rerum, aut temporis ordinem conſeruabimus, ſi pars quædam occultius tangitur: id erit uel quòd narrationem non ita conſequitur, quæ etiam commutationis cauſa eſſe poteſt, uel ne orationis grauitas diuiſionum multitudine demittatur, & quoniam confirmatio ex utraq; parte uallanda eſt, firmiores partes primas & ultimas diuidendo quoq; ponemus, niſi aut ordo rerum & temporum, aut naturæ ipſius cauſæ aliter poſtularet, quæ commutatio ne percipiatur, aliquid interponemus, ut in Aeſchinem Demoſthenes, quamuis etiã poſſumus breui ratione allata cõmutationis rem ut placet agere. Quartam partem confirmationem ponimus. Quare poſt diuiſionem ſequetur, niſi neceſſe fuerit antequã ad ipſius cauſæ confirmationem deſcendamus, aliquid aut obiectum ſoluere, aut quod obſtare uidetur occupare, aut ſi in compoſitis, quoniam non principalem, ſed acceſſoriam aliquam primum abſoluere animum induximus, ne fugere auditoribus aduerſarij argumenta uideamur, quare id nobis faciendum ſit oſtendimus:

Confirmationis diſpoſitio.

quam

quam quidem confirmationem principalis confirmationis præparationem appellare licet. Vt pro Planco Cicero, quum coniectura principaliter cauſa ſit, ipſe uerò (ita enim ex re ſua erat) de iure populi primum diſceptaturus eſſet, poſt expoſitionem, miro quodam, ac penè diuino, & ingenio & arte difficilem ſibi ac lubricam in tanto uſu, tantaq́; amicitia defenſionem contra Laterenſem confingit. Quare moleſte ſibi accidiſſe confirmat, quòd in ea cauſa hominum ipſorum uidebatur facienda eſſe quædam contentio, deinde ait cæcum ſe & præcipitem iam confiteri, ſi iam in hanc tam moleſtam contentionem deſcenderit. Itaque dicit, diſcedam ab ea contentione, ad quam tu me uocas, & ueniam ad illam, ad quam me cauſa ipſa deducit. Quid tu, inanem dignitatis iudicem putas eſſe populum? Ita quum ad iuridicialem diuertere uoluiſſet, huius ſui diuerſorij culpam in aduerſarium mirabiliter reijcit: hoc ipſe pacto diuinus orator & diſpoſitionem ex cauſa miro quodam modo diſtribuit, & difficilem ſimul atque moleſtam contentionem dignitatis antequam ſolueret, ita debilitauit, ut ſibi iam facilima pro difficili, anſataq́; pro lubrica fieret. Ita ille ubique omnia non diſponit ſolum, ſed exorditur, narrat, proponit, confirmat, obijcit, ſoluit obiecta, reijcit culpam in aduerſarium, ſubit, & defendit, ut eo quod culpæ dat aduerſarius gloriari uideatur, egreditur è cauſa, reuertitur, aliquo in loco commoratur, omnia quæ inuenerit, quæ tot tantaq́; ſunt, ut quod eum lateat, eam ipſam orationis copiam, ipſam eloquentiam, eam quoque ipſam facultatem dicendi, atque naturam lateat, omnia inquam, quæ inuenerit quæ uel præparat, uel ſubitò quaſi inexpectatus irrumpit, ſic diſponit, ſic eloquitur, ut uel nullæ rationes quare ita dicta, inſtituta, gubernata, præparata, erupta, contracta, producta,

Ciceronis artificium.

depreſſa, ampliataq́; ſint facile reddi poßint. Quòd ſi uel unicam dictionem immutare uolueris, uel quicquàm aliter quàm ille conſcripſerit, non dico diſponere aut omnino dicere, ſed cogitare ſolum conſtitueris, iam uerò totum orationis numerum, concinnitatem omnem dicendi, totam grauitatem, elegantiam, pulchritudinem ex oculis euolare uidebis. Sed de laudibus eius, nec tum quidem ſatis dicere poſſem, quum nihil aliud niſi tam præclarum oratorem laudare mihi propoſitum eſſet, quare nunc quidem eas uel inuitus prætereo, orationisq́; filum ad infimum dicendi genus, ipſumq́; ſermonem uſitatißimum præceptis accommodatum mutabo. Hæc igitur præparatio confirmationis, de qua locuti ſumus, & longior & breuior nobis erit, ut res noſtra expetere uidebitur: quæ ſiquidem non in eadem eſt conſtitutione, ſiue parte conſtitutionis, in qua ipſa uerſatur cauſa, præparatio ut diximus erit: Sin autem eiuſdem ſit conſtitutionis, hoc eſt, ſi ex loco, uel locis eiuſdem ſtatus confluat, non præparatio, ſed ipſius cauſæ confirmatio, abſque dubio dicenda eſt. In ipſa uerò confirmatione huiuſmodi argumentationum ſeriem ſeruare oportebit, firmißimas argumentationes in primis & in poſtremis partibus collocare. Nam ſtatim re narrata expectat animus auditoris, ex qua re cauſa poterit confirmari, quapropter continuo firmam aliquam argumentationem inferemus. Et quoniam quod nuperrime dictum eſt, facile memoria retinetur, utile eſt, quum dicere deſinas, recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem. Mediocres, & neque inutiles ad dicendum, neque neceſſarias ad probandum, quæ cum cæteris coniunctæ probabiliores fiunt, interponi in medio & collocari oportet. Verum quoniam argumentatio quoque multis partibus conſtat, & ſi manifeſtum eſt ex tertio, qualiſnam argumentationis partium diſpoſitio

ſit, tamen nunc etiam latius ac dilucidius, & ratione certa exponatur: rationes omnes, earum'que confirmationes & expoſitiones non eiuſdem ſunt roboris. Oportet igitur uidere, quæ probant, & quæ magis demonſtratiua ſunt. Magis probare nunc ea dicimus, quibus res certius coarguitur, ut, uerbi gratia, ſunt quæ à circunſtantijs inueniuntur rationes, demonſtratiua Latinè dici poſſe putauimus, quæ nos πανηγυρικὰ nominamus, cuiuſmodi ſunt omnia, quæ magis amplificare quã probare uidentur, ut ſunt loci enthymematum, & ſi quid à communibus locis interponatur. Confirmationum uerò loci magis probant, quàm amplificent, unde & priorem in argumẽtatione locum confirmationes quàm enthymemata conſecutæ ſunt, quamuis etiam ideo proponantur, quoniam ex accõmodatione ac collatione quadam circunſtantiarum ad ipſas commentationes effluere ſoleant. Quare oportet id primum ponere, ex quo tanquàm è radice rami conſequentia oriuntur. Ita fit, ut & naturæ rei pareamus, & debitam ex arte diſpoſitionem conſeruemus, quod & in cæteris ferè omnibus fieri ſolet. At hoc quidem, ſcilicet ut quæ probant demonſtratiuis præponantur, non in partibus argumentationis ſolum, ſed per totas ac integras argumentationes, natura ipſa duce conſeruatur. Nam omnes ubique ea quibus cauſa probatur prius dicunt, ea quæ amplificant in poſtremis conſeruãt. Quare oportet in confirmationis quoque partibus, id eſt, integris argumentationibus, hanc ſeriem conſeruare, ac rurſus, ut in oratione, quæ totam cauſam complectuntur atque amplificant in poſtremis locamus, ſic in qualibet argumentatione, ſi quæ locum ipſum amplificant, fini argumentationis attribuemus, quod tam in ſecundo, quàm in tertio apparuit. Nam & in tertio expolitionem ad concluſionem argumentationis poſuimus, & in ſecundo amplificatiuos locos iuxta finem uniuſcuiuſque cauſæ

πανηγυρι-κά.

cauſæ collocauimus. Hoc enim pacto quum oratio ab his quæ probant, quæ contractiore quadam oratione proferuntur ad demonſtratiua aſcendat, creſcere, augeriq; uideatur neceſſe eſt. Illud etiam in ſecundo non ſine ratione factum inuenies, locos ſcilicet, qui ad perſonas pertinent, priores eſſe. Nam uelle & poſſe prius in coniectura, quàm comprehenſio, aut abſolutio, cæteraq; quæ à re fluunt, abſoluta ſunt. Etenim perſona ipſius naturæ lege rem antecedit. Verum qui ea diſtributione ſemper aut crebro utitur, quæ ipſa enumeratione locorum aut principalium aut argumentationis, ut in ſecundo & tertio patuit, & artificij ſuſpicionem affert auditoribus, & à recta huius facultatis, tam arte quàm uſu omnino decidit. Quare is non magis orator aut eloquens, quàm infans & rudis appellandus eſt. Quid igitur inquies faciam, aut quam uarietatem diſpoſitionis locorum das? Difficile eſt in ſingulis eam aperire, ſed breuiter qui attendet, præceptionemq; noſtram obſeruabit, & uarius erit in diſponendo, & ſuſpicionem artificij fugiet, & ratione omnia diſponet. Oportet igitur primum naturam & uim locorum tam principalium, quàm eorum quos ſecundarios nuncupauimus, ſic præmeditatione, uſu, exercitationeq́ue tenere, ut poſita cauſa facilè quid à quocunque loco inueniri poßit perſpicias. Deinde naturæ ipſius cauſæ principales locos accommodare: quod erit, ſi diligenter conſiderabis, quis eorum locorum in ea cauſa firmior, quis infirmior ſit. Non enim in omni eiuſdem ſtatus cauſa ijdem loci firmiores, atque infirmiores ſunt. Nam quum ex qualitate uniuſcuiuſque negotij non parua uis ad locos fluat, neceſſe eſt, ut uarietate negotij, locorum quoque uis uarietur, quo fit, ut non idem ſemper, ſed pro qualitate negotij, modo hi loci, modo illi firmiores atque infirmiores ſint: quam differentiam lo-

corum quum perſpexeris, diligenter etiam conſiderabis, quis eorum in eadem cauſa præcedat, quis ſequatur: præcedere uerò eum locum dicimus, cuius concluſio ſequentis loci propoſitionem iam inducit & incitat; ſequi eos putamus, quorum propoſitiones à præcedentium concluſione deſiderari uidentur. Hoc *igitur pacto quum quinam in cauſa firmiores ſint intellexeris, ex firmioribus eum qui facilè præcedere omnibus poßit, primum: eum qui omnes conſequi poſſe uidetur, ultimum collocabis: ita ſimul & poſtrema firmiora erunt, quod debere fieri ſuperius diximus, & præcedentium atque ſequẽtium locorum à principio uſque ad finem tibi ratio conſeruata erit.* Hoc *enim ipſum in medijs etiam obſeruabis, ac ſi rei natura patitur, omnium infirmißimum in medio aliorum præcisè locabis. Similiter in argumentatione facies.* Nam *ſi propoſitio multis rationibus, & ratio confirmationibus, ac confirmatio expolitionibus comprobari exornariq; poßit, eam rationem primo locabis, ex qua confirmata exornatáq; alia ſubſequi uideatur.* Hoc *enim pacto tam confirmatio quàm argumentatio, cæteræq; orationis partes (nam hoc per totam orationem conſeruandum cenſemus) natura ipſius cauſæ diſponentur.* Quare *etiam placet in exordio ſi, uerbi gratia, multis à locis beneuolentiam capturus ſis, id anteponere, ex fine cuius quod ſequitur conditione quadam ſui ſequi uideatur: aut ita diſponere, ut quod à perſona noſtra, uerbi gratia, inuenitur, ratione comprobetur, ea quæ ab alio loco profluat: quam rem ſi uolueris etiam oculis uidere, quamuis* Ciceronis *orationem tibi propone.* Non *enim dubito nullam inueniri poſſe, quæ hac diſtributione compoſita non ſit, quamuis ſingulare illud* Ciceronis *ingenium, etiam ea quæ ſi per ſe ſola conſiderares, nullum inter ſe habere ordinem uiderentur, ita coniungit, his copulat medijs, ut quod primum dixerit,*

natura

natura primum: quod ſecundum aut poſtremum, ſecundum quoque ac poſtremum natura putes. Hoc *ipſum etiam in diuiſione ubique ferè obſeruat.* Nam *in præficiendo* Pompeio, *de genere belli, de magnitudine, demum de* Imperatore *deligendo dicturum ſe pollicetur.* At *magnitudo belli huiuſmodi eſt, ut fruſtra de ea diſſereret, niſi id bellum, ſalutem ſociorum, bona multorum ciuium, uectigalia maxima, gloriam populi* Romani *oppreſſurum oſtendiſſet.* Nam *bellum quidem quanto maius futurum, niſi genere neceſſarium ſit, tanto minus ſuſcipiendum uidetur.* Etenim *magnitudo, niſi genus præcedat, ab huiuſmodi deliberatione auertit magis animos, quàm impellat.* Quare *ne in animo auditorum huiuſmodi cogitatio obſeruaretur, non de magnitudine prius egit, ſed de genere, deinde de magnitudine belli, ac genere comprobato, de* Imperatore *deligendo deliberatio ſequitur.* Ita *genus primo, magnitudo ſecundo quæ ad genus belli conſequitur, ad* Imperatorem *deligendum præcedit, collocanda erat.* Tres *igitur hi modi diſpoſitionis dicti ſunt, primus quo firmiora prima & ultima collocamus, infirmiora in medium, ut undique ſuſtineantur compellimus, is ad argumentationes tantum integras pertinet.* Secundus *qui ab his quibus res coarguitur ad demõſtratiua & amplificatiua orationem perducit.* Tertius *quo ita omnia diſtribuimus, ut ab uno ad aliud natura ipſa duce tranſeamus, quem ideo potiorem iudicamus, quoniam tam ad partes orationis, quàm ad confirmationis aut confutationis, hoc eſt, diuiſionis membra, quàm ad locos ſiue principales ſiue ſecundarios, & omnino ad totam orationem bene gubernandam pertinet, quæ res ad perſuaſionem maxima eſt.* Sicut *enim mẽbra humani corporis licet robuſta ſint, tamen ſi aut diuerſis conatibus impediuntur, aut ſi quum una laborat manus, altera quieſcit, parum agunt, & ſi omnia ad eundem conatum membra*

Tres modi diſpoſitionis.

bra concurrant,& ſi debilia ſint, quod tamen conantur haud difficile conſequuntur, ſic omnia orationis membra non neglectis prioribus,hoc ultimo pacto inter ſe collocata,magnam uim habuerint,quæ occultè quodammodo & tacite animos hominum ita ingreditur ut trahat quocunq; uis:hac uerò conſecutione neglecta,ſeparata à ſe ipſis,& quaſi diſtracta uidentur. At illa naturali, ut ita dicam,coadiutione carentia, totam pulchritudinem & gratiam,quæ ex bona compoſitione membrorum emanat,totamq; uim rectæ perſuaſionis amittunt.Sed de confirmationis quidem diſpoſitione ſatis dictum eſt. Nunc ad confutationem tranſeamus. Confutationis diſpoſitioni omnia conueniunt quæ de confirmatione dicta ſunt. Nam & principio confutationis, & fini infirmiora infirmãda collocabimus,aduerſariorum argumenta, ut oratio noſtra uehementior ac uerior principio & fine confutationis appareat, & firmas aduerſarij rationes in medio ponemus. Nam infirmiorem confutationem utraque ex parte uallare oportet, niſi forte uehementem fidem factam putauimus.Tum enim ne auditores fugam nos capere arbitrentur,eas rationes primo cõfutabimus, quibus magis fidem factam conſtabit: quòd ſi difficiles ſolutione ſunt, mentionem quidem faciemus, & debilitabimus ſi fieri poteſt, deinde rationem oſtendemus quare alio loco commodius reprehendentur. In ipſis confutatorijs argumentationibus ad amplificationes ſimiliter ut de confirmatione dicebamus,exitus faciendus eſt, & quod ubique uim maximam habet,illud primo confutabis reprehenſione, cuius cætera labefactari facilius poſſunt: hoc enim pacto, ut paulò antè dicebamus,quum finem in refellendo uno feceris, ipſius natura rei ad reprobandum quod ſequitur,nos incitabit.Quare ut hanc conſecutionem conſeruare poſſimus, placet rationes omnes aduerſariorum, quibus multum nituntur, ante oculos ponere,

Confutatio ut diſponenda.

ponere, diligenterq; conſiderare ſi natura earum patitur, hoc eſt, ſi huiuſmodi ſunt, ut una infirmata, alia labefactetur. Quod ſi eſt, hoc ordine illas aggrediemur: ſi nihil horum eſt, & parum noſtra intereſt, conturbemus'ne ordinem, quem illi ſeruarunt, an nõ, ordine ipſo quo ab ipſis aduerſarijs expoſita ſunt, refellentur. Illud etiam hic admonendum, per ſe ipſa aduerſariorum argumenta, tum dilui, quum noſtris rationibus conuenire magis quàm ſuis oſtenduntur, cum ſibijpſis pugnant, quæ ſola diſpoſitione diruuntur. Sufficit enim ea quæ inter ſe pugnant unum in locum colligere. Nam quum ſimul ponantur, ita ſe inuicem deijciant, ut nulla noſtra reprehenſione opus ſit. Concluſionis tres ſunt partes, enumeratio, amplificatio, quam & indignationem appellant, conqueſtio, quæ & commiſeratio dicitur. Horum indignatio accuſatoris eſt, Conqueſtio defenſoris, quamuis & conqueſtio indignationem nonnunquam parere ſoleat, ut ſi quum cædis accuſes, locis conqueſtionis in reum auditores exaſperes. Enumeratio uerò communis eſt. Quapropter enumeratione ſimul aut cum indignatione, aut cum conqueſtione concludere poſſumus: quod tum accidit, quum & communes loci ad proprios trahuntur, hiſq; accommodantur, & res huiuſmodi eſt, ut enumerationi partium non incommode commiſceri poßint. Qua in concluſione & enumeratione in natura ſui longiorem, & commixtam ſibi partem ſeipſa ſola breuiorem efficere neceſſe eſt, ne aut enumeratio, quæ quàm breuiter omnia colligere debet, aut conqueſtio uel indignatio, quæ latius patent, uim ſuam penitus perdant, ſi aut illa ad longitudinem harum diſtrahi, aut hæ ad breuitatem illius omnino contrahi cogantur. Verum ſi hoc non faciendum uidebitur, hoc eſt, ſi ſeparatim dicendum exiſtimamus, quod fit, cum aut longius in affectibus commorandum eſt, quàm enumeratio patitur, aut affectuum

Concluſionis partes.

loci non ſic partibus orationis in re, id eſt, in ſententijs conueniunt, ut commiſceri, atque conglutinari poßint. Enumeratio poſt contentionem ponenda eſt, deinde indignatio uel commiſeratio conſequetur: nam quoniam enumeratio, quæ in contentione dicta ſunt, breuiter ſub aſpectum ponit, abſque dubio poſt eam locum tenebit. Indignatio uerò uel commiſeratio, quoniam ſuum eſt, ut affectus maxime moueant, qua in animorum commotione auditores relinquendi ſunt, ultimum orationis locum continebunt. Verum de ſimplici cauſa iam dicta ſunt multa, quæ omnia in duplici etiam ſeruari oportere nemo dubitat. Nam duplex cauſa quum hæc omnia requirit, tum uel maxime complurium ſtatuum ordinationem, de qua iam dicemus, deſiderat. In duplici ergo cauſa maxima diligentia eſt adhibenda, ipſa ne accuſatione duplice, aut rationum multiplicatione, aut firmamentorum uarietate, aut incidentia duplex ſit cauſa. Incidentis locus certißimus eſt, nam ut plurimum tunc tractatur, quum incidit. Quare ſi quum aliquo ex loco confirmamus, quicquam incidit, quod aut eiuſdem conſtitutionis ſit, aut diuerſæ, ad id ſtatim orationem uertemus, eóque breuiter pro ui & qualitate rei incidentis conſtitutionis locis, quibus uidetur, abſoluto, ad principalem reuertemur. Ac hoc quidem ſemper faciendum eſſe arbitror, niſi cum aut alia maiora inſtant, aut id ipſum quod incidit non facile nobis tractatu eſt. Nam ſi maiora urgerent, rationem afferemus, quare oporteat prius illa expedire, pollicebimurq; ad id quod incidit poſtearedituros, deinde quum ea explanauimus quibus magis cogebamur, incidentia complectemur. Quòd ſi ille ipſe incidēs ſtatus acrior nobis in aduerſarios uideretur, quoniam ubique extrema firmiora eſſe debent, trahemus eum uerisſimili quadam de cauſa aut ad primam, aut ad ultimam decertationis partem. Sin

uerò

uerò difficile nobis, aut turpe quod incidit uidetur, quum ſimiliter loco ſuo id nos dictaturos promiſerimus, nunc alijs urgeri, dabimus operam interiectione uerborum, id quod incidit, prius quàm ad illud ueniamus debilitare. Hoc *enim pacto facilius nobis poſtea dictu fiet, cum paulatim ea quæ interiecta fuerint, auditorum animos lenierint. Quum cauſa duplex eſt, quoniam plures afferũtur quæſtiones, bipartita nobis erit conſideratio, primo uidebimus, ſi ſic inter ſe quæſtiones ſe habeant, ut una confirmata, comprobetur alia: tunc enim ea primum nobis locanda eſt, ex qua altera probatur, deinde ſi hoc non accidit, id primum erit quod eſt probatu facilius, id poſtremum quod uehementius ac atrocius in aduerſarios. Quòd ſi non magis hoc ex illa quàm altera ex altera probari poſſet, à faciliore probatu, niſi multo eſſet atrocior incipiendum eſt, Cædis & adulterij accuſatur medicus, adulterium cædis eſſe cauſam poſſe confitendum eſt. Quare ſi paribus ſignis ac argumentis utrunque in ſuſpicionem trahi poteſt, non eſt dubium, quin adulterium prius probandum eſſet. Quòd ſi ſigna quidem cædis apparent, magis quàm adulterij, cædem prius, deinde à cæde tanquam ab effectu adulterium inferemus. Cauſam duplicem, hoc eſt, multis conſtitutionibus implicitam fieri etiam diximus, quum aut multæ rationes, aut diuerſa firmamenta inferuntur, quod in coniecturali accidere non poteſt. Nam quum negationi nulla afferatur ratio, nec firmamentum, quod rationi opponitur, ſubeſſe poteſt. Si ergo rationum multitudine conſtitutiones plurificentur, naturam & uim earum conſiderabimus, & uehementiorem primam collocabimus, ita tamen ut ultima infirmior non ſit. Quòd ſi duæ ſolummodo ſunt, quarum una firmior, altera parum acris uideatur, poterimus poſt illã infirmã, quam ſecundò agemus, firmioris nonnullas rationes aut*

latius repetere, aut ad hunc locum reſeruatas explicare. Nunc *quoniam quid fieri debeat ui & natura ſtatuum cognita tetigimus, quomodo eam uim & differẽtiam percipere poßimus, aperiendum eſt.* Duplici *ergo ratione uehementiorem ac tutiorem ſtatum excogitari poſſe cenſemus, ex ui & natura, aut ipſius ſtatus per ſe, aut totius propoſitæ cauſæ, ac natura quidem ſtatuum translationem cæteris præſtantiorem ponimus. Securius enim eſt, ſi conſequi poſſumus, ne ad nos ea res pertinere uideatur, reijcere, ac poſtergari, quàm ſubire certamen, tanquam ſi res ad nos palàm hoc loco, hoc tempore, his* accuſationibus pertineret.* Poſt *translationẽ cõiecturalem ponimus.* Præſtat *enim negatio conceßioni, abſolutam aſſumptiuæ non anteponere ſtultißimum eſt.* In *aſſumptione conceßio ultima eſt, nam deprecationem in numero ſtatuum non ponimus, eam omnium deterrimam eſſe nullus dubitat.* Remotio *criminis primam, comparatio ſecundam uim adipiſcitur. Illa enim culpam à ſe omnino reijcit, hæc culpam concedit, ſed ad eam ſecutam utilitatem opponit.* Relationem *criminis tertiam ui non ambigimus.* Nam *& conceßione, uel ipſa poteſtate nominis ſecuriorem ſe declarat, & ipſa culpa maiorem aut æqualem commoditatem conſecutos oſtendere.* Quod *comparationis eſt, multo præſtantius eſſe uidetur, quàm criminibus aliorum incitatos, aliquid in eos à nobis commiſſum concedere, quod relationis eſt.* Quare *relatio ui & natura ſui ſicut conceßionem præcedit, ita comparationem ſubſequitur: legitimarum omnium firmiorem ac ſecuriorem putamus contrarias leges, maxime ſi is locus, quem continentiam appellauimus, nos iuuat, deinde ſcriptum & ſententiam, ratiocinatio uiribus tertia, quarta ambiguum eſſe uidetur.* Nam *in ſcripto & ſententia multò maiorem uim lex habet, quàm aut in ambiguo, aut in ratiocinatione.* Hic *enim aut non ſcriptum*

** accuſatoribus.*

Deprecatio ſtatus non eſt.

ad ſcriptum confertur, aut ipſa ambiguitas ancipitem quoque totam cauſam plerunque reddit: ibi tota lex, hoc eſt, ſcriptum & intentio ſua profertur. quare ſcriptum & ſententia iure ambiguo & ratiocinationi anteponitur, cui contrarias leges * prætulimus, & propter continentiam, qui locus, quando inuenitur firmiſſimus eſt, & quoniam duplicem ex ſcripto & ſententia ſtatum in contrarijs legibus uerſari, latius in ſecundo docuimus: quòd ſi tam legitima quàm iuridicialis cauſam amplectitur, legitimam in primis ponendam nemo neſcit. Quanto enim ratio quæ lege nititur ea ratione firmior eſt quæ à lege parum ſuffragationis mutuatur, tanto in principalibus ſtatibus legitimam iuridiciali potiorem putamus. Hanc ergo diſpoſitionem conſtitutionum ex ipſorum ui ſtatuum eſſe cenſemus, poteſtate uerò * ipſius cauſæ, unam præcedere, alteram ſubſequi dicimus, quum ex ui & natura negotij, hæc principalior, illa ſecundaria eſſe uidetur. Principalior eſt, quam ſi tollas tota cauſa fluctuare uidetur. Secundaria eſt, quam etiam ſi remoueas, nihilo tamen minus defendi poſſe cauſa uidetur, ſed hæc clarius exemplo poſito patebunt. Lex, portas urbis noctu aperire capitale ſit, non parua captiuorum multitudo tempore belli ad portas urbis confugit, non aperuit Imperator, ab inſequente hoſte omnes trucidantur, accerſitur iniuriarum in rempublicam, remouet in legem, utitur coniecturali, inſequentes hoſtes irrupiſſent, ex qua infert comparationem, ſatius feciſſe, quàm ſi apertis portis hoſtibus ciuitatem tradidiſſet: adducit conceſſionem, Ignoraui futuram cædem eorum. Relatione etiam niti poſſet, ſi dicere auderet, eos iure cæſos, qui capi ſuſtinuiſſent. Hic ſi legem auferas, in quam transferri poßit, reliqua ita euaneſcunt, ut uix ſuſcipi defenſio poßit: ſi cætera diruas omnia, ac ſolam remotionem relinquas, defenſio

* poſtulimus

* totius

Principalis diſpoſitio conſtitutionum.

Secundaria.

*ſio firmior eſt: quare hac in cauſa remotio, quã principaliorẽ eſſe conſtat, primo tractabitur, ſecundarias poſtea ponemus, quas per obſiſtentiam clari oratores ſemper ferè inducere ſolent. Ipſas uerò ſecundarias, ſi multæ ſunt, hoc etiam ordine gubernabimus. Firmior enim ſemper priorem locum obtinebit. At poſtremo tanquam orbe facto, quod nõ ſemper neceſſe eſt, in principaliorem redire licebit. Si deprecatione uti uolemus, eam omnium ultimam collocabimus: non ſolum, quia omnium infima, ſed etiam quia affinis commiſerationi eſt: neque quoniã *infima, eſt repudianda, ſi minus pura profertur: nam neque uim ſuam amittit, & aliorũ aſciſcit. Si igitur principalior aliqua ex ui & genere ipſius negotij queat ut docuimus inueniri, eam ſemper primam locabimus: Si non, quæ ex ui & natura ipſorum ſtatuum principalior ſit, ac firmior, eam primã ponemus, ut in propoſito themate, ſi legem tollas, comparatio prima remanet. Nam coniecturalis hic non principalis, ſed acceſſoria eſt. Huiuſmodi uerò ſtatus etiã ſi firmior ſit, tamen principali ſemper cedere iure uidetur. Firmiſſimi enim loci uim qua tota cauſa abſoluitur, principali ſtatui confert. Quare ſi ita oratio diſtribuitur, ut acceſſoria præferatur, quod exempli cauſa, non quòd ſic eſſet, ſed ut res facilius comprehenderetur, nos ſuperius fecimus, nón tam ſtatus ad ſtatum collationem, quàm ad caſum temporis diſtributionem eſſe dicemus. Si legem ergo tollas, comparatio prima remanet, deinde relatio ſequitur. Poſtremum conceſſio ſibi locum uendicat, quibus breuiter tractatis, ad principalem poſtremo redibimus, quòd ſi non iniuriarum, uerum proditionis quis imperatorem accuſet, principalis quidem coniecturalis eſt. In comprehenſione autem quum à ſigno ſuſpicionem confirmamus, cæteræ incidunt, quas quum ordine ſuo tractaueris, ad reliquos coniecturæ locos redibis. Hac ex re illud etiam habetur,*

*infirma

betur, poſſe oratorem quamuis unica res uideatur, alia atque alia uti propoſitione, quæ totam immutet cauſam. Non *enim ſolum remotionem ac coniecturalem, ſed diffinitionem etiam paululum commutata propoſitione in propoſito inuenies themate. Quibus omnibus conſideratis, grauis oratoris ducimus, quum acriter quid omnes circunſtantiæ flagitent perſpexerit, id intelligere quod ex re ſua eſt, idem etiam reo faciendum putamus. Hæc res plurimum ualet quum quæſtione premimur: poterimus enim à difficilioribus ad faciliora nobis cauſam deriuare, & totam cauſam ita permutare, ut hoc non hoc agi contendamus, ſi multitudine firmamentorũ cauſa multis ſtatibus uaria eſſet. Pari ratione duplex nobis erit diſponendi ratio: nam aut ex ui negotij præſtantiorem ſi ea inuenitur, aut natura ſui principaliorem anteferemus, deinde per obſiſtentiam cæteris tractatis ad primum redibimus. Hoc enim pacto & à firmiore nõ recedemus, & ſi quid aliud utile reperitur, non prætermittemus, hoc non defenſor ſolum, ſed accuſator etiam ſi poteſt obſeruabit. Dixi autem ſi poteſt, quoniam ut plurimum accuſator defenſorem ſequi cogitur. Maximam calamitatem & iniuriam reipub. intuliſti, nõ ego, ſed lex: hic etiam accuſatori ad remotionem & legitimam ueniendum eſt: quòd ſi diceret, non eſt hoc inferre iniurias, ſed conſeruare. Prohibui enim ne uno impetu ciuitas ab inſequente hoſte caperetur, ad diffinitionem, quæ coniectura abſoluitur, accuſatorem quoque rapi neceſſe eſt. Præter hæc omnia quæ dicta ſunt, unum adhuc reſtat diſpoſitionis artificium: quod tum adhibendum eſt, quum tam ex ratione, quàm ex firmamento ſtatus oriuntur: difficile omnino inuentu eſt, maxime ſi plures rationes, multa firmamenta & ſtatus uarij ex utraque parte inueniantur, quid fieri debeat tamen dicam, quod me ſummi oratores, à quibus nunquam ſeceßi,*

Artificiũ diſpoſitionis in primis animaduertendum.

per

*per orationes ſuas docuerunt: & dicam nõ pluribus, ſed quàm pauciſsimis, ut rem tam difficilem quiuis facile memoria tenere poßit. Vterque prius ſua, poſtremo aggredietur aliena, quod ut quale ſit percipiatur, latius exponemus. Omnis ſtatus inter accuſatorem & defenſorem uertitur. Defenſoris depulſio, præter quàm in coniecturali, ratione confirmanda eſt, hæc ratio ab accuſatore plerunque infirmatur, & ſtatum qui naſcitur ſuum, id eſt, accuſatoris appellamus: qui ex firmamenti depulſione procedit, ſuum defenſoris. Nam quum depulſio ſtatum faciat, eius ſtatum appellare placuit, cuius ex depulſione proficiſcitur. Accuſator igitur eum primo ſtatum occupabit, qui ex rationis depulſione naſcitur: eum poſtremo collocabit, qui ex * deprecatione firmamenti procedit, qui ſi multi ſunt, ut ſuperius diximus diſponentur: defenſor contrà ex depulſione firmamenti profectum primo, deinde ex rationis ſuæ deprecatione ſtatum collocabit. Vterque igitur prius ſua, poſtremo aggredietur aliena. Interfeciſti Clodium Milo: interfeci, ſed iure: ex inſidijs enim ad me interficiendum impetum fecit. Imo tu illi inſidias ſtruxeras. Coniecturalis eſt, quæ quum ex depulſione rationis naſcatur, primo accuſatori tractanda eſt. Afferuntur deinde alia * argumenta contra hanc rationem, ex quorum depulſione ſtatus naſcuntur. At nullo modo hominem interficere licet. At ſenatus iudicauit cædem factam in Appia uia contra rempublicã uideri. At Pompeius hac de re, ut quæreretur tulit, hæc repellenda defenſori ſunt. Imo multis modis occidi iure homo poteſt, & ſenatus de re, non de cauſa iudicauit, & Pompeius cùm cõfiteamur occidiſſe, nõ rem, ſed cauſam quæri iußit: hæc poſt coniecturalem tractanda ſunt accuſatori, quorum neceßariò præcedit quod firmius eſt, ſcilicet quòd nullo modo licet hominem interficere, deinde ſenatus iudicium autoritati*

*depulſione

*firmamenta

toritati Pompeij antefertur: hæc & defenſori hoc ordine diſponenda ſunt, ſed ante coniecturalem. Nam uterque id prius ponit quod ex depulſione quam ipſe facit, naſcitur: hanc differentiam ubique obſeruare diligenter in huiuſmodi cauſis Ciceronem inuenies. Quare ſi nullam aliam, niſi autoritatis eius rationem afferrem, abunde, ut arbitror, eſſet dictum: Nunc & autoritatis eius pondus & aliorum uſus & ratio rem claram faciunt. Neminem enim dubitare arbitror utiliſsimum eſſe in diſceptando, ea quum deſinamus, in animis auditorum relinquere, quæ noſtras, non quæ aduerſariorum rationes complectuntur. Illa enim ita utiliora nobis ſunt, ut aduerſarijs hæc. Vnicuique enim utilius in dicendo illud eſt, rationis ſuæ eſt. At rationes noſtras id complectitur, quod ab aduerſario depellitur: id ergo nobis in animis auditorum relinquendum eſt, quod natura ipſa duce ita fieri debere, breuiter demonſtrandum. Etenim in ſtatibus, niſi qui tua depulſione continetur abſolutus erit, quod tu aut ratione aut firmamento intendis, locum habere non poterit, ut in propoſita re, niſi ad Milonem primo reiectis inſidijs, potentius cætera accuſationem corroborare non poſſunt. Iniquum enim uehementer intellectu, auditu abſurdum, dictu improbum uidetur ei præclarè negare defenſionem, in quem impetus factus ſit, ſed inſidijs in eum reiectis, uis aliorum ita creſcit, ut uix ſuſtineri à defenſore poſsit, niſi commutetur. Ex altera etiam parte nihil proderit, Clodium inſidiatum fuiſſe comprobare, niſi prius aliter cætera quàm ab aduerſarijs dictum ſit, ſe habere confirmaueris: ita fit, ut & firmiora in extremis ſint, & ordo certus conſeruetur, quum à ſtatibus tuis ad rationes tuas ſerie aſcendas: Hoc ergo ſi unà cum cæteris conſeruaueris, & mirabilis orator in diſponendo futurus es, & quoniã hæc natura duce fiũt,

omnem

omnem etiam ſuſpicionem artificij fugies. Stulti enim ſunt, qui rhetoricam contemnunt, quoniam, quum ars appareat, minus autoritatis orator habet, ac ideo non adhibendam cenſent artem, ne contemnaris. Nam iudicio meo nil magis artem celat, quàm arte recte uti. Nihil magis artificioſam facit orationem uideri, ac ideo abijciendam, quàm arte uelle uti, quum recte neſcias. Nunc quoniam in tanta uarietate rerum, ac multitudine ſtatuum accidere poteſt, ut de loco narrationis ambigatur, breuiter id quoque aperiendum eſt. In huiuſmodi ergo cauſis, ad quem ſtatum narratio pertineat, diligenter conſiderandum eſt. Quod quum inueneris, de loco ſuo nõ dubitabis. Eſt enim locanda ante quàm confirmationem confutationemq́; aggrediamur, quæ ex eo ſtatu nobis affluit: & ſi diuiſione in eo ſtatu utendum putaueris, ipſam quoq; diuiſionem antecedet, ut pro Milone Cicero, quum ſibi primum explicandum eſſet, multis de cauſis iure cædi hominem poſſe, narrare non potuit. Nulla enim ad hoc abſoluendum ex cauſa narratio incidit. Senatus, & Pompei autoritas quò tenderet, demonſtranda nulla narratio deſyderatur, à quo ſactæ inſidiæ aperiendum, prius narrandum erat. Neque enim aliter inſidiæ niſi ipſarum perſonarum & negotij ui comprobari poterant. Quare (ut diximus) conſiderandum eſt quis eorum ſtatuum, aut nullo modo, aut difficile abſolui poßit, niſi prænarratum fuerit, & ei narrationem accommodandum. Quòd ſi plures narrari poſtulent, id eſt, ſi ſinguli ſtatuum diuerſam quandam narrationem habeant (poteſt enim & hoc accidere) unicuique idoneam narrationem commodabimus. Verum quoniam ea de diſpoſitione ſatis dictum eſt, quæ ex* conſtitutione artis proficiſcitur, nunc breuiter de ea dicamus, quæ communiter ad caſum temporis accommodata eſt, neque enim plura dici poſſunt. Nullam enim aut*

paruam

Artem celando, arte uti.

Ad quos ſtatus narratio pertineat.

*rationem

Singulos ſtatus peculiares interdũ requirere rationes.

*Inſtitutione

paruam caſus eſſe doctrinam neceſſe eſt. In quo etſi artificioſa diſpoſitio mutetur, & à præceptis artis diſcedere uideatur, non fit tamen id ſine magno artificio. Quippe orator non rem ſolam qua de agitur, uerum perſonas, tempus, cæteraſq; circunſtantias conſiderat, qua de re ſæpe accidit, ut quum ipſius rei ordinem propter auditores aut anguſtias temporis, cæteraq; huiuſmodi ſeruare non poßit, artis præcepta ſic negligat, ut quum maxime deſpicere uideatur, tum maxime iudicio meo conſeruet. Summum enim præceptum artis eſt, à quo cætera omnia tanquàm ex fonte effluunt, ex cauſa omnia inuenire, & inuenta ita diſponere, pronũciare, ornare, ut ipſa cauſa poſtulat. Quas ob res Ciceronem ſecuti, non ideo ab inſtitutione artis hunc modum diſiunximus, quòd ei oppoſitus ſit, aut ita diſcrepans ut quædam ſub genere diſtinctæ ſpecies, ſed ut certiorem præceptorum rationem, ac clariorem præberemus. Quid enim magis artificioſum, quàm ſi uehementer aures auditorum obtuſæ uidebuntur, animiq; defatigati ab aduerſarijs multitudine uerborum, principio ſuperſedere, cauſam à narratione exordiri? aut ſi perſuaſi fuerint audiendo, ab aliquo firmo cauſæ noſtræ adiumento, aut ab huiuſmodi argumentatione, quæ firmißimas aduerſariorum rationes debilitet? Præoccupamus enim hoc pacto animum auditoris, & ſe temere potius aſſenſiſſe credit, quàm nos ſine ratione ea aduerſarij argumenta, quæ noſtram cauſam uehementer lædere exiſtimet, magno animo & fidenti aggredi. Atque in hoc maxime fallitur auditor, quòd quum crediderit nos firmißimis rationibus irritatos, ad rem ipſam contemptis exordijs peruenire, nos ad principij ſententiam relabimur ſenſim, quod tamen ſemper neceſſe non eſt. Eſt etiam quando confirmationem poſt exordium ponimus, & probabili quadam argumentatione tractata ad narrationem reuertimur: quod

Quãdo à principio abſtinendum.

Quando exordium ante confirmatione, & deinde narratio.

tunc faciendum eſſe arbitror, quum narratio parum probabilis ſit: ad hæc nonnunquàm ita accidit, ut acceſſorius ſtatus principaliorem anteueniat, incidens aut præoccupetur, aut poſtponatur. Principales quoque dico commiſceri ſic poſſe, ac maxime ſi locos finitimos atque conſimiles habeant, ut legitimæ ferè omnes & aſſumptiuæ, & cum his diffinitio, ut nunc ex iſtius, modo ex illius loco uiciſsim arguatur, qui naturam ſtatuum & uſum oratorum nouerit, non negabit.

* nunc His ergo & huiuſmodi commutationibus* non ex inſtitutione artis,* nec ſine arte quum tempus poſtulat utemur. Nec grauarer hic latius exponere, quando hoc aut illud ex conditione temporum nobis faciendum ſit, niſi putarem adeò inexplicabilem hanc eſſe præceptionem, ut melius poſsit unico uerbo, quàm longa oratione intelligi: nam quum caſus certo numero colligi non poſsint, id ſolum dictu ſufficere uidetur, orationem ad caſum temporis accommodari debere. Præterea hæc diſpoſitionis pars grauitatis præceptis potius quàm diſpoſitionis continetur: grauiſsimi enim oratoris munus eſt, temporibus, cauſis, rebus, perſonis, poſſe orationem accommodare, quibus ut infinitis ſuperſedeamus, ac de memoria dicere incipiamus, nam de diſpoſitione ſatis dictum putamus. Explanatum eſt enim, quòd ad caſum temporis accommodari ſæpe debeat oratio: demonſtratum eſt quid oporteat ex inſtitutione artis in ſimplici cauſa fieri: dictum, duplicem aut quæſtionum multitudine aut ſola conſtitutionum fieri,

Dictorum repetitio. huiusq; ultimæ tres partes dictæ ſunt. quarum ultimam in duo diuidi præceptum eſt. Quare quinque modis duplicem cauſam fieri poſſe declaratum eſt, quæſtionum multitudine, rationum uarietate, diuerſitate firmamentorum, firmamenti depulſione, incidenti ſtatu. Nulla ergo erit cauſa, quam non optime diſtribues, ſi memoriæ cuncta teneas, quæ nobis ex

uſu oratorum præcepta ſunt.

DE MEMORIA.

MEmoria duplex eſt, naturalis, & artificioſa. Naturalis *eſt, quæ noſtris animis inſita ſine inductione artis ſimul cum cogitatione naſcitur.* Artificioſa *eſt eadem ipſa naturalis, inductione quadam & ratione præceptionis & firmata & amplificata, hæc artificioſa naturalem uehementer iuuat.* Quare *quemadmodum in cæteris rebus niſi naturam arte confirmauerimus, egregium quid conficere non poſſumus, ſic naturalis memoria, niſi artificio nitatur, egregia eſſe non poterit.* Huius *igitur artificij duæ ſunt partes, loci & imagines: locos dicimus, ut fornicem, angulum, feneſtram, & alia quæ his ſimilia ſunt.* Imagines *ſunt notæ quædam & ſimulachra eius rei, quam meminiſſe uolumus, quod genus, equi, leones, aquilæ, quorum memoriã ſi uoluerimus habere, imagines eorum certis in locis locare oportebit.* Locos *commode comparabimus, ſi dabimus operam, ne in celebri, ſed in derelicta regione conſtituantur.* Frequentia *enim hominum, ſimulachrorum figuras conturbat.* Item *ſi curabimus, ut diſsimiles ſint.* Nam *ſimiles bene & diſtincte teneri non poſſunt.* Magnitudine *etiam mediocres, ſimiliter luce ac interuallo eſſe oportet.* Item *quintum locum egregie ſignabimus, ut facilius omnium locorum numerum memoriæ habeamus.* Multos *habere etiam conuenit, ſi multorum meminiſſe uolumus: & ne multitudo confuſionem faciat, ordine omnes diſtribuemus.* Fingere *etiam locos non poſſe, multi autores ſunt.* Quum *ergo locos nobis conſtituerimus, crebra meditatione oportebit memoriæ eos commendare, firmiterq; retinere.* Nam *imagines quidem delemus, & nunc alias, modo alias nobis confingimus, atque collocamus:* Locos *autem eoſdem eſſe ſemper neceſſe eſt: ſed de locis ſatis, nunc de imaginibus dicere*

Duplex memoria.

Artificialis memoriæ partes.

Loci memoriæ.

Imagines. *incipiamus. Imagines duplices ſunt, unæ rerum, alteræ uerborum: rerum ſunt, quum ſummatim ipſorum negotiorum ſimilitudines comparamus, ac ut negotium expetit, aut una nota, aut pluribus res tota comprehenditur. Verborum imagines constituuntur, cum uniuſcuiuſque uocabuli ſimulachra notantur. Imago igitur omnis aut ſimilis omnino eſt, ut ſi eum in loco conſtituis, cuius nomen uelis: aut omnino diſsimilis, quæ tamen habet aliquid, ex quo id in memoria remanet quod uolumus, ut ſi Aethiopem in loco poneres apertis labijs dentes oſtendentem, quò albi recordari poſsis, aut ſi quid ex eo quod ſibi omnino eſt oppoſitum recorderis: aut media, quæ partim ſimilis, partim differens eſt, ut Martinus Martius, pomum promum pronum. Præterea eius imaginis, quæ omnino diſſimilis eſt, aut translatione, aut geſtu, aut ſcriptura, aut*

Translatio. *conſuetudine locatio fieri ſolet. Translatio eſt rei propter proprietatem ſuam, quæ ſimilitudinem facit, pro re aliqua tranſumptio. Et quoniam unius rei plures habemus nonnunquam proprietates, una res pro multis accipi poteſt. Qua in re mihi placet, aliquid etiam addi uel detrahi, ne confuſio fiat, ut ſi leonem modo pro regno, modo pro fortitudine loces, & nunc corona caput eius exornes, nunc pedem dextrum, quo plurimum poſſe dicitur, extendentem imagineris. Geſtus eſt rei quam meminiſſe uolumus actio idonea, ut ſi quem uitrum mandere concipias animo, ut fatui uocabulum teneas.*

Scriptura. *Scriptura eſt quum literarum imagines, quibus in locis tanquàm in chartis ſcribamus, ad placitum confingimus: qua in re licet aliqualem ſeruare & non ſeruare ſimilitudinem, ut aper uel mus pro a litera, uel pro m. Sed impoſitio quæ aliquam uocis ſimilitudinem tenet, ubique laudabilior eſt. Facilius enim etiam imprimitur & retinetur, quamuis & eam, quæ ſibi oppoſita eſt, non ſemper fugiendam iudicemus.*

Conſuet

Conſuetudo eſt,quum aliquis pro ea re ponitur, quam facere aut dicere ſæpe ſolitus eſt,ut quum pro minis crebro minantem ponimus,iracundum pro ira, deditum ſtudio pro literis,aut pro uerbo uel re aliqua,eum qui plurimum huiuſmodi uocabulo ſolus utatur, unde & præſtantia quadam cognominantur, ut apud T.Liuium ſæpius,præter quàm quòd & Ciceronem pro rhetorica, Ariſtotelem pro philoſophia, quorum ſimilia multa noſtris quoque temporibus reperiuntur. Hic modus non partim ſimilem, ſed omnino diſsimilem reddere imaginem dictus eſt, quoniam non iracundum pro ira ponimus, ſed L.Syllam uerbi gratia, iracundum:non enim adiectiua capimus, ſed certos,& nobis notos,quibus adiectiua accidunt. Certius enim ubique reor, notum quàm ignotum, hominem quàm aliud animal, animatum quàm inanimatum ponere. Quare notum tibi hominem quum nulla ſit res, quam illi attribuere non poſsis, ſemper fermè locabis. Ad hanc conſuetudinem reducimus etiam quæ ceu ſigna rei cuiuſpiam accipiuntur,ut tuba pro bello,gladius cruentus pro cæde. Ad hoc, ne longiores in diuidendo ſimus, effectum quoque pro cauſa, ut fumum pro igni,& econtrà ponimus. Nihil enim ad præceptionem attinet, ut plurimum'ne, quod conſuetudinis eſt, an ſemper aliquid fiat, quod naturæ putamus. Dum enim uiam inuenias,qua rem memoria teneas,nihil intereſt ſi conſuetudinem appellas,per quam uel Cicero,uel natura ſic ſoleat facere. Ex parte autem ſimilis imago, ſi eius ſimilitudo ſufficere non uideatur,quatuor modis ſimilior effici poterit,additione, ſubtractione, tranſpoſitione, mutatione. Additione, ut ſi pro cereali,ceræ addas alas.Et ſi Alexãdri Macedonũ regis meminiſſe uelis,Alexandro cuipiam ex macello capiti coronam imponas,aut omnino ſi rei uni aliam ſuperponis,ut ex duobus uel pluribus uocabulis unum colligas. Subtractione,quum rei Conſuetudo.

 aliquid

aliquid ita ſubſtrahis, ut uocabulo ſuo ſubſtracto, eſſe uelis. Eiuſmodi *ſubſtractionem, aut ex principio & ſummitate rei, aut ex fine, hoc eſt, infima parte, aut ex medio fieri neceſſe eſt, ut ſi* Iacobum pro Iacob *ponis capite contecto, quæ res ultimam ſui nominis partem ſubtrahi tibi ſignificet, aut pro* iabus *lumbos ſuccinctum, aut pro* cobus *uoce, pedes truncum.* Hinc *in cæteris animalibus, aut capitis, aut poſtremæ partis, aut mediæ, aut duarum quarumuis partium, ſic pellis detractio fiat, ut ne eiſdem integris in quauis parte corporis ſuperſedere, ac infigi quædam intelligantur, quod genus ex cane*
* ius *medio contecto, aut pelle priuato, utrumuis ea, uel* uis tibi præbet, cui incolumi atq; aperto, ſi columbus inſidet, inarticulatam iniectione conficiet uocē, qua in adiectione ſubtrahi etiā ſimul poſſe aliquid manifeſtum eſt.* Non *enim ſingulis his modis ſolum, ſed etiam coniunctis, ac multis in unum coactis*
* finguntur *plurima* figuntur.* Tranſpoſitio *eſt literæ uel ſyllabæ unius uel plurimarū dislocatio.* Verum *quemadmodum ultima ſemper ferè fugienda, ita illa prior nonnunquam ſectanda, ac in re aliquid facere quod ſignificet, unde facta ſit, aut ſi quo modo tranſpoſitio uehementer conducit, ut ſi* Andreas *pro hac uoce* Anaſdre *uel* Aſandre *ponatur, uel pedem ad caput eleuans, uel caput ad pedem declinans, aut ſi è medio incipis ueſtes ad humeros ſubleuans, uel angulum ad pedes deijciens, fingitur.* Mutatio *ſimiliter ſyllabarum uel literarum eſt, ut ramus roma. Sed nimium ubiq; fugiendum aſſerimus.* His *ferè omnibus literarum imagines interuenire poſſunt, qui cum modus additionis ſit, mutationem plurimum iuuat.* Placet *enim nobis uel literæ idolo, uel quauis re, ne memoria concidat, mutationem ſignificari: quod ſi literis facimus, cauendum eſt, ne dum additio ne an mutatio ſit quærimus, confundamur.* Confuſionem *uerò, & hic & ubique cum diuerſis modorum*

imagin

imaginibus, tum, quod melius puto, diuerſo locationis genere euitabimus, ut ſi hoc recte, illud euerſum, hoc ad alterutrum laterum, illud inferius, ſuperius aliud. Semper ita locandum conſtituemus, ut ordinem pronunciandarum uocum non euertamus. Præterea ut ſuperius tactum eſt, non ſingula genera nobis ſolum inſectanda uidentur, ſed ſimul plerunque multa. Nam & * franciſtas tum & ſubtractione & additione locabimus, niſi huius nominis aliquis conſuetudine nobis* adiectum daret, & uulgus peſtoro additione in medio ſubtractione finis ex addito, & ultimæ rei, quam in ore pono,* à ſecunda litera immutatio, facile ſimul & tute colligitur. Hæc ordine omnia fieri neceſſe eſt, ut aut à dextris ad ſiniſtra, aut à ſuperioribus ad inferiora, aut econtra proficiſcantur. Verum ad ea quæ dicta ſunt, præparatas licebit tam caſuum imagines habere, id'que uel in utroque numero ſeparatim uel coniunctim, ſingulari tamen, & plurali additis ſimulachris, quaſi formarum nominis, ut puta in or, uel in ſimus deſinentium, & aliarum etiam partium per formas quidem, ſi in pauciora redigi ſolent: ſi autem id non contingit, ſingulorum neceſſe eſt ſimilitudines fingere: quamuis non ita in ſingulis occupari oporteat, ut* in uentis nihil relinquatur. Similiter numerorum non omnium, nam id infinitum eſt, ſed uniuſcuiuſque notæ numerum ſolum: poterit enim ordo ipſe ſimulachrorum, quemadmodum in ſcribendo, ita in* locando maiores numeros repræſentare, quod ſi quis faciet, ne ultimæ figuræ, quæ decem conficit, multiplicatio confuſionem reddat, centum & mille, duas apponet imagines. Sunt qui centum in numeris ſimulachra faciunt, deinde aut horum commixtione quadam, aut centum & mille notis additis, cæteros, hoc eſt, maiores numeros, qui diuiſionem habent: aut ſi ſequi uolueris*

*ab alterutrò

* francicaſtû

*adiectiuum

* à ſecunda litera in o mutata.

* ui mentis

Numerorum notæ.

* loquendo

locorum inſignia, placet enim nobis, locos inſignitos numeris apponas: ad hæc auri & argenti, æris tam maioris ponderis quàm minoris ſtabiles habebis locos, ſimilitudines, ut facilius quicquid uolueris conſequi poßis. Et quoniam multas rerum imagines ſæpe ſimiles fingi contingit, ne ſimilitudo memoriam turbet, addendo, diminuendo, mutando, forma, colore, magnitudine, ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, antrorſum, uarias faciemus: quod nos in locis quoque ne coincidant facere oportebit, non quòd melius multo non ſit, tam in imaginibus quàm in locis totum toti diuerſum eſſe, ſed quum tanta rerum copia non ſuccurrerit, ut inter ſe ſigna diuerſa ſint, ad hunc poſtremo modum, qui rebus & imaginibus differentiam affert, confugiendum eſt. Verum de artificio memoriæ iam dictum eſt.

Rerum ſententiarumq; collocatio.

Nam rerum & ſententiarum locatio facilis ei erit, qui uſu & exercitatione prona hæc ſibi & facilia reddet. Nihil enim erit, maxime ſi locos artis, ex qua quid dicitur, teneat, quod memoria non conſequatur. Locos artis quoniam diſtincte ac clare docuimus, quamuis habitu habeat, certis tamen artificij notis ſibi notos coniunctim cum rei nota notabit, quod qui intelliget & faciet, ſentiet quam ſibi utilitatem memoriæ artificium cæterorumq; clara & certa ac penè diuina præceptio conferet. Quare huius artificij uſum, quoniam multis in rebus uſui eſt, induſtria & exercitatione conſeruandum puto. Non enim hæc modo locare poterimus, quæ quum dixerimus ultro* obijcimus, uerumetiam hæc quæ in habitum nobis* retinenda citius & facilius poſtea imprimuntur. Verum quoniam certum habere numerum locorum neceſſe eſt, quum infinita penè rerum atq; imaginum copia pleni ſunt, ne priores impedimento ſimilitudines ſint, uacuos rurſus locos imaginabimur, & ut imaginatio firmior ſit, iracundum quendam hominem poſſumus fingere*

* *firmandum*
* *abijcimus*
* *reducenda ſunt, citius enim & facili.*

gere à locis omnibus ſimulachra excutere.

DE PRONVNCIATIONE.

QVoniam breuiter de memoria, quæ præcipi poſſe putauimus, conſecuti ſumus, nunc de pronunciatione pauca complectamur, de qua ita dicemus, ut quod à Cicerone ad Herennium clare ac breuiter abſoluteq; edictum eſt, hac in parte omnino ſequamur. Nam & alij, quos nos uidiſſe contigit, aut parum uel nihil potius, aut nimis confuſe de pronunciatione nobis locuti uidentur. Et ipſius Ciceronis orationes non ſicut in alijs rhetoricæ partibus, ita in memoria & pronunciatione iuuare non poſſunt. Nam inuentionem quidem, diſpoſitionem, & elocutionem, ſi cui aliquid quum artificij, tũ mentis ineſt, multo copioſiorem, ordinatiorem elegantioremq́; conficiet, ſi ex orationibus eius præcepta ſibi proponat, quod nos in hoc libro fecimus, quàm ſi ad ea præcepta ſolum quæ ipſe ſcripſit, tanti uiri orationes omni refertas artificio, uelut redigere. Paruam enim in ſcribendis præceptis operam dedit, ſed in orationibus componendis magnam diligentiam præbuit, propterea quòd illud rhetoris & facile, hoc oratoris & difficile ac dignũ cui inſudaret putauit. Quamobrem nemini dubiũ eſt, orationibus Ciceronis nihil artis deeſſe, in præceptis, artis quædam ſolummodo principia edita eſſe. Verum ut tres reliquæ partes orationibus ſuis elucubrãtur, ita memoria & pronunciatio nihil inde præceptionis haurire poſſunt. Nemo enim qua memoria uel qua pronunciatione cauſam egerit, aut dixerit in legenda oratione perſpicere poteſt. Præterea noſmetipſi pronunciationis præceptum aliquod, ut in cæteris noſtra exercitatione adinueniſſe, dicere non audemus. Cecidit enim iam ex conſuetudine declamationis uſus. Quare quæ à Cicerone de pronunciatione accepimus, ea exponemus eis, qui cauſas

declamitant (nam nonnullos iam quotidie id factitare inſtituimus) cætera relinquemus. Diuiditur enim pronunciatio in figuram uocis, & corporis motum. Figura uocis eſt habitus uocis ratione & induſtria comparatus, ea diuiditur in tres partes, Magnitudinem, Firmitudinem, Mollitudinem. Magnitudo & firmitudo uocis, natura maxime comparantur, arte non nihil augentur, ſed maxime conſeruantur cura & exercitatione declamationis. Oportet igitur ſi uolumus firmam per totam cauſam uocem conſeruare, quam ſedata & depreſſa in principijs uti uoce, & huiuſmodi interuallis, quæ & ſententias concinniores diuiſione reddant, & auditori ſpatium cogitandi relinquant. Hæc cum decent, tum utiliſsima ſunt: cõſeruant enim uocem ad orationis exitum, ubi maiore ac pleniore uoce opus eſt, hæc & ſuauitudini uocis ſeruiunt. Auditores enim plurimum uarietate delectant, & firmitudini proſunt. Conſeruant enim uocem ſedata principia, interualla uocem reficiunt, & firmant. Præterea uocis acutas exclamationes uitabimus. Lædũtur enim arteriæ clamore nimio, & ſplendor uocis uno clamore conſumitur. Quare ſedatis principijs, interuallis idoneis, exitu eleuatiore, nullis acutis exclamationibus utemur. Varietas quoque uocis & commutationes & ad firmitudinem & mollitudinem ualent plurimum. Quare uariare oportet: uarietatis modum, nunc ſimul, nunc cum mollitudine intelligemus. Mollitudo uocis, quæ tota ad rectoris præceptionem pertinet, in tres partes diuiditur, in ſermonem, contentionem, amplificationem. Sermo eſt oratio demiſſa & finitima quotidianæ locutioni. Contentio eſt oratio acris, ad confirmandum & confutandum accõmodata.

Amplificatio eſt oratio, quæ aut in iracundiam inducit, aut ad miſericordiam flectit animum auditoris. Sermo in partes quatuor diſtribuitur, Dignitatem, Demonſtrationem, Narrationem,

Pronunciationis diuiſio.

Mollitudo quibus conſtet.

Sermonis partes.

tionem, locationem. Dignitas eſt oratio cum aliqua grauitate. Demonſtratio eſt oratio, quæ docet quomodo quid fieri potuerit, aut non potuerit: ea in confirmatione & confutatione ut plurimũ inuenitur. Narratio eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum expoſitio. Iocatio eſt oratio, quæ ex aliqua re ueriſimili riſum pudentem, & liberalem poteſt comparare.

Contentio diuiditur in continuationem & diſtributionem. Continuatio eſt orationis annunciandæ acceleratio clamoſa. Diſtrubutio eſt oratio frequens in contentione cum acri uociferatione, compenſatis interuallis. Verum tota contentio, quãuis & in alijs partibus orationis inueniri nonnũquam poteſt, à contentione tamen abeſſe non poteſt. Nam etſi confirmatio & confutatio omnia ſermonis ac amplificationis genera ſuſcipere poſſunt, contentionem tamen tanquam propriam non dimittent. Quare quicquid in concertatione dicetur, quod ſermonis ac amplificationis genera ſubterfugere uideatur, id totum placet per contentionem pronunciari. Amplificatio concluſioni quidem aptiſſima eſt: ſed alijs etiam partibus plerunque commiſcetur, ea in cohortationem & conqueſtionem diuiditur. Cohortatio eſt oratio, quæ aliquod peccatum amplificans, auditorem ad iracundiam concitat. Conqueſtio eſt oratio quæ incommodorum amplificatione animum auditoris ad miſericordiam flectit. Quoniam igitur ſermo in quatuor, contentio ſimul cum amplificatione in alias quatuor partes diuiſa eſt, harum octo partium, quæ cuiuſque idonea ſit pronunciatio demonſtrandum uidetur. Sermo cum eſt in dignitate, plenis faucibus quàm ſedatiſſima uoce uti conuenit, ita tamen ne ab oratoria conſuetudine ad Tragicam uocem tranſeamus. Hac qualitate uocis pronuncianda eſt, quæ de natura rerum, quæ de moribus aut de republica habetur oratio, & omnis earum rerum expoſitio, quibus

Contentionis partes.

Amplificationis diuiſio.

Sermo qua pronunciatione cõſtet.

*eius ipſius qui dicit uirtus quædam & dignitas aperiri uidetur, quale eſt illud Ciceronis, Me autem quid pudeat, qui tot annos ita uiuo, iudices, ut à nullius unquam me tempore, aut commodo, aut otium meum abſtraxerit, aut uoluptas auocauerit, aut denique ſomnus retardauerit. Et illud in eadem pro Archia, Nullam enim uirtus aliam mercedem laborum periculorumq; deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ. Quum autem eſt ſermo in demonſtratione, uoce paulum attenuata, crebris interuallis & diuiſionibus oportet uti, ut ipſa pronunciatione eas res quas demonſtramus, inſerere atque interſecare uideamur in animis auditorum. Quale illud pro Milone, Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria belua docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe. Itaque illud Caßianum cui bono fuerit in his perſonis ualeat. Quum * ergo ſermo in narratione eſt, tum uocum uarietate opus eſt, ut quo quidque pacto geſtum ſit, ita narrari uideatur: ſtrenue quod uolumus factum, celeriuſcule dicemus. At * illud otioſe retardabimus, deinde acriter, modo tamen clementer, * modeſte, hilariter in omnes partes commutabimus, ut uerba ita pronuntiationem, ſi qua inciderint in narrationem dicta, rogata, reſponſa, ſi quæ admirationes, de quibus narrandum ſit, diligenter animum aduertemus, ut omnium perſonarum, de quibus narramus, ſenſus atque animos uoce exprimamus. Sin erit ſermo in iocatione, leuiter tremebunda uoce cum parua ſignificatione riſus, ſine ulla ſuſpicione nimiæ cachinnationis oportebit à ſermone ad liberalem iocum ſeriò uocem detorquere. Quum autem contendere per continuationem oportebit, adaucto mediocriter ſono uocis, uerbis continuandis uocem quoque iungere oportebit, & torquere ſonum, & celeriter cum clamore uerba conficere,*

*uerò

*aliud otiore

*mœſte,

Contentionis pronuntiatio.

ut

*ut uim uolubilem orationis uociferatio conſequi poßit,quod ut clarius quale ſit pateat,unum aliquod,uel alterum ab oratore exemplum ſumamus.*Per continuationem ergo illud pro P. Sylla pronunciandum eſt, Quid ſi hoc non poſtulo, ſi ille labor meus priſtinus, ſi ſolicitudo, ſi officia, ſi operæ, ſi uigiliæ deſeruiunt amicis, præſtò ſunt omnibus, ſi neque amici in foro requirunt ſtudium meum, neq; reſpublica in curia, ſi me nõ modo non rerum geſtarum uacatio, ſed neque honoris neque ætatis excuſatio uindicat à labore, ſi uoluntas mea, ſi induſtria, ſi domus, ſi animus, ſi aures patent omnibus, ſi mihi ne ad ea quidem quæ pro ſalute omnium geßi recordanda & cogitanda quicquam relinquitur temporis, tamen hoc regnum appellabitur, cuius uicarius qui uelit eſſe, inueniri nemo poteſt. Item in Verrem, Per deos immortales, unus ager, uno anno CCC. milia modia tritici, & præterea. L. milia lucri data Apronio, tantóne minores decumæ uænierũt, quàm fuerunt, an cum ſocijs magno uæniſſent, hic tantus tamen frumenti, pecuniæq; numerus, * à raptoribus per uim ablatus eſt. Quum uerò per diſtributionem contendimus, uocem ab imis faucibus exclamatione quàm clarißima adhibere oportet, & quantum ſpatij per ſingulas exclamationes ſumpſerimus, tantum ferè inter ſingula interualla ſpatij conſumere iubemus, ut illud in Verrem proferri debet, Illum uiris fortißimis iudicarunt P. conſ. dimittere de ſumma non potuiße, te mulieri deterrimæ rectè remiſiſſe ſenatores iudicabunt? Ille de quo lege populi Romani iuſſerat, ut ipſius uoluntas poſſet & eſſet pro lege, tamẽ in hoc uno genere ueterum religio legum reprehenditur, tu qui omnibus legibus implicatus tenebare, libidinem ubi tuam pro lege eſſe uoluiſti. In illo reprehenditur, quòd ex ea pecunia remiſerit quam ipſe quæſierat: ubi concedetur, qui de capite uectigalium populi Romani, remiſi

* ab oratoribus

remiſiſti ex eodem quo ſenatuſconſultum erat, hoc legato permiſſum nullo, cur fecit? coactus eſt, quis hoc dicit? tota ciuitas.

Amplificationis pronũciatio

In amplificatione per cohortationem uoce attenuatiſsima, clamore leni, ſono æquali, commutationibus crebris, maxima celeritate utemur, ut in illo tertio in Verrem, O ſcelus, ô portentum in ultimas terras exportandum. Non enim poteſt ea natura, quæ tantum facinus commiſerit, hoc uno ſcelere eſſe contenta. Neceſſe eſt ſemper aliquid huiuſmodi moliatur, neceſſe eſt in ſimili audacia perfidiaq; uerſetur.

Conqueſtionis pronunciatio.

In cõqueſtione utemur uoce depreſſa, inclinato capite, ſono, crebris interuallis, longis ſpatijs, magnis commutationibus, ut in illo pro Milone, Valeant, inquit, ualeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſiue beati. Stet hæc urbs præclara, mihiq; patria chariſſima quoquomodo merita de me erit. Ego cedam, atque abibo, ſi mihi republica bona frui non licuerit, at carebo mala. Hic illud ſciendum, nos Ciceronem ſecutos, quoniam genera uocis nuncupari commode non poſſunt, nominibus rerum pro denominanda uoce abuſos fuiſſe.

Narratio.

Nam quum narrationem dicimus, non eam ſolum intelligimus, quæ orationis una pars eſſe dicitur, ſed quicquid aut tanquàm geſtum, aut quod fieri debeat in alijs quoque partibus orationis exponitur, hac narrationis pronunciatione proferendum putamus, ut illud in Verrem quinto, Sentio iudices moderandum eſſe mihi iam orationi meæ, fugiendamq; ueſtram ſatietatem, non uerſabor in uno genere diutius, & ita cætera de oratione mea tollam, ut in cauſa relinquam: audiſtis Agrigentinorum, fortiſsimorum uirorum, & diligentiſsimorum querimorias. Exordium etiam plerunquè narrationis ferè modo pronunciabitur. Non ergo hæc quamuis quibuſdam partibus orationis conuenire uideantur, ita intelligenda ſunt, ut ibi ſolum huiuſmodi uocis habitum adhibẽdum arbitremur, ſed quæ huiuſmodi ſunt,

ut ear

ut earum partium ſententijs, cohortationi, uerbi gratia, aut conqueſtioni ſimilia ſint, ea in quacunque orationis parte inueniuntur, ſimili quodam modo pronuncianda cenſemus. Item non hæc tantummodo ſimplicia genera inueniri, ſed multa ex his compoſita, ut illud in tertio in Verrē, *Tantæ'ne tuæ* Verres, *libidines erunt, ut eas capere ac ſuſtinere non prouinciæ populi* Romani, *non nationes exteræ poßint? Tu'ne quod uideris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum præſto fuerit, niſi libidini, tuæq; cupiditati paruerit, illidentur homines, expugnabuntur domus, ciuitates non modo pacatæ, uerumetiam ſociorum atque amicorum ad uim atque arma confugient, ut ab ſe, atque liberis ſuis legati populi* Romani *ſcelus ac libidinem propulſare poßint?* Nam *hic quum cohortationis plurimum inſit, tamen oratio à continuationis uoce aliena non eſt.* Quare *ea uocis qualitas uerbis attribuetur, quæ cohortatione ac continuatione conficitur.* Et *illud pro* P. Sylla, Niſi *fortè regnum tibi uidetur, ita uiuere, ut non modo homini nemini, ſed ne cupiditati quidem ulli ſeruias, contemnere omnes libidines, non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere, in ſenatu ſentire libere, populi utilitati magis conſulere quàm uoluntati, nemini cedere, multis obſiſtere, ſi hoc putas eſſe regnum, me regem eſſe confiteor.* Nam *hic demonſtratio, dignitas & continuatio in pronunciatione commixtæ ſunt.* Demonſtratio *quoniam docet quomodo quis uere rex, quid poteſtatis ſuæ ſit exiſtimari poteſt: dignitas, uel quòd bonum uirum deſcribit, uel quòd ſeipſum naturamq; ſuam & mores quales ſint aperit.* Continuatio, *quòd uolubili quodam clamore uerba proferenda ſint.* Quare *pronunciationis uocem in exemplo abſque dubio ex his tribus ita mixtam eſſe oportebit, ut unum quid ex omnibus confici intelligatur.* Diligenter *ergo animaduertere*

uertere debemus, quid ſimplici genere uocis ex his octo, quæ dicta ſunt, quid compoſitione quorundam pronunciandum ſit, quò quidem compoſita genera, uocis ſimplicia eſſe intelligamus. Verum quoniam aliter dici non poſſunt (neque enim nomina tam diuerſarum uocum habemus, nec ſi haberemus oporteret longiores eſſe in ea re quæ facile intelligitur) compoſitione eorum, quæ dicta ſunt, cætera percipiantur. Dabimus ergo operam id induſtria exercitationeq; noſtra conficere, quod ut facile intellectu, ita factu difficillimum eſt. Nam quantum hæc res oratori utilitatis afferat, & Demoſthenes, qui Satyri cuiuſdam ludicri ſuaſu magnam in hac re operam conſumpſit, & Cicero, qui Roſcio ac Aeſopo formanduum ſe ad pronuntiationem tradidit, duo clariſſimi oratores atque ſoli hoc nomine digni, facile oſtendunt. Verum de figura uocis ſatis dictum erit, ſi id tangatur, unum etiam orationis contextum ita uaria uoce proferendum, ut initia depreſſiore, quæ ſequũtur pro qualitate rerũ maiore, clarioreq; uoce dicenda ſint. Nec enim melius aliquid aut clarius in pronuntiatione præcipi poſſe crediderim, quàm ut naturam rerum ſequamur, quæ animi quodam impellet impetu, ut alia fuſca, alia clara, nonnulla exili, quædam plena, hilari, mœſta, flebili, ridiculoſa, depreſſa, acuta, clamoſa, humili, tarda, cita uoce dicamus. Nunc de corporis motu dicendum uidetur.

Demoſthenes. *Cicero.* *Vocis differẽtia*

DE MOTV CORPORIS.

Motus, eſt corporis geſtus, & uultus quædam moderatio, qui probabiliora reddit ea quæ pronunciantur. Cõuenit igitur in uultu pudorem & acrimoniam ineſſe, in geſtu nec uenuſtatem conſpiciendam, nec turpitudinem eſſe, ne aut hiſtriones aut operarij eſſe uideamur. Ad eaſdem ergo partes in quas uox eſt diſtributa, motus quoq; corporis ratio accommod

commodanda uidetur. Nam *ſi erit ſermo in dignitate, ſtantes in ueſtigio, leui dextræ motu loqui oportebit, hilaritate, triſtitia, mediocritate uultus ad ſermonis ſententias accommodata.* Sin *erit in demonſtratione ſermo, paululum** *corpora ceruicibus demittemus.* Nam *et hoc eſt natura datum, ut quàm proxime uultus admoueamus, ſi quam rem docere auditores, et uehementer ut credant inſtigare uelimus.* Sin *erit in narratione ſermo, idē motus poterit idoneus eſſe, qui pauloāte demōſtrabatur in dignitate.* Sin *in iocatione, uultu quandā debebimus hilaritatē ſignificare ſine commutatione geſtus.* Sin *contendimus, per continuationem, brachio celeri, mobili uultu, acri aſpectu utemur.* Sin *contentio fiet, per diſtributionem, porrectionem celeris brachij, inambulatione pedis dextri, rara ſupplauſione, acri & defixo aſpectu uti oportebit.* Sin *utemur cohortatione, per amplificationem paulo tardiore, & conſideratiore geſtu conueniet uti: ſimilibus rebus atq; in contentione per continuationem.* Si *utamur amplificatione, per conqueſtionem, fœmineo plangore, capitis ictu nonnunquam ſedato, conſtanti geſtu, mœſto & conturbato uultu uti oportebit.* Sed *de motu corporis, qui cuiq; harum octo partium conueniat, ſatis dictum eſt.* In *his uerò ſententijs compoſitionibusq́; uerborum, quæ ex his quodammodo componi uidentur, non ut de uoce dicebamus, ſic arbitramur medium quendam modum inueniri oportere, qui ipſis partibus, ex quibus conſtare oratio uidetur, conſentaneus ſit.* Hoc *enim nobis non difficile factu ſolum, ſed fermè impoßibile ſemper uiſum eſt.* Neq; *ſi fieri etiam facile poßit, egregiam in eo utilitatem eſſe intelligimus.* Non *ergo compoſitus nobis motus quærendus, ſed ad id accommodandus, quod maiorem uim in oratione habere uidetur.* Hæc *ſunt, quæ de ponunciatione uir ille ad Herennium*

* *corpus à ceruic.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

nium conſcripſit,quæ inde accepta, ne quid huius artis lectores deſiderent,operi noſtro,& quidem explanatius inſeruimus,quæ omnia ille mihi conſequetur, qui ita dicit, ut animum inducat ea uidere, eáq; tangere, ipſisq; in rebus uerſari, quas oratione explanare conſtituit. Nam quum pronunciatio ad mouendum animos potiſſimum accommodetur, à motione quoque animi potiſſimum proficiſcitur. Quare nec recte pronunciabit,qui commotus non eſt, nec alios afficiet non affectus: qui uero dicendarum rerum imaginem animo concipere conſueſcit, is ſi quid exercitationis adhibuerit, mirabilem ſe in pronunciando oratorem reddet,quod in conſequendis pro pondere rerum dicendi generibus plurimum exercitato prodeſſe non negauerim.

QVARTI LIBRI FINIS.

GEORGII TRAPEZVNTII IN LIBRVM QVINTVM PRAEFATIO.

CAETERIS omnibus Rhetoricæ facultatis partibus elocutio mihi diligentius tractanda uidetur, non ſolum quoniam omnino ab artis ſcriptoribus neglecta eſt, uerum quoniam inter alias utiliſſima uideatur. Nam inuentio, quam facile primam conceſſerim,nec omnium ætatum eſt, nec rhetoris ſolummodo præceptione contenta eſt. Nam & uſum multarum rerum, & diuinam quandam complurium negotiorum memoriam flagitat, & ſecundarum aduerſarumq; re-
periculo rum uerriculo confirmatur, & legum atq; inſtitutionum ciuita

ciuitatis ſcientia, dialecticaq́; ſubtilitate iuuatur, quæ omnia rhetorica præceptione colligere omnino impoßibile eſt. Multa enim ac penè infinita ſunt, quare niſi quis multa uiderit, audiuerit, tractauerit, quid de re propoſita dicat, non habebit. Quam ob rem uix demum in ſenectute eius inuentionis copiam habere poſſumus, quæ rebus, perſonis, locis, temporibus, cauſis ſic accommodatur, ut oratori digna eſſe uideatur. At elocutio et omnium ætatum eſt, & rhetoris ſola præceptione abſoluitur: non minus enim adoleſcens ac iuuenis, ne magis etiam dicam, uiro aut ſene compoſitione, clauſula, numero, cæteriſq́; huiuſmodi ducitur. Nam ſenex ſententiarum grauitate magis, iuuenis ſuauitate uerborum delectatur. Rhetorũ autem adeò proprium eſt de elocutione dicere, ut multi fuerint, qui memoriam & pronuntiationem natura ſolum, inuentionem et diſpoſitionem alijs artibus, quibus prudentia, et ingeniũ acuitur, non rhetorica (male illi quidem, ſed quod fortaßis ſuſtentari poſſet) conſtare putarint. Elocutionem nemo unquam auſus eſt oratori eripere, hac enim efficitur, ut quum ornate, diſtincte, aperteq́; dicas, eloquens merito eſſe uidearis. Quas obres elocutio mihi cæteris rebus anteponenda uidetur, præſertim quum uideam quod inueneris, etiam ſi optimum ſit, deiectum tamen, niſi elocutione perpolitum ſit, depreſſumq́; uideri. Præterea pulcherrimum omniũ eſſe credendum eſt, ea in re cæteris omnibus præſtare, qua ipſa natura hominum cunctis animantibus antecellat. Quare ſi loqui proprium hominis eſt, eaq́; re à cæteris maxime animantibus differt, nemini dubium eſſe puto, omnium rerum, quas natura humano generi præbuit, ornatam elocutionem eſſe præſtantißimam. Nam ratio quidem ipſa, quæ in mentis intellectuſq́; abditis recondita eſt, niſi oratione fuerit eli-

Elocutionis præſtantia.

cita, tantum ſplendoris habet, quantum ignis abſtruſus in ſilice: qui, niſi ferro prouocetur, nec ignem quidem aliquis unquam appellabit. Quare ſi quàm maximum orationes noſtras fulgorem edere deſideramus, elocutionis præcepta in primis ratione percipienda, exercitatione firmanda, & uſu ita nobis faciliora conficienda ſunt, ut nobiſcum nata eſſe uideantur, præſertim quum ipſa natura, quæ in adoleſcentia ſolidiores inuentionis rationes, aliarumq; liberalium artium ſubtiliora theoremata aſſequi non patitur, ad hanc rhetoricæ partem nos inuitet. Nihil enim facilius arripitur in adoleſcentia, nihil diutius retinetur, nihil ætatem eam magis oblectat & allicit, quàm numeroſa et explicata oratio. Quid ergo rudius, quàm id contemnere, quod hominem perficiat? quid incommodius, quàm id abijcere, quod te cæteris hominibus præſtantiorem reddat? quid ignauius, quàm id non aſſequi, ſine quo uitam ducere adeò alienum ab humanitate eſt, ut ipſa natura, quo huic rei uaces, tempus tibi conceſſerit? non'ne tibi in mentem uenit, præſertim quum canes, boues, aſinos, pſittacos, ac alia huiuſmodi uel contra naturam ſuam humanas uoces aut percipere, aut proferre cogas, quàm erubeſcendum ſit, ſi ea negligis, quæ tibi natura inſita ſunt? Sed quid opus eſt uerbis? omnes ita eſſe fatentur, huic rei dandam eſſe operam non negant. Verum, neſcio quibus delicijs, quibus uoluptatibus corrupti & perditi ſic conſumunt adoleſcentiam, ut quum in maiorem ætatem peruenerint, tunc demum, quòd eloquentiam amiſerint, pœnitere eos incipiat, nec tum quidem quum uelint aliquid boni capere, queant. Nam quum uel primorum elementorum penitus nudi ſint, aut labore repelluntur, aut faſtidio abducuntur. Verum de his qui ab omni literarum ſtudio abhorrent, nimis fortaßis multa, qui uerò philoſophiam,

phiam, cæteraſq; bonas artes profitentur, ideo magis mihi reprehendendi uidentur, quòd omnis ſcientia & doctrina, niſi eloquentiæ fulgore niteſcat, ſordida quædam & aſpera, omnis dignitatis expers, autoritate nulla erecta, nulla expoſitione ornata, nullo elata faſtigio, iacet in tenebris, quod non fugit Socraticam omnem illam familiam, nec diſciplinam Stoicam, nec Academicam latuit. neq; enim facile apud maiores noſtros, tam Latinos, quàm Græcos elegantis aliquem orationis expertem inuenies, atq; ut omittam Carneadem, Critolaum, Ariſtippum, Theophraſtum, Diogenem, qui eloquentes homines tantum cæteris præſtare cenſebãt hominibus, quàm ipſi rudes homines ab animantibus diſtent, ut alios omittam innumerabiles, Platonemq́; ipſum eloquentiæ fontẽ, cæteroſq́;, qui eius ueſtigia diligenter ſecuti ſunt, Ariſtotelem illum ſummum profectò philoſophiæ magiſtrum, quem iſti ſuum principem eſſe uolunt, quem probè totis ſequuntur uiribus, quem diligunt, admirantur, amplectuntur, Ariſtotelem inquàm ipſum inſpiciamus: Quid ergo is philoſophiæ caput, & oculus, eloquentiæ'ne præcepta contemnit? At nemo, iudicio meo, ornatius, nemo diſtinctius, nemo numeroſius ſimul & grauius locutus eſt: adeo ut ſi quis deũ fingat humana oratione uti, non præſtantiore, neq; elegantiore dicendi forma eum uti, contendere auſim, qui non ſe ſolum, ſed nos quoq; docere cupiens, plura huius artis ornamenta reliquit, quàm hi qui ſeſe rhetores profitebantur. Itaq; citius quis philoſophiam ei ademerit, quàm eloquẽtiam non conceſſerit. Fertur enim in Lycio ante prandium quidem ea deambulando ſecreta naturæ explicaſſe, quæ ipſe ἀκροαματικὰ nuncupabat, poſt prandium maiore medius fidius diei parte, oratorias artes, elocutioniſq́; præcepta tradidiſſe: iudicabat enim philoſo-

Ariſtotelis laudes.

Acroamatica.

phum hominem, niſi eloquens ſit, parum aut etiam nihil ab eo differre, qui quum ſeſe diuitē profiteatur, tamen uel his communibus, quæ naturæ neceſſaria ſunt, non mediocrem inopiam patitur: & recte quidem. Nam ut qui ſe diuitem oſtētat, ſi neq; fundos ampliſsimos, nec magnificas ædes habeat, præterea ſi è calceis digiti erumpant, totumq; corpus ſordida ac feneſtrata ueſte contectū ſit, is nō modo pauper, ſed egenus omnino atq; inops habitus deridetur: Sic qui mundi ſe ambitum, rerum cauſas, cœleſtium naturam, unde quælibet fiāt, quò ruāt ſcire profitetur, niſi orationis quoq; copia tanquā auro aut gemma, exornet et illuſtret doctrinam, omni ſcientia inops uideri debet. Verum hæc aliàs latius. Nunc perinde ac pateat elocutionem rerū humanarū principem eſſe, de ea quid præcipi poſsit, diligentius cōſiderabimus, ſi hoc unum addiderimus, non eam nos elocutionē approbare, cui nulla eſt ſubiecta ſentētia uel ſciētia. Quid enim tam ineptū, tā inane, tam furioſum, quā uerba in numerū conſtructa, quibus aut nihil, aut à re qua de agitur, alienum aut leue quid ineſſe uideatur? Nam mihi quidem ſi ornatæ, numeroſæq; orationis, & rerum intelligentiæ, utrum uelim optio detur, hoc poſtremum tanquam diuinum elegerim, illud quaſi furioſum abijcerem. Verum utrunq; ſimul quum inuenitur (quod uulgo erat antiquitus, his perditis temporibus ne fieri quidē poſſe uidetur) neſcio quid perfectum, uereq; diuinum efficitur. Quamobrem nobis placet, ſi quis propter ætatem utrunq; ſe habiturū non ſperet, ſi nil aliud niſi ut ſciat quærit, cauſis rerum, uerisq; ſcientijs ei potius elaborandum. Sin reip. gubernandæ gloriam appetit, rhetoricæ incumbendum eſt: utrunque uerò fieri optimè poterit, ſi adoleſcentia huic, maturior ætas cæteris adhibebitur.

GEORGII TRAPEZVNTII RHETORICORVM LIBER QVINTVS.

DE ELOCVTIONE.

Elocutionis partes.

ELOCVTIONIS *duas facimus partes, unam, qua figuras orationis, quaſi ſyluam quandam atque materiam uniuerſam, & confuſam conſiderabimus: alteram, qua ſingulas dicendi formas diſtinctius exponemus.* Figuræ *orationis ſunt tres,* Sublimis, *quam et grauem et grandem appellamus:* Attenuata, *quam & infimam dicunt: &* Mediocris. Sublimis *eſt quæ conſtat ex uerborum grauium magna & ornata compoſitione.* Attenuata *eſt, quæ tam uerbis, quàm compoſitione uſque ad uſitatiſsimam puri conſuetudinem ſermonis demiſſa eſt.* Mediocris *eſt ſublimi humilior, attenuata grauior oratio.* Hanc *nec ultimorum, hoc eſt grauis & infimæ ſublatione, nec permixtione quadam, aut confuſione magis quàm infimæ quidem intenſione, ac incremento, grauis uerò depreſsione ac remiſsione fieri putamus.* Has *orationis figuras latè patere arbitramur.* Nam *quum grauem dicimus, quæ mediocrem excedat, eam ita intelligimus, ut & paulò grauior, et multò grauior inueniatur.* Similiter *etiam in attenuata, & mediocri fieri tunc clariſsimum erit, quum ſingula dicendi genera enodabimus.* Nunc, *ut diximus, prius de figuris agamus. Omnis figura orationis, ſententijs, uerbis, compoſitione conſtat. In ſublimi*

Figuræ ſeu characteres orationis.

Figura orationis ſublimis. ergo figura oratio conſumetur, ſi quæ dignitatem habent ſententiæ deligentur. Iſtiuſmodi ſunt amplificationis & commiſerationis ſententiæ, ſimiliter quæcunq; de deo, de rerum natura, de uita hominum, de uirtute aut uitio, de maximis rebus geſtis, de amplitudine maiorum, de liberalibus *Infima figura.* ſtudijs, & ſi quæ huiuſmodi ſunt. Infimæ figuræ ſententiæ ſunt, quæ ſic communiores eſſe uidentur, ut quiuis rem ſimilem aut eandem facile inuenire poſſe putetur. Huiuſmodi ſunt, quæ nihil habere uidentur ſubtilioris et altioris ſenſus. *Mediocres.* Mediocres ſunt, quæ communem quidem, ac omnium uſum excedere uidentur, non tamen afferunt tantum ponderis orationi, quantum illæ ſuperiores. *Verborum copia.* Verborum omnis copia tripartitò diuiditur: nam aut propria ſunt, aut innouata, aut translata. *Propria.* Propria dicimus certa quædam uocabula rerum penè unà nata cum rebus ipſis. Hæc diuidimus in *Inuſitata. Contrita.* uerba inuſitata, & contrita. Inuſitata ſunt quæ uetuſtate ab uſu quotidiani ſermonis iampridẽ intermiſſa ſunt. Contrita appellamus, quæ omnibus in ore ſunt. Inuſitata igitur & priſca grauiori orationi conueniunt. Affluit enim ſimul cum uerbis uetuſtatis quædam dignitas, atque magnitudo, quæ orationem extollit. Verum rarius collocanda ſunt, ne aut obſcuram reddant orationem, aut præparationem ſignificent, aut oſtentationis crimen nobis adducant. Sunt item quædam ita uetuſta, ut tamen ab uſu remota orationis omnino non ſint, quibus crebrius, dum magnitudini rerum conueniant, uti licet, ut tempeſtas, proles, ſoboles, nuncupari, opinari & eiuſmodi, quibus loco poſitis, grandior atq; antiquior oratio ſolet uideri. Contrita & communia infimæ figuræ accommodantur. Verum orator etiam in his delectum habebit: non enim omnibus utetur, ſed his, quæ aliquantulum à communiſſimo & peruulgatiſſimo uſu recedunt. Nam quũ omnis figura late pateat, ut diximus, etiam

in infimo genere dignitatem obtinebimus. Inter hæc alia ſunt, neq; omnino ab uſu abhorrẽtia, neq; quotidiana uerba, quæ mediocri figuræ idonea ſunt. Verum hæc non ita diffinimus, ut in graui, uerbi gratia, figura omnino uelimus uerba magni ponderis eſſe. Nam ad omnia dicendi genera, quod debere fieri dicitur, ſatis eſt, ſi ſic magis quàm aliter fiat. Præterea et grauiori orationi uerba nonnunquam cotidiana ſolũ, et mediocri grauia, et infimæ ſublimiora ineſſe poſſunt, quum compoſitione aliud quid quàm natura ſua patitur, efficiũt, ut latius paulò pòſt dicetur. Innouata uerab dicimus, quæ ab eo q dicit gignũtur, aut aliqua ex parte conformantur. Innouati uerbi ratio multiplex eſt: nam aut additione uariatur, quæ uel in principio, uel in medio, uel in fine, uerbo aliquid addat, ut ſi quis, ut amarier, ut legier dicebatur, ſic addere quicquam alijs uerbis auderet, quod uitiũ in Latinitate putamus, aut detractione ſimiliter, quæ tamen in medio, uel uulgo fieri ſolet, ut cõpoſtus, periclum, amaſſet pro amauiſſet, amat pro amauit. Rarius et poëticæ licẽtiæ, aut compoſitione, ut uerſutilocus, quorum omnium maiorem licentiam poëtæ poßident. Orator rarius etiam, quàm priſca uerba ex ſeipſo conficta confirmatáq; ponet. Nam ut orationem extollunt, exornantq; ſi raro & loco ponuntur, ita ſi crebrò, & præter quàm res petit, collocantur, turgidam inflatamq; reddunt. Quare ne ſatietas fiat, licet nunc hoc modo, nunc illo uerba in ſublimi oratione innouare, quod ut facilius fieri poßit, modos quibus quodammodo uerba innouantur, & transferuntur, latius explicemus. Affert enim hic locus & grauitatem & copiam. Innouantur igitur uerba maxime fictione, deinde deriuatione, & tropis, quos motus quidã Latinè appellarũt. His enim modis plurima de nouo etiam à maioribus uerſa, deducta, & Innouata.

ficta putamus: quæ & ſi nobis ab illis accepta uſitata ſint, gratiam tamen ſuam, uerſa maxime et ficta non amiſerunt, et uim non paruam rebus adijciunt. Id ita fieri credo, quòd hæc uoce, illa ſignificatione recenti floreant, deducta ipſa deriuationis cõſuetudine, quæ tam uoce, quàm ſignificatione à principio defluant, minus habent gratiæ, & infimæ figuræ accommodatiora, niſi à primitiuis altius quid ſuſceperint. In deriuatione igitur obſeruandum, ut præceptis artis grammaticæ deductio fiat. Fictio eſt, quæ ex rei ſono quodam uocabulum trahit, ut rudentes, uagitus, mugire. Verũ deriuare rarò licet, fingere rarius. Non enim ita nouis gaudere Latinos uerbis, ut Græcos inuenio. Quare niſi neceßitas cogat, aut quod iam accepimus, minus ſignificare uideatur, his modis non innouabimus, confectis à maioribus licentius utemur. Tropus eſt uerbi uel ſermonis à propria ſignificatione mutatio. Hos multi exornationes, quos uulgo Colores dicũt, eſſe putauerũt, neq; id abſq; ratione. Nã utriſq; idem quæritur, uis et gratia: ſed quũ tropus uerſionem addat, ut à genere ſpecies differat, ſermonis tropus cõpoſitionis eſt. Verſio in uerbis, pronũtiatione, intellectione, trãslatione, abuſione, oppoſito, et antiphraſi fieri ſolet. Ac primo de his, deinde de cõmunibus, id eſt, quæ tam unico in uerbo, quàm in compoſitione fiunt, dicemus, quæ ſunt alluſio, permutatio, ſuperlatio. Pronominatio eſt, quæ rei cuidam, quaſi cognomẽ quoddã cõueniens trahit. Hæc multiplici ratione deducitur. Nam aut uſitatis conficitur uerbis, et circuitione quadã cognominat, ut ſi quis quum loquatur de Gracchis, Africani nepotes dicat, et euerſorẽ Carthaginis, Scipionẽ: Romanæ eloquentiæ principem, Ciceronem: aut ferè noui uerbi deriuatione, uel cõpoſitione, ut Plagioſippus, et Grãmatocyphon apud Demoſthenem, fit et translatione, & alijs

Græcorum copia. *Tropus.* *Colores.* *Pronominatio.* *Pro Cteſiphonte.*

alijs tropis. In laudando ergo et in lædendo, non inornatè poterimus ex animo, corpore, uel extraneis rebus pronominationē educere. Sed liberalius cæteris, fictis parcius utēdū cēſeo. Intellectio eſt, quæ à rebus propinquis et finitimis id uerbum trahit, quo poßit intelligi res, quæ non ſuo uocabulo ſit appellata. Id multis modis fit. Nam aut ab inuentore inuentum intelligitur, ut pugnatum Marte dubio dicimus, Venerem pro coitu decentius, Liberū pro uino: aut ab inuento inuentorem, aut ab inſtrumēto dominum, ut ſi quis Sariſſas pro Macedonibus ponat, aut id quod fit ab eo qui facit, & omnino à cauſa effectū, ut ferrū pro enſe: aut qui facit ab eo quod fit, et omnino ab effectu cauſam, ut pallidam mortē dicunt poëtæ, et uulnus pro telo. Oratores præcipitem iram, hilarem adoleſcentiam, ſegne ocium: aut ab eo quod cōtinet id quod cōtinetur, ut moratas urbes dicimus, epotum poculum, ſeculū felix, fabuloſam Græciam, inuictā Italiam: aut ab eo quod cōtinetur id quod continet, ut hominem deuorari, cuius patrimonium conſumitur: aut ex parte totū, ut puppis pro naui ponitur poëtice: aut ex toto partē, ut ſaucius ſat quadrupes in ſeptimo pro ceruo, et alibi etiam pro equo. Nā et genus totū quiddam eſt, et ſpecies pars: aut ab uno plura, ut Romanum et Gallum, pro Romanis et Gallis dicimus: aut à pluribus unum, ut *anhelantia pectora. Translatio eſt qua ex una re ad aliam non ſine ſimilitudine uerbum transferimus. Hæc ſumitur aut rei ante oculos ponēdæ, aut breuitatis, aut obſcœnitatis uitandæ, aut augēdi, aut diminuendi, aut exornandi cauſa, aut deniq; proprij uerbi inopia, incēſus ira, inflāmatus cupiditate, expergefactus terrore ſignificantius dicitur: breuius, Quid faciat lætas ſegetes, bello ciuitatem extinctam: obſcœnitatis uitandæ gratia, Hoc faciunt, nimio'ne luxu obtuſior uſus Sit genitali aruo

Intellectio quibus modis fiat.

**audacia*

Translatio.

li aruo & ſulcos oblimet inertes, Sed ſitiens raptat Venerem, interiusq́; recondat. Nam translationum crebritate in allegoriam excidit, quæ primum honeſtatis locum tenet. Augendi cauſa, Tum ſegetes altæ, campiq́; natantes Lenibus horreſcunt flabris. Minuendi, in gurgite uaſto. Ornandi, eloquentiæ flumina: & pro Milone, Cur (inquit) odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam gloriæ ſuæ? Translationem ſi loco adhibebimus, ornatiſsimam ſimul et grauem reddemus orationem, quamuis & figuras tres amplectatur. Nam quum neceſsitate recipitur, ab humili non recedit, & ornatum retinet, ut gemmare uites, ſitire ſegetes. Pudoris etiam habita breuitatisq́; cauſa non longe ab infima eſt: alijs ſiquidem lenius quid efficit mediocris, grauis, ſi rem extollit, aut ſi auditores exuſcitat. Ad hæc uſitata nimis & contrita, humilior, rarior, aut noua grauior. Quòd tam de intellectione, quàm de alijs ferè omnibus intelligendum eſt.

Translationis quadruplex diuiſio.

Translationem quadrupliciter transferri Græci autores ſunt. Nam quum omnes res aut animales, aut inanimæ ſint, ex animalibus ad inanima transfertur illud in undecimo, Oceanum interea ſurgens aurora reliquit: ab inanimis ad animalia in VII. Volucrẽ nubem: ab eodem ad idem: in eodem, Nec quiſquam æratas acies ex agmine tanto. Nam agmen & acies de cygnis dixit. Ab inanimis ad inanima, gemma in uitibus. In translatione cauendum, ne dura ſit, ne diſsimilis. Hoc enim maxime à ſimilitudine translatio differt, quòd illa pluribus uerbis, hæc ſingulis abſoluitur. Nam qui dicit, ut procellas, ut fretum, ita concionem æſtuare, ſimilitudinem: qui fretum & procellas concionis, trãslationem facit. Item ne turpis, ne longinqua ſimilitudine ducta, ne immodica, id eſt, ne nimium magna parua'ue ſit, uſus quoque eius modicus eſſe debet. Nam nimium frequens, tum

tædio

tædioſus, tum obſcurus eſt: continuus in allegoriam, & ænigmata exit. Verum translatio pulcherrimum orationis genus conficiet, ſi quum ſimilitudinis ei gratia iuncta ſit, in id translationis genus deſinas, à quo ſimilitudo incœperit, ut illud ad Herennium Ciceronis, Vt *hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ decedunt, ita falſi amici ſereno uitæ tempore adſunt, ſimul atq; fortuna immutata eſt, deuolant omnes.* Huiuſmodi *etiam illud eſt, cui & allegoriæ gratia permixta eſt, quod fretum, quem euripū tot motus, tantas, tam uarias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum?* Dies *intermiſſus nonnunquam, aut nox interpoſita conturbat omnia, et totam opinionem parua nonnunquā commutat aura rumoris.* Hanc *rerum conſequentiam non ſeruare, hoc eſt, ſi, uerbi cauſa, quum ab incendio incœperis, in ruinam exeas, fœdiſſimū in dicendo eſt.* Abuſio *eſt quæ facit, ut uerbo ſimili & propinquo pro certo & proprio abutamur, ut magna oratio, breuioribus uerbis, pro paucioribus, parricida non patris & matris ſolum, ſed etiam fratris.* Appoſitum *plerique Latinorum uocant, quod* Græce *dicimus* ἐπίθετον, *id eſt, quum alicui rei quaſi proprium accidens attribuitur.* Hoc *in ſoluta oratione raro utimur, niſi quum ſine appoſito quod dicitur minus eſt, ut ò ſcelus abominandum, ò deformem libidinem, ô effrænem cupiditatem.* Appoſitū *cæteris* ſimplicibus uerbi tropis, & maxime intellectione, ac translatione trahi ſolet, ut pallenteſq; habitant morbi, triſtiſq; ſenectus, & turpis egeſtas.* Dicitur *& abſq; tropo, ut* Demoſthenes *orator,* Ariſtoteles *philoſophus.* Eſt *etiam quando quadam excellentia rerum ſolum epitheton ponitur, & proprium intelligitur, quam* ἀντωνομασίαν Græce *dicimus, ut Orator,*

[Margin: Abuſio. — Appoſitum. ἐπίθετον — *ſimplicis — Antonomaſia.]

cenſeo, ut Cicero, quum ad ipſum Hortenſius in defenſione Verris, quoniam non intellexerat, quod ſibi perplexè obijciebatur, Hortenſium ſe, non Oedipum dicere, adieciſſe fertur, Atqui tu ſphinga domi habes, quod Hortenſio clara fortaßis uiſa eſt permutatio, alijs ænigna. Sciebat enim Cicero Hortenſium, ut Verrem defenderet, ſphinga ex auro magni ponderis accepiſſe. Superlatio eſt oratio ſuperans ueritatem, augendi minuendi'ue cauſa. Hæc ſumitur aut ſeparatim, ut, fluctusq; ad ſidera tollunt. Item, Romani, imperij magnitudinem à ſolis ortu ad occaſum uſque metiebantur: aut cum comparatione, & hoc uel ſimilitudine, uel præſtantia. Similitudine ſic, Corpore niueum candorem, aſpectu igneum ardorem aſſequebatur. Præſtantia, ut illud, et fulminis ocior alis. Separata per ſimilitudinem, ſi longior eſt, gratior redditur, ut Vergilius in ſeptimo, quaſi ſignis quibuſdam agilitatis hyperbole, id eſt, ſuperlatione, & quidem longiore & pulchra ſic utitur, Illa uel intactæ ſegetis per ſuma uolaret Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas. Cui alia ad maiorem rei creſcentiam additur, Vel mare per mediũ fluctu ſuſpenſa tumenti Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas. Huiuſmodi duplicatas in Verrem paßim inuenies. Exquiſita eſt ſuperlatio, quæ magnum quid unum, uel plura negat, ut maius, aut ſub aſpectum ponatur, aut inferatur, ut Vergilius in ſecundo, Non ſic quum ſpumeus amnis Exit, & oppoſitas euicit gurgite moles, Fertur in arua furens cumulo, campóſque per omnes, Cum ſtabulis armenta trahit. Cicero in Verrem, Verſabatur in Sicilia longo interuallo non Dionyſius ille, non Phalaris (tulit enim illa quondam inſula multos & crudeles tyrannos) ſed nouum quoddam ex uetere illa immanitate, quæ in eiſdem locis uerſata dici

Superlatio.

Exquiſita ſuperlatio.

dicitur. Non enim Charybdim tam nec Scyllam nauibus, quàm iſtum in eodem fuiſſe freto arbitror, &c. Superlatio ultra fidem, ſed non ultra modum eſſe debet, modus ex natura rei ſumendus, non crebrò, nec niſi res poſtulat affectanda. Fit & unico uerbo, ut illud in x 1. Aeneid. quo turbine torqueat haſtam. Turbinem enim pro impetu poſuit. Verum hæc de motibus, qui aut uno ſemper in uerbo, aut maxime in pluribus conſiderantur, ſufficiāt. Cuncta uero uerba, quæ uerſione dicuntur, præterquam ironica & ænigmatica, niſi quotidiano uſu contrita ſint, modo poſita grandem, crebrius adhibita turgidam orationem efficiunt: uſitatiora infimæ ac mediocri, ſi frequentius accipiuntur, accommodatiora ſunt, ſed eſt uſque quò hæc omnia fieri debeant. Nam ut uarietas maxime omnium delectat, ſic ſatietate nihil unquam inueniri poterit faſtidioſius. Verum omnia nobis recte conficiuntur, ſi loco & tempore fiant, & rebus diligenter accommodabuntur, qua de re quum de grauitate dicendi loquemur, plura præcipiemus. Nunc de compoſitione diſſeramus, ſi illud cōmonuerimus, plurima in motibus cæteriſq; huiuſmodi inueniri, quæ diuerſa ratione diuerſis accommodari poſſe uidentur. Item omnes, magni aliquid polliceri. ac niſi uulgo etiam uſitatiſsimum quicquam ſit, longe à ſermone recedere. Compoſitio eſt quæ facit ut omnis oratio prout genus ſuum exquirit, animū auditoris expolitione afficiat. Hanc compoſitionem cæteris, quæ ad elocutionem pertinent, longè præponendam arbitramur. Nam quum ſint duo, quibus res maximè ornantur, delectus uerborum, et compoſitio, ordine quidem delectus, ui autem et præſtantia compoſitio prima eſt: neq; hoc orationi ſolum, ſed omnibus accidere ſolet, in quibus compoſitio & delectus inueniuntur. Nemini enim dubium eſt, diuer*

*exequitur

Duo quibus res ornantur.

diuerſæ figuræ lapides, diuerſæq; magnitudinis, ac nonnullos aſperos & intractabiles ab ædificatore ita diſponi, ut non cohæreant ſolum, ſed optimam ac pulcherrimam ſtructuram conſtituant, adeò ut non facilè meliorem iiſdem ex lapidibus coniunctionem excogitare poßis. Quare oratori huic rei ſummopere incumbendum eſt, ut quibuſcunq; uerbis utatur, atque etiam ſi in delectu uerborum parum diligens ſit, tamen compoſitione orationis, quodcunque uoluerit genus conſequatur. Non enim ſemper priſcis quibuſdam, aut translatis, & innouatis uerbis inſiſtendum eſt. Nam hæc ut quaſi lumina exornant, ſi loco ponantur, ita ſi ubiq;, aut non loco locantur, obſcuram, inflatam, & omnino faſtidiendam orationem reddunt. Quare oportebit compoſitionis adeò diligentem habere curam, ut etiam ſi communißima quædam, ac uſitatißima uerba haberentur, tamen genus orationis, quod uelis, ſola uerborum ſerie confici uideatur. Quas ob res diligentius nobis compoſitio tam in uniuerſum, quàm in ſingulis generibus tractabitur, maxime quoniam & delectus quamuis prior ſit, compoſitionis tamen præceptis clarior teneatur. Nam quoniam ubiq; naturam ars imitatur, & uerba ſingula his literis atque ſyllabis, natura duce, compoſita ſunt, quibus naturam rei exprimere melius poſſent, uerborum inter ſe compoſitio, literarum in uerbis ad genera conficienda conſequitur: quo fit, ut & ſi hunc locum de compoſitione inſcripſimus, delectus tamen quoque ſimul habeatur. Omnis igitur compoſitionis uis partim in elementis, quas & literas nuncupamus, partim in ſyllabis, partim in dictionibus, partim in membris conſiſtit. Elementa ſunt, à quibus uox primum conſtituitur, & in quæ demum reſoluitur. Eorum alia uocales, alia conſonantes appellant. *Compoſitio* *Elementa.*

Vocalium concurſum Latinus magis quàm Græcus fugit. Nam illi in graui oratione adhibendum ideo putant, quòd ma- *Vocaliũ uſus.*

Ionica lingua. iore ſono atque aſperiore aures percutiat. Cuius rei Ionicam linguã teſtimonio aiunt eſſe, quæ quũ grauis ſuauiſq; ſit, pleraſque uoces concurſu uocalium hiulcas habet. Qua de cauſa *Homerus natura poëta.* Homerum quoque naturæ poëtam aſſeuerant, quum grauius quid efficaciuſq; uel pronunciatione uocum ante oculos ponere uoluerit, Ionicis uti reſolutionibus: qua in re nõ grauaremur exemplis quoq; uti Homericis, niſi longum eſſet, & nos hoc noſtro labore, non Græcæ, ſed Latinæ orationis compoſitionem aperiremus. Animaduertimus igitur Latinæ linguæ autores & huius facultatis principem M. Tullium earundem uocalium concurſum in graui magis euitare, quàm in mediocri, & in mediocri magis, quàm in tenui. Attenuatæ nanq; figuræ proprium eſt, non uehemẽter expolitum & accuratum edere ſermonem. Quare non ſolum uocalium, ſed aliarum quoq; literarum in grauiore coniunctionem minus inuenies, ſed concurſus omnis, aut earundem, aut diuerſarum literarum eſt. Earundem in accurata ornatáq; oratione ſæpius, diuerſarum uocalium concurſum minus fugiemus, Ego omni ſtudio, omni officio ac potius pietate erga te cæteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſi nunquàm ſatisfacio. Hic earundem hiatus maior, quàm diuerſarum uocalium orationem demittit. Hoc enim præcipue uoluit, minus ornatum, & ex tempore ſibi ſermonem effugiſſe uideri: quod quum hiatu, tum cæteris compoſitionis conſecutus eſt modis, ut loco ſuo planum faciemus. Nam uerba quidem huiuſmodi ſunt, ut uel in grauiſsima figura nihil eorum meritò recuſares. *Conſonantes.* Conſonantium uerò alias *Muta.* Mutas, alias Semiuocales appellant. Mutarum tenuiter alias, hoc eſt, ſine ſpiritu, alias cum ſpiritu, nonnullas inter has proferunt. In omnibus igitur literis, ac conſonantibus magnopere pronunciationis modus* conſiderandus eſt. Nam quæ apertione oris, aut compreſsione labiorum efferuntur, aut linguæ ad pal

**conſeruandus*

ad palatum eleuatione, ſi dictiones finiunt, ut ſunt l, n, r, s, non paruam aſperitatē efficiūt, ſi poſt eiuſmodi literas eas aſſer-re coneris, quæ oppoſita quadam affectione oris, labiorum, linguæ, palati, dentium pronunciantur, ut ſuperioribus oppoſita ſunt b, p, m. Exaſperatur enim omnino, oppoſitis ita literis crebrò poſitis, & duritiem quandam auribus affert oratio. At hæc quidem breuiter diximus, ut ſi quis uoluerit, cogitet accuratius quomodo unaqueq; literarum proferatur: & in graui quidem nō reſpuat etiam eas coniungere, quæ quoniam oppoſito quodam modo proferuntur, orationem extollunt: quod non in compoſitione dictionum ad orationem ſolum, ſed in locatione quoque ſyllabarum ad dictionem, literarumq́; ad ſyllabam, quod delectus magis eſt, intelligi uolumus. Tantum enim huic rei attribuimus, ut compoſitionis iudicio, delectum quoque expendi oportere putemus. Hoc Thucydides apud Græcos ita factitat, ut iudicio meo eam grauitatem, quam ſibi elegit, non modo aſſequatur, ſed excedat. Nos ne nimium exaſperemus orationem, duriora mitioribus contexemus. Lenibus in humili figura abundabimus, medijs in media. Ita enim diſceſſu ab extremis, ut pauloante dicebamus, medium inueniemus, quamuis pari quadam permixtione fieri quoq; poſſe negandum non ſit. Sunt igitur, ut breuius ac dilucidius totum hunc locum explicemus, uocales omnes breues grauitati parum idoneæ, longiores multò præſtantiores, quibus etiam o & a longè excellentiores. Semiuocalium, quæ duplices nominantur, robuſtiores, l ſuauiſsimum, cui n proximum ponimus, r aſperum ſonat, m in ſuauitate & aſperitate ſemiuocalium medium eſt, s litera aſperrima omnium, unde apud nos Pindari quoddam dictum iam factum uſu prouerbium eſt, quo ſignificatur antiquiſsimos uel totas Odas cōpoſuiſſe, in quibus nequaquàm s inueniretur, καὶ τὸ σ ἄρ κίβδηλον ἀνθρώποις.*

* efferre

Thucydides.

Semiuocales.

S litera aſperitas.

Pindari dictū.

Mutarum uerò c,p,t, ſine aſpiratione tenue quiddam & ſuaue, cum aſpiratione pingue ac robuſtum & ingens pollicentur. B,g,d, *quantò robuſtiores non aſpiratis, tantò aſpiratis humiliores.* His *ita dictis, in grauiori quidem figura, prout opus eſſe uidetur, his quæ robuſtius ſonant, ſyllabarum, literarumq́; compoſitione, dictionibus abundare oportet: tranſitus quoque ipſe huiuſmodi literis cohæreat, leuiſsima omnia ſint in infima, hiulcæ uoces huic magis conſentaneæ, quamuis & à ſublimi non abhorreant.* Nimis *enim accurata oratio, quod colligatio undique conſonantium facit, niſi durior ſit, pondus orationis deijcit.* Membra *longiora in graui, breuiora in humili, inter hæc in mediocri eſſe debent: ſed de his, & de clauſulis, & numeris, qui membra ſic conſequuntur, ut temporis quantitas ſyllabam, quum de ſingulis generibus dicemus, explanabimus.* Neque *enim prius explicari planè poſſe uidentur.* Verùm, *ne quaſi deſipere uideamur, quoniam noua quædam & inaudita multis præcepimus, clariſsimorum autorum uti exemplis non ſuperſedebimus.* Homerus *quum tarditatem aut uelocitatem, luctum aut lætitiam, facilitatem: aut è contra, indignationem, deſpectum, gratiam, ſupplicationem, minas, & cætera huiuſmodi ſignificare uult, eam membrorum inter ſe, & ex dictionibus dictionum inter ſe, & ex ſyllabis ſyllabarum, literarumq́; ex literis compoſitionem conficit, ut non re ſolum, ſed uoce rem, qua de dicit, conetur exprimere.* Quod *quamuis alienum ab hoc opere uideatur, tamen ne quis nos uana dicere credat, aliqua etiam carmina eius, his maximè ponamus, qui* Græcè *intelligunt, deinde ad imitatorem eius, uel potius parem atque æqualem* Vergilium *tranſeamus.* Homerus *igitur, quum uelit floride quicquàm & iucundè dicere, ita omnino componit, ut in ſyllabis literæ, & ſyllabæ in dictionibus, ac in toto carmine dictiones facilis cuiuſ-*

dam

dam & lenis tranſitus ſint ac ſuauiter copulentur, ut illud in tertio Iliados,

Ἐσθλοί, τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵτε καθ' ὕλην
Δενδρέῳ ἐφεζόμενοι, ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

Omnes enim dictiones his ferè literis conſtant, quæ nil aſperum, floridi non parum habent, quod quum in ſe minus, tum in compoſitione ad alias maxime oſtendunt. Cuius rei, aures, ſi quis bene intelligit, acre iudicium conferre poſſunt. In quo etiam illud admirandum eſt, quòd* λειριόεσσαν *impoſuit, quo in uerbo pronunciando, & hiatus quidam propter uocales fit, & planus habetur ſonus in prima, propter* λ: *aſperior in ſecunda, propter* ρ. *Nam quamuis ſuauis inter ſe compoſitionis ſint ſyllabæ, quòd ambæ ſemiuocales eiuſdem pronunciationis ſint, & eiſdem uocalibus excipiantur, tamen propter* ι, *itam* ρ *literæ aſpirationem aſcendere oportet, inde per hiatum ad grauiorem duplicatæ* σ *literæ conſcendendum eſt. Ipſam ergo modulationem non re ſolum, ſed prolatione quoq; uerbi exprimere conatus eſt. Talia ſunt, quæ in eodem Priamus de Agamemnone dicit,*

* nimis

Ὦ μάκαρ Ἀτρείδη μοιρηγενὲς, ὀλβιόδαιμον,
Ἦ ῥά νύ τοι πολλοὶ δεδμήατο κοῦροι Ἀχαιῶν,

Quod grauius quidem & politius dictum eſt, literis omnibus ferè magnum ſonantibus (grauiore enim affectu opus erat) deinde nullus hiatus, nullus de uerbo ad uerbum durus tranſitus, uerum in δ *is dicendi flos mirabilis eſt,*

Αὐτὰρ ὁ, σύλα πῶμα φαρέτρης, ἐκ δ' ἕλετ' ἰὸν
Ἀβλῆτα, πτερόεντα, μελαινάων ἕρμ' ὀδυνάων.
Αἶψα δ' ἐπὶ νευρῇ κατεκόσμει πικρὸν ὀϊστὸν,
Εὔχετο δ' Ἀπόλλωνι λυκηγενέϊ, κλειτοτόξῳ,
Ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην,
Οἴκαδε νοστήσας ἱερῆς εἰς ἄστυ ζελείης.

Ἕλκε δ' ὁμοῦ γλυφίδας τε λαβὼν καὶ νεῦρα βόεια,
Νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον.
Αὐτὰρ ἐπειδὴ κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινε,
Λίγξε βιὸς, νευρὴ δὲ μέγ' ἴαχεν, ἆλτο δ' ὀϊστὸς
Ὀξυβελὴς, καθ' ὅμιλον ἐπιπτέσθαι μενεαίνων.

Præter enim τοῦ ῥέξειν καὶ τοῦ λίγξε nullum in his aſperum uerbum poſitum eſt. Ipſa uerò quoniam α, ρ, & γ, literis ad ξ, durus tranſitus eſt, & ſi huic generi incommoda uideantur, tamen aliarum ſuauitate hinc atq; hinc poſitarum leniuntur, nec eadem ipſa ſine ratione dicta ſunt. At quando rem aſperiorem dicit, uerbis quoq; exaſperat. Iliad. ζ.

Λὰξ ἐν στήθεσι βὰς ἐξέσπασε μείλινον ἔγχος.

Ploratum uero etiam ſono uerbi ante oculos ponit plerunque. Eodem,

* ἐφεστήκει

Πύργῳ* ἐφ' ἑστήκει γοόωσά τε μυρομένη τε.

Etenim τὸ γοόωσα ipſo hiatu uocis, plorantem ſignat.

Καὶ ἐν τῷ χ, τὸ μῆμοι, ὅπου λέγει,

Ἕκτορ μῆ μοι μίμνε φίλον τέκος ἀνέρα τοῦτον.

μῦ μῦ μῦ ἱππῆς, id eſt, equites, comœdia Ariſtoph.

Quòd autem My, & Me, uoces ploratus ſint etiam Ariſtophanes oſtendit, qui in ἱππεῦσι totum uerſum hac ſyllaba, ut uocem ac ſonum plorantis ederet, compoſuit. Cuius uocis naturam & Cicero benè proſpexit: pro Milone enim cauſam dicens, ut maximè in lachrymas moueret, ita erumpit, ò me miſerum, ò me infelicem. Verùm ne hæc caſu potius quàm obſeruatione factitata à ſummo illo poeta uideantur, uideamus etiam, quum ſonitum continuum maris ante oculos ponere uult, quemadmodum ipſa prolatione uocum, quæ literarum compoſitione fit, ipſam rem conſequatur. Iliad. ρ.

Ἠϊόνες βοόωσιν ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω.

Ipſum quod dicitur medius fidius, auribus percipere uideor quum hæc lego. καὶ ἀλλαχοῦ,

Ῥόχθει

Ῥόχθει γὰρ μέγα κῦμα ποτὶ ξερὸν ἠπείροιο. Odyß.ε.

καὶ πάλιν.

Αἰγιαλῷ μεγάλῳ βρέμεται, σμαραγεῖ δέ τε πόντος. Iliad.β.

In primo enim hiulcis uocibus ſonum expreßit, in alijs aſperarum conſonantium, quæ aliquid ſimilitudinis habent ad id quod uolebat, rem ipſam uoce conſequitur, τοιαῦτα γάρ, τὸ ῥόχθει καὶ τὸ ξερὸν, τὸ βρέμεται καὶ τὸ σμαραγεῖ. ἡ γαρ, ρο, συλλαβὴ μετὰ τῆς χθει τιθεμένη, καὶ ὁμοίως ἡ σμα μετὰ τῆς ρα, κακείνη πάλιν μετὰ τῆς γει, aſperam omnino, & ipſius ſoni, quem ſignificare uoluit, ſimilem uocem conficiunt. Omitto ſyllabarum uocum ſonum, qui ex aſpera literarum locatione conſurgit. Omitto alia, quæ in unaquaque uocali cõſideranda fortaßis eſſent, ſi oſtentationem facere, non præceptionem artis conſcribere uellemus: quæ quoniam minutiora ſunt, fortè multi contemnunt. Illud unuſquiſque conſideret, quod ex tota compoſitione proficiſcitur. Verum, ipſe non proprijs ſolum, translatis'ue uerbis, ſed fictitijs nonnunquàm idoneum orationis genus conſequitur, ὥσπερ ὅταν ῥεῖζον λέγει καὶ δοῦπον ἀκόντων, μυκήματα ταύρων, Iliad.ν. συριγμὸς.

καὶ τὰ τοιαῦτα, quorum omnium natura nobis ſemina impoſuit, ars perfecit. Nam quod multi putant naturam hæc ſine arte ac obſeruatione facere poſſe, inſanum dictu eſſe ſatis argumento erit, quòd nemo hæc apud Græcos præter Homerum, apud Latinos præter Vergilium conſecutus eſt, quos in pedeſtri, ut Græci aiunt, oratione Demoſthenes & Cicero expreſſerunt: cæteri omnes, prout ingenium, doctrina, uſusq; ferebat, conati quidem ſunt, uerum ab illis uiris longißime abſunt, cuius rei cauſam loco ſuo dicemus. Nunc ſi pauca Homerica addamus, ut cum multitudine exemplorum diligẽti obſeruatione, non caſu hæc ita fieri certo comprehendatur, Aliqua deficiunt.

& ad inquirenda cætera, imitandaq; ſtudioſos exhortemur, ad Vergiliana tranſitum faciemus. Quum ergo florem quendam orationi Homerus inijcere uult, uocalibus quidem optimis & ſonantibus utetur, & ſemiuocalibus his, quæ maxime molles ſunt, neq; ijs literis inculcabit ſyllabas, quæ ſimul coniunctæ duriter pronunciantur: hiatum quoq; omnem uitabit, & mutas non crebras, neq; inter ſe coniunctas, ſed ſemiuocalibus diuiſas ac ſeparatas collocabit: ac dictiones quidem huiuſmodi eliget, ipſorum autem uerborum inter ſe coniunctio ſuauis, non aſpera, non dura, non hulca, neq; tamen uelox, ſed media erit, cuiuſmodi hæc ſunt,

Odyß. ζ. Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα,
Καὶ χλῶριν εἶδον περικαλλέα τήν ποτε Νηλεὺς
Odyß. λ. Γῆμεν, ἑὸν μετὰ κάλλος, ἐπεὶ πόρε μυρία ἕδνα.

Differt à ſuperioribus hiatu crebro: quod quare fecerit, nemo eſt qui non uideat, eorum maxime qui pulchritudinem muliebrem & admirantur, & ſequuntur. Verum ſi huiuſmodi omnia Homerica conſcribere uellemus, totum hic Homerum proponeremus. Nihil eſt enim apud eum, quod non ita conſcriptum ſit, ut ipſa uoce ſic aures auditoris afficiat, quemadmodum ſententijs animum. Quid enim horribilius, aut uoce aut ſenſu?

Ibidem. Σμερδαλέος δ' αὐτοῖσι φάνη κεκακωμένος ἅλμῃ.

Quid aſperius?

Iliad. Δ. Ὡς δ' ὅτε χειμάῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες
Ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄμβριμον ὕδωρ.

Facit autem hæc omnia non compoſitione ſolum membrorum, dictionum, literarumq;, uerum etiam pedum, & productione, contractioneq; ſyllabarum, dictionumq; numero, quod & uno exemplo qualia ſint cætera conſiderare poßis: quo

Siſyph

Siſyphum ad montem uoluentem lapidem, ac rurſus à cacumine ad campum deiectum exponit, proponatur,

Καὶ μὴν Σίσυφον ἐσεῖδον κρατέρ᾽ ἄλγε᾽ ἔχοντα, Ὀδυſſ. λ.
Λᾶαν βαστάζοντα πελώριον ἀμφοτέρῃσιν,
Ἤτοι ὁ μὲν σκηριπτόμενος χερσίν τε ποσίν τε,
Λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον, ἀλλ᾽ ὅτε μέλλοι
Ἄκρον ὑπερβαλέειν, τότ᾽ ἀποστρέψασκε κραταί᾽ ἴς,
Αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.

Hic tarditate & laborẽ uoluentis ad mõtem lapidem, qui pondere ſuo uehementer premeretur, neque ad altiora facile impelleretur, uide quàm diuinitus compoſitione quoque uocum expreſſit. Primo quidem uerba multa immiſcuit paucarum ſyllabarum (Monoſyllaba enim aut diſſyllaba ferè ſunt omnia: quæ compoſitio idcirco tarda eſt, quoniam neceſſe ſit de uerbo ad uerbum tranſitio aliquid temporis conficiat) deinde productæ plures ſunt breuibus. Tertio hiatus & aſpera compoſitio laborem ac ponderis magnitudinem ſignificauit. Spondei autem frequens modulatio, longitudinem operationis & conatum deſignat, quæ hac obſeruatione facta, quod ſequitur oſtendit. Quum enim retro lapidem deferri oculis ſubijcere uoluiſſet, cuncta in oppoſitum facit, nullum uerbum monoſyllabum, plures breues ſyllabæ, dactyli enim ſunt omnes, nihil aſperum, nihil durum, facilis tranſitus, ut currens oratio deſilientem lapidem præuertatur. Nunc, ut polliciti ſumus, uideamus, ſi Mantuanus ille Homerus, literarum ſyllabarumq; uarietate, hoc eſt, dictionum, literarum ui commutatarum, item membrorum pedumq; compoſitione multiplici, uaria dicendi genera conſequitur. Ex eo igitur quicquid prius in mẽtem uenerit, id prius ſine aliqua electione ſumemus. Nihil enim apud eum unquàm inuenimus, quod non certa ratione, prout res poſtulat, compoſitum ſit. Hæc ergo in Bucolicis conſcripſit,

Mantuanus Homerus.

Dulce ſatis humor eſt, depulſis arbutus hœdis,
Lenta ſalix fœto pecori, mihi ſolus Amyntas.

Hic præter ſententiam (nihil enim de ea impræſentiarum dicimus) compoſitio etiam magnam * *facit ſuauitatem. Dictiones enim omnes cum ſyllabis ſingulæ ſuauibus, tum inter ſe iucundo curſu compoſitæ ſunt. Neque enim eſt aliquid magnum nec aſperum, præter quàm arbutus. Dure enim poſt ar, ſyllabam, bu, infertur, & ſalix fœto. Quid enim poſt lix fœ collocata uelit, auribus clariſſimum eſt. Quod non modo natura rerum fit, quæ ita cuncta dicēdi permiſcuit genera, ut nihil ferè ſine alio purum inueniatur, ſed ſtudio quoque cōficiendum. Nihil enim uarietate pulchrius. Itaque ad hoc aut illud genus cōdendum, non omnia, ſed plura quærenda ſunt. Quare quum quodcunque purum dicendi genus ſimplicitate ſic deijciatur ut ſuauitatem nullam habeat, omnia quæ de elocutione dicentur ita intelligimus, ut non quòd omnia, ſed quia plura huiuſmodi eſſe debeant, genus aliquid confici cenſeamus. Simile eſt illud,*

* habet

Tale tuum carmen nobis diuine poëta,
Quale ſopor feſſis in gramine, quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo.

Hic reſtinguere & prolatione & translatione alienius eſt, cætera conueniunt. Item,

Talis amor Daphnim, qualis quum feſſa iuuencum
Per nemora atq; altos quærendo bucula lucos,
Propter aquæ riuum uiridi procumbit in ulua,
Perdita nec ſeræ meminit decedere nocti.
Talis amor teneat, nec ſit mihi cura mederi.

Hic omnia mirificè compoſita ſunt ad facilitatem, tenuitatem, ſuauitatemq; huius generis. Etiam apparet compoſitionē magis quàm uerba huiuſmodi genus feciſſe. Nam uocabula quidem

dem ſingula huiuſmodi ſunt, ut uel in heroico & grauiſsimo accipi poſsint, ſed inter ſe ſic locata ſunt, ut & dictu iucunda ſint, & orationem demittant, demitterentq́; uel inferius quàm uelit, niſi circunductione, membrorumq́; longitudine tanto eam ſuſciperet, quanto compoſitione depreſsit. Tale quid ſententia eſt illud in ſeptimo:

Errabat ſyluis, rurſusq́; ad limina nota
Ipſe domum, ſera quamuis, ſe nocte ferebat.

Hoc multò grandius eſt. Non ſolum enim ſingula uerba his ſyllabis conſtituuntur, quæ robuſtius quiddam ſonant & maius, ut errare multiplicatione r literæ, & ſyluis. Nam omnes ſyllabæ, quæ in conſonantes exeunt, ſi ad eas præcedunt, quæ à conſonantibus incipiunt, plenum quid afferunt: ac multò plenius, ſi plures coniunguntur conſonantes. Illæ uerò omnino robuſtiſsimæ ſunt, quæ aſperrimum unitæ ſonant, ut rurſus. Non igitur per ſingula ſolum uerba, uerum etiam ipſa dictionum compoſitione, maximè quod uult efficit. Huiuſmodi enim ubique tranſitus eſt, ut nõ ſicut in ſuperioribus currat oratio, ſed cum mora quadam, quæ dignitatem ingerat, proferatur. Nam nihil floride quicquã præterquàm ad limina nota compoſitum eſt. Illud uerò in Bucolicis,

Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit,
Dumq́; thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.

Re ferè eſt idem ei quod in primo,

In freta dum fluuij current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt, conuexa polus dum ſidera paſcet.

Sed hoc ultimum ratione qua diximus grauiſsimum eſt, ac compoſitione, ut Homerus, hic quoque poëta res ipſo uocis exprimit ſonitu. Nam cum furentem ignem aut irrumpentem aquam deſcribit, ea uerba eligit, ita ſingula collocat,

caſt,ut quod uelit,prout Latinitas patitur, conſequatur,uelut eſt illud in ſecundo,

In ſegetem ueluti quum flamma furentibus auſtris
Incidit,aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros,ſternit ſata læta,boumq́; laborem,
Præcipitesq́; trahit ſyluas,ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de uertice paſtor.

Nam hic quemadmodum eas dictiones condenſet,quæ magnũ quiddam intonant, perſpicuum eſt. Flamma enim,& furere, & auſtros,& torrentes,& ſternere,& ſtupere,& uertices, & paſtores,& quæcunque ferè inueniuntur,alia multitudine conſonãtium,alia hiatu,literarum conduplicatione alia,omnia uerò compoſitione uiciſsim ita iuncta ſunt,ut ex hoc uno oſten datur,accipiens ſonitum ſaxi de uertice. Nam & poſt ens, ſo', inferre duriſsimum eſt,tum uocalium diuerſa prolatione (una enim diffundit,altera in circulum labia extollit & colligit)tum conſonantium cumulo,tum s,literæ, quæ ferum quid & ſyluestre ſonat,conduplicatione: & poſt tum,ſa,inducere non iucundum eſt.Contracta enim labia, ſubitò diſtrahere cogit.Ita ergo cuncta conſtructa ſunt,ut niſi uox furibunda furorem rerum imitetur, proferri ſatis commodè non poſsit. Quid illud in tertio?

Ens,ſo, duræ ſyllabæ.

Dirigiuit uiſu in medio,calor oſſa reliquit.

Nónne duritie primi uerbi nouã aſpectus faciem,ac horridam Andromachæ ſignificauit?Et hiatu qui in tertio pede fit,ſedatione quoque uocis,quam facere oportet,in quarto quaſi ſingultu prius facto,deficientem notauit . Illud quoque mirabile, quòd non niſi uno ſpondeo uſus eſt.Tanto enim uelocior eſt dactylus ſpondeo,quanto plura ſunt tria duobus . Quare curſus carminis decurrentem ac languentem in terra expreſsit. Ita durities uerbi,uocis hiatus , ſedatio ſpiritus, carminis curſus

rem ipſam mediusfidius oculis ſubijciunt. Caſu fortaßis facta hæc aliquis arbitretur, ac nos ſtolidos magis quàm induſtrios huius rei examinatores opinatur. Sed caſus rarißimum eſt. Hæc autem ubique ratione factitata ſunt. Quale enim eſt quod ſequitur? Quàm diuinitus tarditatem rei dura uerborum collocatione, inſigni mora ſpondei, & diſſolutione carminis poſt tertium pedem expoſuit? Neque enim ſeptenaria, quæ frequẽtior, nec tertium trochaicum, quæ rarior illigatio eſt, exhibetur. Vbi etiam illud non abſque cura prætermiſerim, quòd primum pedem dactylum eſſe uoluit, quoniam ex priore ſententia,

Labitur, inquit, & longo uix tandem tempore fatur.

Simile eſt illud in quarto,

Dixit, uaginaq́; eripit enſem
Fulmineum, ſtrictoq́; ferit retinacula ferro.
Idem omnes ſimul ardor habet, rapiuntq́; ruuntq́;.
Littora deſeruere, latet ſub claßibus æquor.

Nam & ſignificantibus uerbis uſus eſt, quæ ſonantibus magnum literis conſtant, & dactylis feſtinationem oſtendit. Ad hæc membrorum breuitas, quæ multitudinem rerum paucis expoſitam imitatur, trepidantium quaſi * fugam expreßit. * figuram
Quod ſequitur ut rei tardioris, ita compoſitionis ſpondaicæ,

Adnixi torquent ſpumas, & cærula uerrunt.

Multa hic dicere poſſem, ſed doctis hæc faſtidioſa fortaßis, indoctis etiam plura moleſtiora futura ſunt. Quare ut in ſingulis immorari negligam, ſic multis corroborare hunc locum in animo eſt. Eſt enim penè omnibus qui docent ita ignotus, ut uel eis, qui immortalem ſibi gloriam docendo peperiſſe arbitrantur, non magis conſtet, quàm huius facultatis omnino imperitis,

Poſtera Phœbea luſtrabat lampade terras,

Humentemq́; aurora polo dimouerat umbram.

Hic quoniam pauciora ſunt duriora, & ipſa quæ ſunt, cætero-rum appoſitione non omnino molliuntur, ac utriuſque pedis cum diligenti ratione locatio, grauis & iucunda ſimul, rotundaq́; oratio eſt. At illud non huiuſmodi,

Inde ubi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes
(Haud mora) proſiliere ſuis, ferit æthera clamor
Nauticus, adductis ſpumant freta uerſa lacertis,
Infindunt pariter ſulcos, totumq́; dehiſcit
Conuulſum remis roſtriſq́; ſtridentibus æquor.

Ad ea enim quæ à ſuperioribus intelligi poſſunt, quaſi commatis etiam quibuſdam & inciſionibus, quæ moras quaſdam ac impetus faciunt, ſalientes, imitatus eſt. Nam ut in ueſtigio primò ſtantes ſe contrahunt, deinde repente proſiliunt, ſic quod dit, finibus omnes, non æqualiter, ſed cum inciſione quadam uocis, & aſperitate conueniente ad ſuperiora conſequitur, & parentheſis (haud mora) in medio locata, diſtrahere ſenſum uidetur, contractaq́; uoce, tanquàm corpore impetum infert, proſiliere ſuis: itaq; ſalientes deſcribendo, ter iam huiuſmodi compoſitione ſaltauit oratio. Quod ſequitur, ut rem, ita orationē mirificè mutauit.

Cætera populea uelatur fronde iuuentus.

Nam hic amœnitatem rei continua, fluenti, leni, non inciſa cōpoſitione adauxit. Huc uerò,

Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntq́; effuſi carcere currus.
Nec ſic immiſſis aurigæ undantia lora.
Concuſſere iugis, proniq́; in uerbera pendent. *Et ſimile illud eſt in Georgicis, & iiſdem penè uerbis editum. Sola ergo compoſitione nec tam graue, nec tam concitatum, nec tam elatum, & plenum factum eſt,*

Vt quum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Addunt ſe in ſpatia, & fruſtra retinacula tendens,
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Verum nõ ita excitata quidẽ & dura illa compoſitio in ſexto eſt, nõ feſtina, nõ tarda, ſed matura. Nam & uerborum inter ſe collocatio, et ſyllabarũ in dictionibus ea eſt, ut neq; lenis omnino ſit, & aſperitate careat. Quare fit ut totus ille locus, & grauitatis & dignitatis uerborum compoſitionisq́;, ut res poſtulabat, pleniſſimus ſit,

Principio, inquit, cœlum ac terras camposq́; lucentes
Lucentemq́; globum lunæ, Titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit, totamq́; infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Illud uerò quanti ardoris, quantiq́; impetus quis non uidet?* *ſpiritus

Arma amens fremit, arma toro tectisq́; requirit.
Sæuit amor ferri, & ſcelerata inſania belli. Et illud,
Sed magnum ſtridens contorta falarica uenit
Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga,
Nec duplici ſquamma lorica fidelis & auro
Suſtinuit, collapſa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, & clypeus ſuperintonat ingens.

Quod autem in ſeptimo, quàm uelox?

Arma uelit, poſcatq́; ſimul, rapiatq́; iuuentus.

In quo ſpõdeũ in ſecũdo poſitũ arbitror (nõ enim uerebor, quod nũc occurrit dicere, ut et cæteros ad plura, minutioraq́; inquirẽda incitẽ) ut inſtãtiã (dicatur enim ſic) atq; lõgã cõtẽtionẽ põſcẽtiũ arma oſtẽderet. At in primo, nullã res morã efflagitabat,

Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem.

Hiatum quarto loco poſuit, ut apertione nubium emicuiſſe ignem ſignificaret,

Illum expirantem transfixo pectore flammas.

Vt hoc

Vt hoc omni compoſitione tardiſsimum, quo longum expirā-tis ſpiritum, laborem oculis ſubijceret, ita quod ſequitur raptim fertur, quoniam raptum ſignificat,

Turbine corripuit, ſcopuloq́; infixit acuto.

Quale uerò illud in undecimo, dij immortales qualem molem tollere ſe oſtendit ſecundi tertijq́; pedis, quum tarditate, tum feritate, conduplicatione ſſ literæ, & r cum g copulatione, qualem deinde impetum, qualem terrorem curſu aſperitateq́; carminis ſignificat?

Experto credite, quantus
In clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam.

Diuina Vergilij compoſitio.

Nihil ergo eſt apud illum diuinum poëtam, quod ratione cō-poſitum non ſit. Aliter minatur, aliter rogat, alio dicendi genere oppugnat, alio ſua firmat, aliam in laſciuis formam dicendi adhibet, aliam in iocoſis, in ſerijs aliam: idem ubicunque terret, idem ubicunque placat, idem ubicunque indignatur genus obſeruat: cuius rei ſi unum ſignum dicam, finem faciam. Indignari Iunonem facit in primo, quatuorq́; in carminibus eadem compoſitione utitur, non ſolum uerborum, ſed pedum quoque. Nam primos dactylos poſuit & ultimos, quod ubiq; ferè factitat, medio ſpondeos, quod obſeruatione factum certo ſcio. Nec enim caſu, ſed arte fiunt, quæ in pluribus eodem modo fiunt. Videmus etiam mutata ſententia tam in antecedentibus, quàm in conſequentibus compoſitionem quoque mutatam eſſe. Ratione igitur factus certior ſum, ſed qua conijcere licet,

**atque*

**atqui ego puto, quoniam fortaſsis indignantis initia impetum habent, lentiora cætera. Sed ne quis in inueniendo loco laboret, ipſa carmina ponamus,*

Aſt ego quæ diuûm incedo regina, Iouisq́;
Et ſoror & coniunx, una cum gente tot annos
Bella gero: & quiſquàm numen Iunonis adoret

Præterea

Præterea? aut ſupplex aris imponat honorem?

His omnibus Veneres quoque orationis occultius per ſchemata inſerit,* * *neruos*

Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ruebant,
Quum Iuno æternum ſeruans ſub pectore uulnus,
Hæc ſecum, Me'ne incœpto deſiſtere uictam?
Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem?
Quippe uetor fatis. Pallas'ne exurere claſſem
Argiuûm, atq; ipſos potuit ſubmergere ponto?

Per quatuor enim carmina eundem uerſus locum ſimili orationis parte, ac ſimiliter deſinente complexus eſt: & quod, ut mirabilius, ita ſuauius eſt, paribus & tempore & numero ſyllabis protulit. Hæc de diuini poetæ uerſibus dicta ſufficiant. Hæc & in ſoluta oratione nobis ratione factitanda ſunt, ac tantò facilius, quantò latiores nobis campi patent. Nam carminis aſtricta cōditio eſt, Latini maxime: etenim quum Græci ex uaria pedum locatione, XXXII. huius uerſus ſchemata conficiant, Latinitas quoniam uſu in quinto non tam licenter ſpondeum accipit, penultimi numeri duplicationem amittit. Verum proſaicæ orationis compoſitio, quoniam ita in uniuerſo uix intelligi poteſt, quum de ſingulis generibus dicemus, paulo pòſt patebit. Etenim nunc de ipſis incipiam dicere, ſi prius reſpondero his, qui aut arte poſſe tam multa & minuta intelligi negant, aut natura non induſtria comparari affirmant: qui mihi parum conſiderare uidentur omnium, quæ artificio geruntur exitus, ita induſtria & arte acquiri, ut principia nobis innata ſunt. Neque enim quicquam inuenies, quod aut natura extremum produxerit, aut ars primum: quare & ad eloquentiam natura quidem incitamur, diligentia uerò & uſu perficimur. At difficile eſt inquiunt, tam multis occu-

Proſaicæ orationis compoſitio.

Quid efficiat uſus & exercitatio in dicendo.

patum facilè & expedite orationem efferre. Ego uerò impoſſibile id omnino puto, ſi quis tunc planè oratorie loqui uelit, quum diſcere incipiat: aut ſi quum dicit, præcepta artis cõſideret. Nam ſicut in legendo, ſi quis literas omnes, ac ſyllabas, uerbáque ſingula, eorúmque accidentia tunc ſecum examinet, quum legit, is ne ſyllabam quidem unam rectè pronunciare poſſit: quòd ſi prius dabit operam ſingulas cognoſcere literas, deinde ex coniunctione literarum ſyllabas efficere, primo quidem tardius ac tardius leget, deinde conſuetudine ad miram uſque, ac penè incredibilem uelocitatem legendi perueniet, quum non amplius in cognoſcendis ſingulis literis elaboret: ita fit in hac re. Nam quæ in principio dura atque ardua uidentur, exercitatione in eum habitum perueniunt, ut ad quoduis genus, dum uolumus, orationem uertamus. Quis ignorat, quàm multa conſideret grammaticus, & quàm uaria? ſed nihilominus exercitatione conſequimur, ut non congrua ſolum, ſed ornata etiam locutione tanto facilius, quanto minore cura utamur. Nam qui quum loquitur, ad uerba intendit animum, illi ſimilis mihi uidetur, qui in ſagittando, arcum, ſagittámque intuetur. Infinita ſunt dialecticorum uolumina, ſubtiliora, & ſpinoſiora præcepta, ſed tamen aſſidua diſputatione adipiſcuntur, ut & expeditè & caute diſſerant. Non enim, ut ad Herennium criminatur Cicero, infantiſſimi, ſed in re ſua perſpicaciſſimi mihi uidentur. Idem in alijs artibus uſu euenire omnes intelligunt, hac in facultate aliter fieri credunt, ac ideo quum Ciceronis, aut Demoſthenis quicquàm legitur, in quo aut uehementiæ, aut iucunditatis, aut alterius generis uis oſtenditur, quid tu credis, inquiunt, oratores his minutiſſimis rebus, quum ſcriberent occupatos fuiſſe? immo quid tu omnium, ſed tacere præſtat, quum grammaticus congrue, ac

exped

expedite loquatur, eum credis genera, caſus, numeros, perſonas, tempora, cæteraq́; huiuſmodi, eorumq́; rationes mente uerſare? non inquies. Quid uero? quum muſicus manum mouet, ipſum tunc putas numeros & proportiones fidium, & uocum excogitare, an ex habitu iam conſuetudine confirmato, qui altera natura eſt, omnes digitos moueri ita cenſes, ut nunquam quum uelit neten pulſare, hypaten tangat? ex habitu ſcio dices. Nunquam enim tanta uelocitate utriuſque manus digiti ferè omnes, uel aliò uidente, atque loquente nonnunquàm muſico, ita mouerentur, ut natura ipſa hanc ad rem ſolam facti uideantur. Cur igitur miraris oratores quoque clariſsimos, quum in ſingulis exercitatione habitum fecerint, facilè ac compoſite dicere potuiſſe? Verum falſa hæc opinio ideo multis accidit, quoniam nemo ferè ab ineunte adoleſcentia recte aut literaturæ, aut huic facultati inuigilat. Quum uero ad maiorem ætatem peruenerint, atque ad honores, magiſtratusq́; reipub. gerendos animum induxerint, tunc quum intelligant dicendi rationem ſibi uſui futuram, ad hæc humanitatis ſtudia, uel inuiti deferuntur. Quare fit, quum ſubito ſummi oratores prodire uelint, ne facilè nobis credant, ſi tam multa ſibi perdiſcenda propoſuerimus, his præceptis clariſsimos oratores diuinum eloquentiæ flumen adeptos fuiſſe. Sed iam ineptias eorum, qui aut ignorantia, aut negligentia hæc contemnunt, relinquamus. Neque enim huiuſmodi hominibus, quoniam laborem diſcendi abhorrent, rectius conſulturum puto, quàm ut uelint Parnaſſum, Heliconáque petere, ubi ſi noctem unam obdormierint, repente ad ſuos omnium eloquentiſsimi reuertentur. Nos his, qui diligentia ac labore nihil tam arduum, ac difficile putant, quod exercitatione aſsidua, & induſtria teneri non poſsit, reliqua

Nihil tam arduum, quod nõ laboribus ſuperetur.

C 2 & quid

& quidem curioſius exponamus. Ac quoniam de membris, clauſulis, numeris, cæteriſq́; compoſitionis partibus ſingulatim diligentius dicere inſtituimus, in uniuerſum de his ſatis. Illud mihi omnes memoria teneant, quoniam naturam ars ſequitur, primaq́; uerba optima literarum compoſitione naturæ inſtinctu edita credimus, ſingulorum uerborum immutabilem conſiderandam compoſitionem, & quæ uerborum ex ſyllabis, atque literis eſt, eam uniuſcuiuſque generis ex uerbis eſſe locationem non dubitent: illud caueant, ne nimium efferatur oratio, ne fluctuet, nec exanguis ac arida eſſe uideatur. Nam *hæc tribus figuris, quæ loco habitæ probantur, oppoſita ſunt: quæ ſi quis effugere uelit (omnes autem uelle debent) curabit ne ualde à præceptis noſtris remota ſibi cõtexatur oratio.* Nam *oppoſita non his ſolum, uerumetiam in his quæ ſequuntur generibus oppoſitis conſtituuntur.*

DE FORMIS ELOCVTIONIS.

Q*Voniam breuiter elocutionis uim confuſe tanquàm aliquam ſyluam propoſuimus, nũc formas dicendi omnes, ac genera, quantum in nobis ſitum eſt, clare ac diſtincte explanare conabimur, quæ res quàm ardua ſit, quàm difficilis, quantamq́; diligentiam deſideret, non me fugit.* Non *enim ſolum quot & quæ ſint intelligere, & quod intellexeris, perſpicuum ac planum oratione reddere, uehementer arduum eſt, uerum etiam rem iam per multa ſecula ignorantiæ ſordibus obrutam in medium protrahere, multò difficilius.* Nam *& ſi* Hermogenes *& clarius & diſtinctius cæteris omnibus qui ante eum fuerunt, de dicendi formis, quas Græcè* ἰδέας *uocamus, diſſeruit, à multis tamen ille potuit tam præcepta quàm exempla delecta, ſine quibus hæc res explicari non poteſt, colligere.* Nam *& ueteres omnes rhetores uſque ad*

Hermogenes.

Socrat

Socraticam illam ſcholam multa de formis dixerũt, & Minutianus quamuis confuſe nimis, multa tamen & præcepta & exempla partim ab alijs deſignata, partim ſua induſtria ſumpta à clariſsimis oratoribus, illi parata ſubiecit: Nobis in Latino ſermone nullus eſt, qui hac in re opem præbere poſsit. Nam Cicero quidem quum multa de oratoria facultate nobis reliquerit, hæc tamen ita ſubticuit, ut nil aliud niſi plura eſſe dicendi genera, in quibus neceſſe ſit oratorem inſudare, nos commonuerit. Idq; quum multis in libris tangat, tum maxime in eo, quem de oratore compoſuit, plurimis in locis horum dicendi generum mentionem facit. Quæ ut autoritate eius plura eſſe pateant, non grauabimur uerba quædam de Oratore ſumpta, huic ſermoni inſerere: Quanquàm, inquit, perſpicuum eſt, non omni cauſæ, nec auditori, nec perſonæ, nec tempori congruere orationis unum genus. Nam & cauſæ capitis alium quendam uerborum ſonum requirunt, alium rerum priuatarum, atque paruarum: Aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, atque ſermones, aliud conſolatio, aliud obiurgatio, aliud diſputatio, aliud hiſtoria deſiderat. Refert etiam qui audiant, Senatus an populus, an iudices, frequentes an pauci, an ſinguli, an æquales: ipſi quoque oratores, qua ſint ætate, honore, autoritate. Debet etiam hoc uideri, tempus pacis, an belli, feſtinationis, an otij. Atque hoc in loco nihil ſane præcipi poſſe uidetur, niſi ut figuram plenæ orationis & tenuioris, & itidem illius mediocris ad id quod agemus, accommodatam eligamus, ornamentis iiſdem ferè uti licebit, aliàs intenſius, aliàs ſubmiſsius, omniq; in re poſſe quod deceat facere, artis & naturæ: ſentire quid quando deceat, prudentiæ. His illius eloquentiſsimi uiri ac præcipui oratoris uerbis nemo eſt, qui non intelligat multa eſſe dicendi genera, quæ utinam ipſe ut ſolum tangere, ita quoque

Ciceronis uerba.

præceptis diligenter explicare uoluiſſet. Quantam enim rem quamq́; utilem nobis reliquiſſet, declarant libri ſui, in quibus non uno atque ſimplici, ſed multis multaq́; uarietate compoſitis generibus, ut res petebat, editas orationes inuenias. Verum quòd ille, aut negotijs & priuatis & publicis impeditus, quòd magis credo, aut fortaßis quia noluit, quod inquam reliquit, nos pro uirili parte ex eo ipſo eliciamus, neque laborem pertimeſcamus, quoniam nihil ab cæteris, quod aut ad exempla pertineret, aut ſaltem ad harum formarum nomina accepimus. Valde enim huiuſmodi præceptionem oratori neceſſariam eſſe quis non intelligit? Nam qui ſola natura nititur, is quod deceat facere nunquàm poterit: qui uerò ad naturam artem adiungit, is Ciceronis aliorum'que maiorum quorumcunque uoluerit orationis filum certa ratione ſequetur. Neque enim ingenia, ſed induſtria hominibus iam diu deeſt. Aggredior igitur rem adeò difficilem, ut uix ſanè (ut etiam ipſe dicit) quid præcipi poßit intelligatur. Quod tamen artis eſſe confirmat, quum dicit, omni in re poſſe quod deceat facere, artis eſſe & naturæ, ſine qua neque ars quidem erit. Erit igitur bipartita hæc nobis præceptio, ac primo ſimplices dicendi formas, ut fieri debeant exponemus, deinde qua compoſitione ſimplicium generum, hoc aut illud compoſitum fiat, explanabimus. Nam quid quando deceat, quod ad grauitatem ſummam pertinet, pro tempore ac cauſa, ipſe uidebit orator. Verùm ne longiore oratione præcepta demorer, de re dicere incipiam, ſi lectores deprecabor, ne nos incuſent, ſi duriora formarum nomina ſibi uidebuntur, atque ut rem potius quàm appellationes rerum conſiderēt, quas etiam ipſa conſuetudo ſuauiores faciet: aut res quum intellexerint, alijs nominibus (nihil enim impedio) quibuſcunque uelint denominent. Forma eſt genus orationis, ſententia, methodo, uerbis,

Nõ ingenia ſed induſtriam hominibus deeſſe.

Formarum nomina duriora.

uerbis, compoſitione, rebus ſubiectis, & perſonis idoneum. Has Hermogenem ſecuti ſeptem putamus, Claritatem, magnitudinem, uenuſtatem, quam & pulchritudinem dicimus, celeritatem, affectionem, ueritatem, & grauitatem. Claritas eſt quæ facit puram & perſpicuam orationem. Magna & grandis oratio eſt, quæ puri ſermonis contritam conſuetudinem pondere ſuo excedit. Venuſtas & pulchritudo eſt omnium, quibus oratio conficitur conuenientia quædam & modus, qua quum ſuccus quidam & qualitas tanquàm color orationis elucet. Velocitas eſt compoſitionis acceleratio, qua uiua & mobilis oratio uidetur. Affectio eſt qua ſic componitur oratio, ut qualitatem animi oſtendere, & inſitos ei mores aperire uideatur. Hanc moratam etiam orationem appellare licet. Veritas eſt quæ facit, ut non ficte, nec dedita opera, ſed ut ſentimus, dicere uideamur. Grauitas eſt congrua omnibus circunſtantijs oratio, uel quædã orationis elatio. Quum hæc ita ſint, de claritate primum dicendum uidetur, quam in elegantiam & purum ſermonem diuidimus. Purus ſermo eſt oratio clara, nulla ambiguitate, aut confuſione commixta, de quo ut ordine dicatur, ea primo exponamus, quibus omne dicendi genus conficitur. Tria igitur nobis uidentur, ſine quibus, ne conſtare quidem orationem intelligimus, Sententia, methodus uel artificium, compoſitio, quam his ſex tanquàm partibus conſtare putamus, dictione, hoc eſt, uerbis, exornatione, membro, collocatione, clauſula, & numero. Sententia eſt res inuenta uerbis expolienda, ſine qua uerba in numerum ornate conſtruere furioſum eſt. Artificium eſt uia & modus, quo ſententia uerbis explicatur. Huic omnes exornationes, quas ſententiarum multi appellant, ſubijciendæ uidentur. Compoſitio eſt quæ elementorum, ſyllabarum, dictionum, dictionis'que conſequentium inter ſe

Claritas. *Magnitudo.* *Venuſtas.* *Velocitas.* *Affectio.* *Veritas.* *Grauitas.* *Claritatis partes.* *Tria in omni oratione.* *Sententia.* *Artificium.* *Compoſitio.*

poſitione conficitur, de qua ſuperius dictum confuſius eſt. Dictionem appellamus uerba & uocabula inuentioni accommodata. Exornatio. Exornationes ſunt uerborum quædam expolitiones, & modi, quibus tanquam colorato amictu rem & ueſtimus & decoramus. Membrum. Membrum eſt uno ſpiritu prolata oratio, quæ totam ſententiam, uel partem eius breuiter abſque interuallo abſoluit. Membrorum uerò quæ breuiora ſunt, utputa quæ duodecim ſyllabarum numerum non excedunt, κόμματα, id eſt, inciſiones Græco uocabulo nominentur: quæ longiora ſunt, membra nuncupentur. Collocatio. Collocatio eſt dictionum numeroſa compoſitio. Clauſula. Clauſula eſt uniuſcuiuſque orationis, aut etiam membri numeroſa diſpoſitio. Numerus. Numerus eſt quæ ex obſeruatione collocationis, atque clauſulæ pedum conficitur orationis ſonoritas, atque modulatio. His ita dictis, ut ſciamus quum ad hoc aut ad illud genus orationem flectere in animo eſt, quibus magis elaborandum ſit, dicendum eſt quæ horum potiora nobis uidentur, ut intelligas te, ſi illis abundaueris, propoſitum conſecutum eſſe. Non enim quòd omnia, ſed quòd plura, uel potiora, clara, uel magna, uel grauia, & huiuſmodi, uel illiuſmodi ſint, hanc aut illam dicendi formam continere orationem, iudicamus. Formarum loci. Primum igitur locum ſententias poßidere non dubitamus, ſecundum uerba, tertium exornationes, artificio quartum, quamuis in grauitate non quartum, ſed primum ei conceſſerim, numero in proſa quintum, in uerſu primum, collocationi & clauſæ ultimum locum attribuimus. Qua ex re patet compoſitionem primam omnium poſt ſententias eſſe, quippe quæ tantam uim habet, ut parua magna, & magna parua uideri nulla re, niſi compoſitione conſequamur. Non enim uideo qua ratione rem tenuem in immenſum extollere poßimus, niſi primò his uerbis contexamus orationem,

quæ

quæ quoniam robuſtioribus elementis compoſitæ ſunt, magnum quiddam & ſonans pollicentur. Deinde inter ſe uerba & membra ſic coniungemus, ut ſicut per ſe ſola, ſic etiam ſimul poſita magnitudinem afferãt. Econtra uerò ſi quis magnam rem extenuare uoluerit, eum neceſſe eſt ea compoſitione uerborum uti, quæ humilima ſit. Quare compoſitionem plurimum in oratione poſſe concedendum eſt, nec res eſt, qua doctus homo, dicendiq; peritus à rudi & agreſti magis differat, quàm quód ignarus dicendi, caſu uerba componit. Orator autem ſic alligat ſententiam uerbis, ut eam certa quadam compoſitione complectatur. Non enim dubium eſt ſi quis hæc uerba pronunciet, atque unam rem ex omnibus intelligat, capere, rapere, raptare, quin compoſitione unum alio grauius atque uehementius eſſe confiteatur. Quæ uis quum in ſingulis uerbis eſt, & literarum, ſyllabarumq́; naturali ferè compoſitione conficitur, tum uel maximè horum, aut illorum uerborum contextu, atque congerie multò maior conſurgat, neceſſe eſt. Nam uerba quidem compoſitioni præponere ineptiſsimum eſt. Conſentanea enim generi compoſitio, idonea quoque uerba continebit. Verba congrua uel abſque conueniente compoſitione eſſe poſſunt. Deinde ſi quis maxime à compoſitione uerba ſciungat, eadem tamen uerba aliter atque aliter diſtributa multò maiorem uarietatem generibus afferunt, quàm ſi in eadem diſpoſitione commutata intelligantur. Quamobrem & compoſitioni uerba ſubiecta ſunt, quamuis & delectus, qui compoſitionem antecedere uidetur, ex incommutabili quadam, & ferè naturali, ut dictum eſt, compoſitione dependeat. Artificium uerò non præpoſuerim, quód illud ſententiarum quidem modus ſit, compoſitione ipſæ ſententiæ tam extolli, quàm deprimi ſoleant. Cætera quum aut accidant uerbis, aut uerbis conficiantur,

tur, aut uerba conſequantur, compoſitioni anteponi non poſſunt. Sed iam res ipſa petit, ut de prima claritatis formula dicere incipiamus.

Puritas quibus conſtet.

Purus ergo ſermo omnibus octo prædictis, ſententia, artificio, uerbis, exornationibus, membris, collocatione, clauſula, & numero conficitur. Sententiæ eius ſunt, quæ quum nihil habeant longa excogitatione dignum, communes ferè omnium, & uſitatiſsimæ uideantur. Vt Cicero in Verrinis, Soſippus & Epicrates fratres ſunt Agienſes, horum pater abhinc duos & uiginti annos eſt mortuus. Nam hoc huiuſmodi eſt, ut quiuis hominum non capere ſolum, ſed etiam dicere tale quid poſsit. Puri ergo ſermonis huiuſmodi ſententiæ ſunt, ſi per ſe conſiderentur. Nam ſi ubi, aut quando, aut quapropter, huius, aut illius generis aliquid dicitur, ex octo rebus, quibus omnia genera conficiuntur, conſideres, eam grauitatem quæris, quæ non has formas dicendi ſolum, ſed totam hanc rhetoricæ artem complectitur. Item in eodem, Verrinarum IIII. Heraclius ille & Epicrates longe mihi obuiam cum ſuis omnibus proceſſerunt, uenienti Syracuſas egerunt gratias. Flentes, Romam decedere mecum cupiuerunt. Sed de ſententijs hactenus. Longum enim eſt plura colligere, & unum uel alterum locum tangere ſatis putamus, ad id intelligendum quod uolumus. Nunc de artificio dicemus, ſi prius breuiter commonebimus, nos hoc in negotio, non qualis ſit purus Ciceronis ſermo, uel elegantia, uel circunductio, uel alia quædam dicendi forma exponere, uerum ipſa genera per ſe, qualianam eſſe debeant explicare. Quam rem ſi quis bene teneat, non Ciceronis ſolum, ſed aliorum genera & intelliget, & imitari recta ratione poterit. Nam ſi quis ſimplices formas recte habeat, eum quicquid ex eis componitur non fugiet. Quare ut ipſa ſimplicia formarum genera pateant, exemplis uti neceſſe eſt.

Ea

Ea ſi Ciceronem tollas, unde commode capias, non habebis. Nam ſi noſtra quidem ſola proponerem, nec tantum autoritatis haberet oratio, & in arrogantiam incideremus. Propterea nunc Ciceronis autoritate unumquodque confirmabimus, alias quoniam ipſe ſummus orator cæteris ſedulò commiſcebat, ut ad rem ſuam quicq; commodè conuenire arbitrabatur, quàm deſolatam à cæteris poterimus unamquanq; dicendi formam exemplo noſtro, ſi otium dabitur, declarabimus. Nunc de methodo puri ſermonis dicendum eſt. Arte purum ſermonem conficiemus, ſi ipſam rem ſolam ita enarrabimus, ut nihil in eodem orationis contextu contrahamus. Contrahitur autem uel genus ad ſpeciem, uel totum ad partem, uel indefinitum definito, uel qualitas & diſpoſitio rei, uel auditorum iudicium, uel unius ad alterum, uel plura differentia. Item fugienda eſt eorum expoſitio, quæ rem conſequuntur. Nam qui quum rem aliquam dicit, conſequentia eius quoque ſimul exponit, non purum ſermonem, ſed eius oppoſitam circunductionem facit, de qua pòſt dicetur. Conſequi autem rem dicimus, locum, tempus, perſonam, modum, cauſam, ut apud Ciceronem poſt id quod ſuperius diximus, huiuſmodi quid conſequitur, Quot erant mihi oppida complura etiam reliqua, conſtitui cum hominibus, quo die mihi Meſſanæ præſto eſſent. Nam etſi ex adiecta cauſa breuis circunductio non omnino puritatem conturbet, tamen ſi quid purum ſit per ſe uelis examinare, huiuſmodi orationem puram nõ dices. Si uerò purus nõ re ipſa, ſed ſolũ uideri cupis, methodus eſt ut omnibus ijs modis, quibus pura oratio fit, orationem incipias, circunducentia in medijs intermiſceas, quæ quanto breuiora ſunt, tanto minus puri ſermonis ſuauitatem conturbant. Præterea expoſitionem, non exornationem, & ſchema, ut nonnulli exiſtimarunt, ſed methodum puri ſermonis eſſe putamus.

Methodus puritatis.

tamus. Multis enim ſchematis exponimus, & recto & obliquo, & partitione, & collectione. Schemata uerò alijs ſchematis fieri non credendum ducimus. Verum ſiue ſchema & exornatio uerborum ſit expoſitio, ſiue methodus, eam clari ac puri ſermonis propriam exiſtimamus. Eſt autem expoſitio ſeiunctæ à circunducentibus orationis explicatio.

Dictio puritatis. Puri ſermonis dictio communis quædam & uſitatiſſima eſſe debet, non tranſlata, non aſpera, non ampla. Tranſlatio enim omnis, etſi uſitata eſt, tamen affert aliquid magni, quod purum ſermonem excedere uideatur. Aſperis etiam obdureſcit quodammodo ſermo, & obſcurus potius, aut magnus quàm purus efficitur. Ampla ſimiliter nimis tollunt orationem, & rapiunt ad grandiloquum dicendi genus. Quare quum puri eſſe uolumus, hiſ omnibus minus utemur.

Schema puritatis. Schema puri ſermonis, orationis rectitudo. Nam ſicut puritas orationis circunductioni oppoſita eſt, ſic quoniã obliquatio maxime circũducit, rectitudo quæ ei oppoſita eſt, puritatẽ maxime conficit.

Rectitudo. Rectitudo in oratione appellatur, quæ per rectos tã caſus, quã uerba ita procedit, ut una res aliam contrahere non uideatur. Cuiuſmodi ferè ſunt omnes narrationes Ciceronis, quas & ſi rerum natura coactus, quòd accuſatorem ſæpius pati neceſſe eſt, circunducentibus conſtipat, omnes tamen recte incipit: tanta enim in puritate rectitudo uim habet, ut dum recte incipias & deſinas, purus uidearis: ac tantò magis, quantò intertexta circunducentia breuiora ſunt. Qua ex re manifeſtum eſt, purum ſermonem eſſe cum ſchematis, qui omnino rectus ſit: purum uideri, cui circũducentia interpoſita ſunt. Quale eſt illud Ciceronis quarto in Verrem, Sopater quidam fuit Alicienſis, homo domi ſuæ in primis locuples, atque honeſtus, is ab inimicis ſuis apud C. Sacerdotem prætorem, rei capitalis quum accuſatus eſſet, facile eo iudicio eſt liberatus. Nam hic Cicero ſi ita dixiſſet, quum

Sopater

Sopater quidam Alicienſis,homo domi ſuæ in primis locuples atque honeſtus, ab inimicis ſuis apud C.Sacerdotem, prætorem accuſatus eſſet, facile eo iudicio eſt liberatus, maior quidem dignitas ineſſet orationi.(Nam tam perſona,quàm perſonæ qualitas ſimul cum antecedente in circunductione contraherentur)uerum puritas quæ narrationi uehementer conuenit,ſublata eſſet,quam ut integriorem ſeruaret,ſecũdum membrum etiam recte edidit,ac minus quàm dici poteſt circunduxit. Eſt ergo rectitudo puritatis ſchema præcipuum,ut obliquatio circunductionis. Verum ut hæc puro ſermoni accidit,ſi circunducentibus careat,ſic illa non longe à circũductione abeſt,ſi circunducentia continet. Quod ex hoc ipſo exemplo ſic patere poteſt, Sopater quidam Alicienſis,homo domi ſuæ in primis locuples & honeſtus,ab inimicis ſuis apud C. Sacerdotem, prætorem,rei capitalis accuſatus, facile eo iudicio eſt liberatus. Nam hoc quòd circunductum ſit,clarum ei eſt,qui eius generis uidet ſententias: qua ex re illud etiam certiſsimum habetur,ſententias in dicendo plurimum ad commutandas formas ualere: Schemata quoque quamuis non ominia,ea tamen, quæ non exornant, ſed tantum quendam collocandorum uerborum modum inducunt, ſui generis ſemper imaginem ſecum conferre. In hoc loco ita commorati ſumus, quoniam uolumus hæc, quum dicendi genera non omnino te fugiant, imitationis gratia, & facilitatis Ciceronis multa,nunc methodo, modo ſchematis, nunc membris, nunc dictione, locatione,clauſulis, numero, & nunc omnibus ſimul, nunc pluribus ad diuerſa genera commutare. Nam hac re nihil magis dicendi formas aperit,nihil maiorem in dicendo facilitatem præſtare poteſt, nihil aut citius, aut certius filum orationis quod uelis, non ſolum recta ratione imitari, ſed omnino conſequi facit. Sed de ſche-

Membra puri ſermonis. matis ſatis, nunc ad cætera pergamus. Membra puri ſermonis breuia eſſe debent, & commata magis quàm membra, quæ tum maxime puram reddunt orationem, quum unũquodque ita ſententiam abſoluit, ut nullis comprehenſionibus oratio compoſita ſit: quod ut clarius pateat, quid comprehẽſio ſit, altius aperiatur. Omnis oratio aut abſolutione, aut comprehẽ-

Abſolutio. ſione componitur. Abſolutio eſt cum unumquodque orationis membrum abſolutam atque perfectam ſententiam continet, ut illud Ciceronis, Dicendum mihi eſt de Cn. Pompei ſingulari eximiaq; uirtute. Huius autem orationis difficilius eſt exitum quàm principium inuenire. Ita mihi non tam co-

Comprehenſio. pia, quàm modus in dicendo quærendus eſt. Comprehenſio eſt duorum aut plurium membrorum ad abſoluendam ſententiam inter ſe cum dependentia compoſitio. Hanc in circuitum, productionem, ſpiritus continuationem, & ambitum diuidimus. Verum de duobus extremis in præſentiarum dicendum. Nam cætera quantum negotij huius intereſt, ab am-

Circuitus. bitu nihil differunt, & in quo differant loco ſuo dicetur. Circuitus eſt totius orationis rotunda & coacta, denſa cum frequentatione uerborum comprehenſio, ut hoc, Poſtremo, niſi eum dij immortales in eam mentem impuliſſent, ut homo effœminatus fortiſſimum uirum conaretur occidere, hodie rempublicam nullam haberemus. Hoc enim tribus inter ſe cõnexis membris, quorum nullam ſententiam abſoluit, ita continetur, ut totam rotundè ui quadam colligat rationem. Circuitus uel duobus, uel quatuor, ubi unum uni, uel tribus membris effertur. Vbi duobus unum redditur, quale eſt quod nunc diximus, & illud in laudem C. Cæſaris dictum, Tantus enim eſt ſplendor in laude uera, tanta in magnitudine animi, & conſilij dignitas, ut hæc à uirtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe uideantur. Quare mihi bene

uidetur

uidetur, quamuis breuiſsime, more ſuo hanc rem circunſcripſiſſe Ariſtoteles, quũ dicat περίοδον *(ſic enim Græcè circuitum appellamus) orationem eſſe (ut uerbum ex uerbo, Latina ex Græcis exprimam) quæ principium habeat & finem.* Nam *quum circuitus membris conſtet, quod præcedit iuniores propoſitionem, ipſe principium: quod ſubſequitur hi redditionem, ille finem nominauit. Qua ex re non paruo ignorantiæ crimine hi reprehendendi uidentur, qui uel unico membro tunc circuitum fieri rati ſunt, quum longior ſenſus & ſimplex quaſi quibuſdam anfractibus inter ſe circunfertur. Quale eſt illud,* Sopater *quidam* Alicienſis, *homo domi ſuæ imprimis locuples atque honeſtus, ab inimicis ſuis apud* C. *Sacerdotem, prætorem, rei capitalis accuſatus, facile eo iudicio eſt liberatus.* Decepit *enim rudes homines quædam orationis inciſio, quæ membrorum imaginem affert: neque illud intelligere potuerunt, circuitus ſimulachrum idcirco huiuſmodi orationem gerere, quòd ex inciſione multorum quoque membrorum imaginem reddat.* Nobis *uerò hæc oratio nec comprehenſio quidem uidetur, quamuis in quantũ membrorum multitudinem oſtendat,* Ambitus *appareat. Eſt enim ambitus mẽbrorum inter ſe ad abſoluendum ſenſum ſine ui & commoratione comprehenſio, ut pro* L. Murena, *Quæ deprecatus à dijs immortalibus ſum, iudices, more inſtitutoq; maiorum, illo die quo auſpicato comitijs centuriatis,* L.M. *conſulem renunciaui, ut ea res mihi fidei, magiſtratui meo, pop. plebiq;.* Rom. *bene atq; feliciter eueniret, eadem precor à dijs immortalibus, & ob eiuſdem hominis conſulatũ unà cum ſalute* Reip. *obtinẽdum, & ut noſtræ mentes atq; ſententiæ cum populi* Romani *uoluntatibus ſuffragijsq; conſentiant, eaq; res nobis,* P.R. *pacem, tranquillitatem, otium, atq; concordiam afferat.* Hoc *dicendi modo cuncta* Ciceronis *exordia circunducta ſunt.* Ab

Periodus.

Ambitus.

hoc

Ambitus à circuitu quid differat.

hoc circuitus differt, quoniam nulla ui ambitus cogit orationem. Quare & pluribus quàm quatuor membris, & multò longioribus, & quæ uni alterum breuiter non reddantur, conſtare poteſt. Hæc enim omnia quoniam fuſam orationem reddunt, coactæ & rotundæ orationi oppoſita ſunt. Vnde fit ut ambitus exordio, circuitus contentioni accommodatior ſit, & tum commentationi, tum contrario, ſimilitudini, ſententiæ, concluſioniq́; , & omni rationi confirmationiq́; argumentationis perutilis. Quare palàm tenetur oratio, non ita commode ubique, nec niſi natura rei patiatur, circuitu quemadmodum ambitu uti quenquam poſſe. Illud etiam obſeruabimus, ubi uehementia opus ſit, ultimum circuitus membrum breuius cæteris confici ſolere. Vi enim quadam oratoris fit, ſic orationem colligere, ut quum ad finem tendat, tam ſpiritu & uoce, quàm rebus feſtinare, ac quodammodo ruere uideatur. Longius uerò in fine membrum quãtò uim diminuit, tantò dignitatem orationis exauget. Ex quo fit, ut unum iudiciali, alterum demonſtrationi magis conueniat. Quod niſi his exemplis quæ poſita ſunt perſpiceretur, quoniam hæc quàm notiſsima cunctis, & certa eſſe cupimus, alia quoq; cõgereremus. Nam hoc quem de generibus ſumpſimus labore, non eos ſolum, quibus ad eloquentiæ ſtudium integra res eſt, inſtruere nobis propoſitum eſt, qui fortaſsis ſine exemplo credent, uerum etiam inueteratos uſu orationis ruſtico magiſtros, & rhetores ad accommodatum rebus ſtylum reuocare. Nemini ergo dubium eſſe uolo, uehementiorem circuitum redditiones habere breuiores, & eam inter ſe membrorũ omniũ depẽdentiam, ut nõ bene uniuſcuiuſq; membri exitu ceſſare ſpiritus poſſit, ſed cogi ac præcipitari ad integrã pronũciationẽ totius uideatur. Quæ omnia ſi diligẽter obſeruabimus, acriores: ſin remittemus, ampliores futuri ſumus, quorum utrũq; ad ſatietatẽ

facere,

ſacere, cùm faſtidioſum, tum dedita opera fieri uidebitur. Varietas enim ubique iucundum. Quare ut ab acrioribus ad amplos circuitus eſt recurrendum, ſic à circuitu ad ambitum, aliasq́; comprehenſiones ueniendum, quibus omnibus tanquam laxamentum interſit abſolutio: Ita tamen ut rerum natura, locorum, temporum, perſonarum, habitum ſuum poßideat. Neque enim uerendum puto, ne quæ ſimplicem quendam dicendi modum cauſa expectat, inueniatur. Quòd ſi cui poßibile uidebitur, rem potius uiolandam, quàm ſatietatis faſtidium ſubeundum cenſeo. Nunc ut facilius hæc conſequamur, exercitationem aperiam utilißimam, qua abſolutas orationes ueterum in ambitus, ambitus in circuitus, ac hoc in alios dicendi modos cõmutare poterimus. Quæ ſola res ſi omnibus in generibus adhibetur, ad proborum oratorum uim & copiam aſcendere facit. Membrorum quoq; commutatio in circuitibus non negligenda. Hoc enim pacto et ingenium acuitur, et quid melius dicatur facile uidemus, & habitus quidam bene dicendi animum ſic illabitur, ut malè dicere tibi difficile ſit. Inſequitur enim te, atque aggreditur dignitas quædam orationis, & numerus, ut uel quod extempore dicis, commodè ac eleganter, ſi paululum animum erexeris, componatur. Dicendum eſt enim mihi de Cn. Pompeij ſingulari eximiaq́; uirtute. Huius autem orationis difficilius eſt exitum quàm principiũ inuenire, ita mihi nõ tam copia, quã modus in dicendo quærendus eſt. Hæc oratio abſolutis mẽbris effertur. Hæc ambitus fiet hoc modo, Nam quum dicendum ſit mihi de Cn. Pompeij ſingulari eximiaq́; uirtute, cuius orationis difficilius eſt exitum quàm principium inuenire, non tam copia quàm modus in dicendo mihi quærendus eſt. Circuitus & quidem amplior propter naturam rerum, hoc modo,

Membrorum commutatio.

Nam cui dicendum eſt de Cn. Pompeij ſingulari eximiaq́; uirtute, cuius orationis difficilius eſt exitũ quàm principiũ inuenire, ei non tam copia, quàm modus in dicendo quærendus eſt. Membra quoq; inuertere tentandum, hoc modo, *Nã ei non tam copia, quàm modus indicendo quærẽdus eſt, cui dicendũ eſt de Cn. Põpeij ſingulari eximiaq́; uirtute, cuius orationis difficilius eſt exitũ, quàm principium inuenire:* et aliter, *Nam quum eius orationis difficilius ſit principium, quàm exitum inuenire, in qua de Cn. Põpeij ſingulari eximiaq́; uirtute dicendũ eſt, non tam mihi copia, quàm modus in dicendo quærendus eſt.* Sic igitur ex abſolutis tribus mẽbris trimẽbris circuitus compoſitus eſt. Ex bimembri uerò circuitu diſſoluta fiet oratio ſic, *An Luccius illa humilitate præditus, illis ſtudijs, artibus, atq; doctrina, illius ipſius periculũ quẽ propter hæc ipſa ſtudia diligebat, negligere potuiſſet?* Item ex eodẽ, *Luccius magna humilitate, ſtudijs, artibus, atq; doctrina præditus eſt. Quonã igitur pacto ipſius periculũ, quẽ propter hæc ipſa ſtudia diligebat, negligere potuiſſet?* Item ex eodẽ loco, pro. M. Cælio, *Et quod facinus in alienum hominem illatum ſeuerè acciperet, id omiſiſſet curare in hoſpitem? Nam id facinus in alienum hominẽ illatum ſeuerè acciperet, quare id non omiſiſſet curare in hoſpitem.* Ex trimembri ſic, *Poſtremo niſi eum dij immortales in eam mentem impuliſſent, ut homo effœminatus fortiſsimum uirum conaretur occidere, hodie rẽpu. nullam haberemus. Poſtremo eum dij immortales in malam mentem impulerunt. Homo enim effœminatus fortiſsimum uirum occidere conatus eſt, quare hodie rempu. nonnullam habemus.* Hac ex reſolutione uehementior ille uidetur circuitus, qui uno ſpiritu quod proponit, & probat & concludit, quod quidẽ optimi circuitus proprium dixerim, ſed alterutrum facere nonnunquam ſufficit. Nã ex his tribus, quæ argumentatio-

Inuerſio membrorum.

Bimembris orationis diſſolutio.

nem conficiũt,duo quæcunq; circuitum conſtituere poſſunt, ut in illo , Tantus eſt enim ſplendor in laude uera , tanta in magnitudine animi et conſilij dignitas,ut hæc à uirtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe uideantur. M*agnus eſt enim ſplendor in laude uera: magna in magnitudine animi & conſilij dignitas,quare hæc à uirtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe uidentur.* I*taq; niſi trium, propoſitionis, rationis, concluſionis, aut ſaltem duorum uis inſit orationi,circuitum nullum habebis* Q*uadrimembris in abſolutam orationem ſic immutabitur ,* V*trũ ille qui poſtulat legatum ad tantum bellũ,idoneus non eſt qui impetret quũ cæteri ad expilandos ſocios: diripiẽdasq; prouincias, quos uoluerunt legatos eduxerint?* An *ipſe cuius lege ſalus atq; dignitas populo* Ro.*atq; omnibus gentibus cõſtituta eſt,expers debet eſſe gloria eius imperatoris atq; eius exercitus, qui conſilio ipſius,atq; periculo eſt conſtitutus?* P*õpeius qui poſtulat legatum ad tantum bellum , idoneus non eſt qui impetret ?* An *cæteri ad expilandos ſocios , diripiendasq; prouincias,quos uoluerunt, legatos eduxerint ?* Gabinius *expers eſſe debet gloria eius imperatoris, atq; eius exercitus,qui conſilio ipſius atq; periculo eſt cõſtitutus?* At *ipſius lege ſalus atq; dignitas po.* Ro *atq; omnibus gentibus cõſtituta eſt.* N*unc ſi hanc quadrimembrem uariè cõmutabimus, ad ſingulorũ uerborum commutationem pergemus,* V*trum ipſe,cuius lege ſalus & dignitas po.*Ro.*atque omnibus gentibus conſtituta eſt , expers eſſe debet gloria eius imperatoris,atque eius exercitus,qui conſilio ipſius atque periculo eſt conſtitutus? an ille qui poſtulat legatum ad tantum bellum: quem uelit, idoneus non eſt, qui impetret, quum cæteri ad expilandos ſocios , diripiendasq; prouincias quos uoluerunt legatos eduxerint ? & aliter,* V*trum quum cæ-*

Quadrimẽbris orationis commutatio.

teri ad expilandos ſocios, diripiendasq́; prouincias, quos uoluerunt legatos eduxerunt, Pompeius qui poſtulat legatum ad tantum bellum, quem uelit idoneus non eſt qui impetret? An is cuius lege ſalus atque dignitas po. R. atque omnibus gentibus conſtituta eſt, expers eſſe debet gloria eius Imperatoris, atq; eius exercitus, qui conſilio ipſius atque periculo eſt conſtitutus? Et aliter, Vtrum is expers eſſe debet gloria Pompeij atq; eius exercitus, qui conſilio ipſius atq; periculo conſtitutus eſt, cuius lege ſalus atq; dignitas po. Ro. atq; omnibus gentibus conſtituta eſt? An quum cæteri ad expilandos ſocios, diripiendasq́; prouincias, quos uoluerunt legatos eduxerint, Pompeius qui poſtulat legatum ad tantum bellum, quem uelit, idoneus non eſt, qui impetret? Verum huiuſmodi circuitus multis quidem modis commutari poſſunt: Ille uerò uel quater & uigeſies commodè uariatur, quem χιαζόμενον Græce appellauimus: is fit, cum nullum inuenitur mēbrū, quod alij tam præponi, quàm ſubſequi non poßit, quod ut quale ſit percipiatur, exemplum à Demoſthene proponamus. Nam apud Ciceronem in talem incidiſſe circuitum nunquam memini. Plures uerò qui non tam commodè chiari poſſunt, uel potius infinitos inuenies, quale & expoſitum eſt. Chiaſmus igitur dicitur à χ litera, quæ modo crucis interſecantibus ſeipſas duabus obliquis lineis figuratur. Chiaſmus uerò in circuitu dicitur, quum in quadrimembri circuitu utriſq; propoſitionibus ambæ redditiones conueniunt, & èconuerſo, ut in hoc Demoſthenico, ὁ μὲν γὰρ Φίλιππος ὅσῳ πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίηκε τὴν αὐτοῦ, τοσούτῳ θαυμαστότερος παρὰ πᾶσιν νομίζεται, ὑμεῖς δὲ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ὅσῳ χεῖρον ἢ προσῆκε κέχρησθε τοῖς πράγμασι, τοσούτῳ πλείονα αἰσχύνην ὠφλήκατε. Hunc, ut diximus, etiamſi quater & uige

χιαζομένη περίοδος.

χ litera.

χιασμός.

uigeſies commutaueris, nec dignitatem, ac elegantiam orationis, nec ſenſum læſeris, adeò mirabili ac ſingulari arte, & incredibili oratoris ui compoſita eſt, ſed non, ut in alijs, quandocunq; uis efficere hoc poßis. Nam *niſi natura rei talem inter ſe rerum conuerſionem ſuſcipere poßit, fruſtra labores.* Neq; *mirũ ſi tantã orationis elegantiã, atq; rotunditatem, tantam uim, tantam dignitatem natura paßim fieri paſſa non eſt.* Dignitatis *etiam gratiam & breuitatis ille circuitus habet, in quo ex communitate, quod in uno membro dicitur, in altero ſuppletur, ut in illo,* Quid *igitur ait* Hortenſius, *ſi uni omnia tribuenda ſunt, unum digniſsimum eſſe* Pompeium, *ſed ad unũ tamen omnia deferri non oportere: & pro* Cn. Pl. Vtrum *igitur me conturbare oportet, an cæteris, quum cuiuſq; dies uenerit, hoc nomen quo urget nunc competitor, diſſoluere.* Nam *hic & breuitas mirabilis eſt, & rotunditas orationis.* Multa *enim ex ſecundo in primo, et ex primo in ſecũdo ſupplenda ſunt.* Immutare *etiã nõnunquã, ac maxime in cõparãdis rebus uerbũ licet, dũ res ipſa hoc facere hortetur.* Qua *in re danda eſt opera ut et orationis concinnitas, & ſentẽtiæ grauitas conſeruetur, quod erit, ſi non nimis recedatur, ut pro* Cn. Planco. Quanquam *dißimilis eſt pecuniæ debitio, & gratiæ.* Nam *qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id quod reddidit: qui autem debet, æs retinet alienum.* Gratiam *autem & qui refert, habet: & qui habet, in eo ipſo quod habet, refert.* Neque *ego nunc* Planco *deſinam debere, ſi hoc ſoluero, nec minus ei ſoluerem uoluntate ipſa, ſi hoc moleſtiæ non accidiſſet.* Dißimilis, *inquit, eſt pecuniæ debitio &* Gratiæ, *quam dißimilitudinem quum probare uoluiſſet, debitionis uerbum utrobique non ſeruat.* Nam *quum debitionem pecuniæ cum gratiæ debitione ideo compararet, ut appa*

reat in quo differant, uerbum quidem debet pecuniæ reddidit, gratiæ autē non id quod ex collatione oportebat, ſed uerbum habet, ſubiecit. Abſurdum enim & nimis coactum foret, ſi nondum redditam gratiā eo ipſo redditam diceret, quia deberetur. Debitionis ergo uerbum quamuis ex collatione id petebat oratio, declinauit, atq; ut fides ſētētiæ ſalua eſſet, debitionis loco, habitionis intulit uerbum, quod ut liquidius uideatur, totum circuitū repetamus, et debitionis uerbo, ut collatio requirit, ſolo utamur. Nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id quod reddidit: qui autē debet, æs retinet alienum. Id alterū membrum eſt, in quo uerbum debitionis ineſt. Gratiam autem & qui refert debet: et qui debet, in eo ipſo quod debet, refert. Ita poſtrema circuitus membra efferri petebant. Non enim habitio gratiæ cum debitione pecuniæ, ſed debitio cū debitione cōfertur. Quàm iucūde autem immutarit, & commode, quàm apte atq; ſubtiliter mirum dicerem, niſi & omnia mirifice ab eo compoſita cernerem, et dicēdi omnes uirtutes cuilibet ferè inſertæ loco efficerent ne quid præ cæteris admirarer. Longa hæc atq; ſuperuacanea multis uiſum iri non ignoro. Ego uerò non hic ſolum, ſed alijs quoq; in locis huiuſmodi commutationes tangere non grauabor. Nam quum et ueteres hac re non parum in eloquentia profeciſſe intelligam, & nonnullos doctos & probatos uiros noſtris diebus ſupereſſe uideam, qui compoſitione membrorum uerborumq; id agant ne labores ſui diuturniores ſint, non commonere tantum, quod fortaſſe præcipientis eſſet, ſed uiam omnem huius exercitationis, et modū ante oculos ponere conſtitui: nec detractorū, quos multos futuros ſcio, reprehēſiones mihi tanti ſunt, quanti utilitas omnium. Nam aduerſus eos id ſolū mihi ſufficere arbitror, quòd Platonis reip. uarie commutatis mem-

bris

briſ atque clauſulis conſcriptum initium, equidem manu ipſius Platonis *inuẽtum eſſe creditur.* Quam *commutationem eius* Dionyſius Halicarnaſſeus *referre non dubitauit.* Neq; *longiora hæc ſunt quàm opus ſit.* Nam *ſi doctiſsimi atque acutiſsimi uiri, qui totam uitam in eloquentiæ præceptis conſumpſerunt, nihil dignum laude componere poſſunt, quoniam huic rei* adiecta ratione non iuſudarũt, merito hæc nobis, ne quis amplius quam ſequatur uiam ignoret, latius explicantur.* Quare *non uerear* Guarini *quoque* Veronenſis, *eruditiſsimi uiri nonnullos locos commutare, non mediusfidius, ut quicquam de gloria ſua detrahã* (Nam *& ipſe maiorem meretur, et ego ampliorem ei deferre uellem, quòd bonarum literarũ ſtudia in lucem è profundis tenebris eduxerit) ſed quoniam ipſa res aliter patere non poteſt, niſi docti cuiuſdam abſurde compoſita ad meliorem formam mutatione ſola reduci poſſe oſtendamus.* Nam Ciceronis *quidem nihil inuenies, quod mutatũ melius fieri poſsit.* Ad *hæc ſi nõnulli opuſculum hoc noſtrum etiam antequam uideant, uilipendere non dubitant, neſcio cur mihi ueritatem, et quidem in utilitatem ipſorum exponere dubitandum ſit.* Orationis *ergo ſuæ, quam in laudem magnifici ducis edidit, hoc exordium eſt,* Plerique *ſunt* Comes *inſignis, ductorq; magnifice, qui res & facta ueterum ſingulari admiratione perſequantur, & præcipuis laudibus in cœlum efferant, & recte ſanè* (Dignißimum *enim eſt eos ſuis non fraudare præconijs, qui aut uitam per inuentas artes excoluere, aut præclara edidere facinora) uerumenimuerò ijdem adeò aſperi uel faſtidioſi potius rerũ æſtimatores ſunt, ut ætatem noſtram aſpernentur ac damnent, quæ tamen permultos diuino ingenio, excellenti doctrina, et imperatorijs artibus nobis inſtructos ornatosq; produxerit.* Hoc *ad*

Platonis de rep. initium.
Dionyſius Halicarnaſſeus.
**recta cum*
Guarinus Veronen.
Exordium Guarini.

præſtantius ſic commutabitur, Pleriq; ſunt comes inſignis, ductorq́; magnifice, qui quoniam digniſſimum eſt eos ſuis non fraudare præconijs, qui aut præclara edidere facinora, aut uitam per artes excoluere, ut res atq; facta ueterum præcipuis laudibus efferunt, ſingulariq́; admiratione proſequuntur, ſic ætatem noſtrã aſpernantur ac damnant, quos ego ideo aſperos uel faſtidioſos potius rerum æſtimatores iudico, quòd hanc ætatem permultos diuino ingenio, excellenti doctrina, atq; imperatorijs artibus inſtructos atq; ornatos nobis uideo produxiſſe. Sed ne totam permutemus, totam ſanè huiuſmodi eſſe, per alium locum oſtẽdamus, Ingens, inquit, et incredibile illud occurrit, quòd urbs ipſa nõ ſemel, ſed toties uincenda fuit, quot arces habuit caſtellaq́; & loco et arte munitiſſima, quum ne minimus quidem angulus in poteſtatem redigi, niſi ferro, machinamentis, et obſidionis uiribus impugnatus, expugnatusq́; potuerit, geminas tam longe lateq́; foſſas ſub hoſtium oculis, inter infeſta illorum tela, ſub ardentiſſimo ſole circũducens, omnem ſubſidiorum ſpem, & occaſionem ademiſti. Tantum effecit & tua et ſenatus Veneti ſapientia pariter ac potentia. Vbi illud in primis accuratè ac ſedulò prouidiſti, ut per ualida munimenta ab hoſtili tutus et ſecurus eſſes impetu, priusq́; de militum ſalute, quàm de aduerſariorum detrimento abs te curatum eſt. Immutetur ſic, Ingens & illud & incredibile nobis occurrit, quòd urbs ipſa & loco & arte munitiſſima, quæ non ſemel, ſed toties uincenda fuit, quot arces habuit, atq; caſtella, cuius ne minimus quidem angulus in poteſtatem redigi poſſit, niſi obſidionis uiribus, ferro, machinamentis impugnatus, expugnatus eſſet, geminis tam longe lateq́; foſſis ſub hoſtium oculis, ſub ardentiſſimo ſole, inter infeſta tela, breui tempore foſſis circunducta, omnem ſubſidiorum

diorum et occaſionum ſpem amiſit. Tantum & tua & ſenatus Veneti ſapiētia pariter ac potentia efficere ualuit. Vbi illud in primis accuratè, ac ſedulò prouidiſti, ut quum per ualida munimenta ab hoſtili tutus & ſecurus impetu eſſes, prius de militum ſalute, quàm de aduerſariorum detrimento abs te curatum eſſe uideatur. Quid? quod extremum po ſuit, quàm abſurdum, deiectumq́; ſit, quis non uiderit? Nulla enim, inquit, tam ingens, tam clara, tam admirabilis res geſta eſt, quam uetuſtas non obſcuret et obliuio, niſi literarum ſplendor, & ſcribentium lumen accenderit. Quàm commodius hoc ipſum, & robuſtius, atq; expeditius ita diceretur? Nulla enim tam ingens, tam clara, tam admirabilis res geſta eſt, quam uetuſtas & obliuio, niſi literarum ſplendor, & ſcribentiū lumen accenderit, non obſcuret. Hæc quantò meliora uenuſtioraq́; ſunt, nemo qui harum rerum uel minimum uidet, dubitabit. Nam quum prima compoſitione nihil ferè uiriliter colligatur, ac ideo ſupina quædam & futilis oratio ſit, ſecunda expeditius omnia dicūtur, et coacta atq; comprehenſa ita efferuntur, ut quaſi uiua oratio & mobilis eſſe uideatur. Quod ſi ad dignitatem demonſtratiui generis non accedit, id eſt cauſæ, quòd non eiſdem uerbis ſolum, ſed eiſdē ferè mēbris uti maluimus, ut quod ad propoſitum pertinet, quàm ſit utilis hæc immutatiò, oſtenderemus. Artis autem eſt non optimum, atque ſupremum ex omnibus (hoc enim impoßibile eſt) ſed quod fieri poßit, efficere. Idem igitur tam in uerbis, quàm in membris facere eos oportet, qui aliquid laude dignum componere uolunt, ne ei, quāuis perito uiro ſimiles in dicendo ſint, qui & ſi à iuuentute ſecunda uſus fortuna, his ſemper ſtudijs inuigilauerit, tamen nihil unquam, non dico magna laude dignum, ſed quod nemo niſi agreſtis omnino, atque hiſpidas aures haberet,

beret, audire pateretur, edere potuit. Omitto cætera ſermonis eius uitia, quæ tot tantáq; ſunt, ut uix capi poßint. Cur enim quum non hiſtoriam ſcribat, ſed in demonſtratione uerſetur, uerumenimuerò & ſtatim in principijs occupauerit, quod non ſolum hic, ſed in alijs quoque factitauit, non uideo, maxime quum nuſquam ferè apud Ciceronem hoc legerit: quæ res eum, quamuis multa legerit, ita tamen pauca intellexiſſe oſtendit, ut quum quid quietum ſit, quid forenſe, quid hiſtoricum, quid demonſtratiuum, aut alius generis uerbum minime ſentiat, temeritate potius omnia confundere, quàm iudicio componere uideatur. Cur etiam ſcribētium, non ſcriptorum dixerit, non intelligo, niſi quòd timidum in dicendo hominem, ne à ſcripto ſcriptorem dicere uideretur, inſcitia deterruit. Sed hæc infinita ſunt atque idcirco prætermittenda. Illud uerò, dij boni, quum ne minimus quidē angulus, non'ne quum ad præcedentia reddi uideatur, ad inferiora inepte detorſit? Quum autem dicit, priuſquā de militum ſalute, ſuperiori membro non abſque duritie ſenſus, & horrore auditus copulatum detraxit. Qua ex re quis uel hac luce clarius non uiderit ſine arte nullum ingenium, nullam ad dicendum prodeſſe induſtriam? Nam cum ſummo labore, ſummis uigilijs, longisq; temporibus abſque arte his ſtudijs alioquin doctus homo incubuerit, tamen nihil unquam compoſuit, cuius ipſum, ſi bene conſideret, non pœniteat. Hæc ut & ipſe in poſterum ſe corrigat, & cæteri ſibi eum imitandum non putent, ſummis, ut Græce dicitur, tetigiſſe digitis ſufficiat. Compoſitionem uerò non ego ideo plurimum probo, quòd delectum uerborum deſpiciam, ſed quoniam compoſitio difficilior ſit, atque altior, totáq; oratoris, plura de hac præcipiendum duxi. Nam ut ædium

Orationis iunctura.

ſtructo

ſtructores, et ſi paratos ſemper habent lapides, perpolita ligna, confectum cæmentum, non tamen magnifica ſibi ædes ſubitò conſtructa eſt, niſi & bene componant: ita quũ oratori uerba tum à grammaticis, tum ex aßidua bonorum auctorum lectione parata iaceant, nihil tamen magnũ atq; laude dignum ſibi conficietur, niſi pro dignitate rei cuncta diſponentur. Quare ſi dicere uolumus, noſtrũ eſt, recto iudicio loco ſuo paratis uti, hoc eſt, compoſitioni magis incumbere: quod etſi utrunq; pariter ad oratorem tantummodo pertineret, tamen iuſta cauſa eſſet, quare difficilioribus et melioribus inſiſtere malimus. Nunc prima delectus pars, quæ pro poteſtate uerborum quid dicendũ, quid abijciendũ ſit oſtendit, tota grammaticorum eſt. Altera, quæ pro rerum pondere, cauſarũq; dignitate ſingula uerba examinat, etſi noſtra eſt, tamen quum grauitatis ſit, præceptionem omnem effugit, ac oratoris prudentiæ, ut etiã altera compoſitionis pars, tota relinquitur. Verum de circuitu ac ambitu commutationeq; ſua, membratim ſatis dictum, quibus purũ ſermonem ſicut et omni comprehenſione carere uolumus. Nunc de collocatione breuiter dicamus. Collocatio in puro ſermone ſimplex quædam debet eſſe, non accurata. Dico autem non accuratam & ſimplicẽ, quæ non coniunctione uocalium hiatum faciat, et de concurſu aliarum literarũ minus curat, ut Cicero in epiſtola ad Lẽtulum, Ego omni officio ac potius pietate erga te cæteris ſatis facio omnibus, mihi ipſe nunquã ſatisfacio. Nã hic etſi ſententia magnum quid polliceatur, tamen quàm demiſſa concurſu uocaliũ ſit oratio, uel ſurdus ſẽtiet. Pedibus uerò collocatio pura debet abũdare iãbo & trochæo, ut à ſuperiore Ciceronis epiſtola manifeſtum eſt. Nam paucis admodum, ne pura iambica et trochaica ſit, impeditur oratio. Clauſula ſimiliter iãbica Collocatio.

&

& trochaica debet eſſe. Hæc differt à collocatione, quoniã ibi non pedum ſolum congruitas, ſed literarum quoq; concurſus aſper an lenis, facilis an durus ſit, conſideratur. Hic pedum tantum curam adhibemus, & ibi in ipſa compoſitione uerborum, hic in exitu membri pedes examinamus. Ad hæc, collocatio in ſoluta oratione non tam ſcrupuloſa cura ad numerum ſemper redigenda eſt: Clauſula uerò in unoquoq; genere maiorem uim habet, & acrius conſideranda eſt. Quare ſæpius collocationem quàm clauſulam alienos & remotos ab genere pedes, quanquam ſemper pauciores, habere reperies, clauſulam alienam rarius quàm collocationem inuenies: quod ideo conſultò fit, quoniam magis ſola ſine collocatione clauſula, quàm ſine hac idonea collocatio ad quod uolumus genus, facit orationem accedere, maxime ſi plura principia quoq; membrorum ab eiſdem pedibus oriantur. Clauſulam enim prius, deinde membrorum principalem, quæ ſiue collocationi, ſiue clauſulæ quis accommodet, parui refert, poſtremo reliquam collocationem obſeruauerim, quoniam* ſonoritas eſt, quæ collocatione ac clauſula naſcitur. Iam clarum eſt quiſnam eſſe debeat in hoc genere numerus. Membra enim & commata ferè omnia ad iambici aut trochaici modulationem declinare debent, ita tamen ut neque uerſus omnino ſint (uitio enim hoc datur) neque à modulatione uerſus aliena, quod tam in ſuperiore Ciceronis textu, quàm in eo, quod ſequitur perſpici proteſt. Tanta enim, inquit, magnitudo eſt tuorum erga me meritorum, ut quum tu niſi perfecta re de me non conquieſti, ego quia idem in tua cauſa non efficio, uitam mihi eſſe acerbam putem. Quàm crebro iambos & trochæos in collocatione principijs, ac clauſulis adhibuerit uides. Quare ad huiuſmodi uerſuum communem ſonum

*ſimilis

Iambi & trochæi in mẽbris.

oratio

oratio ſibi acceßit, quod quoniam clauſula magis fieri docuimus, non neglecta collocatione, ut numerum cuiuſuis formæ contineas, clauſulas acrius examinabis. Verum quoniam numerus ad modulationem huius, aut illius uerſus inclinare debet, nulla mihi eſt dubitatio clauſulam remotam non uideri, quæ etſi in pedem generis proprium non exeat, in eum tamen deſinit, qui in ultimo uerſus loco à proprio pede denominati adhiberi ſoleat, quod et in collocatione fieri haud inconueniens eſt. Sed ne hæc magno labore faciamus, diuerſis in generibus uerſuum primo, deinde in ſoluta oratione exerceri diligentius conuenit. Quod qui faciet, uel abſq; præmeditatione dicere commodiſsimè poterit. Nam ſi qui carminibus operam ab adoleſcentia dederunt, magnum numerum optimorum carminum uel ex tempore edere ſoleant, quod non ſolum legimus, ſed etiam uidimus, quantò facilius ſponte ſua dedita opera liberior oratio fluet? Quare ſi uolumus ad maiorem copiam aſpirare, non committemus, ut tenera ætas huius rei expers dilabatur. Quod faciunt hi qui ſubitò uolunt in ſummos oratores euadere, neq; uident nihil unquam hominem, in quo ſe diu non exercuit, bene ac facile facere poſſe, nec priſcarum rerum memoria ipſos iuuat, in quibus planè habetur, quòd ſemper exercitatis, qui iam habitum longo uſu fecerunt, idem fere fuit facere uoluiſſe et potuiſſe. Verum quoniam purum ſermonem per octo partes ſuas inſpeximus, nunc alteram claritatis partem conſideremus. Elegantia eſt qua efficitur, ut cæteris quoque formis claritas inſit. Quare à puro ſermone hoc differt, quòd illa per ſe clara eſt, hæc ne propter magnitudinem & pōdus adeò efferatur oratio, ut non longe ab obſcuro ſit, quæ claritatem continent, intermiſcet. Non enim unaquæque harum formarum in dicendo ſeparata à cæte- Elegantia.

ris,

ris, facile inueniri ſolet, ſed conſiderantur quidem per ſe, connectuntur autem ſimul ad unum orationis corpus, ita tamen ut orationem puram, aut grandem, aut pulchram, & hanc, aut illam dicere non dubitemus, quum aut plura aut pauciora ex his octo, quibus genera dicendi conſtant, in unum concurrere inueniamus. Hæc dicendi formula ſententias proprias non poßidet. Nam quum nullus fere debeat eſſe locus orationis non clarus, & puræ ſententiæ per ſe claræ ſint, omnesq; puræ non poßint eſſe, niſi eleganter tractentur, qui huiuſmodi non ſunt à clara oratione procul dubio excidunt. Quod uitium maxime omnium fugiendum eſt. Quare ſententias, quæ quidem ipſæ per ſe conficiant elegantiam, non inuenimus, uerum cunctas quæ puræ non ſunt neque puræ dicuntur, ſibi attribuimus. Quamobrē bene mihi uidetur orator præcipuus, cuius opera nobis hæc omnia ſuppeditarunt, elegantiam his uerbis deſcripſiſſe. Elegantia eſt quæ facit ut unumquodque purè & apertè dici uideatur. Nos elegantiam non tam amplè hic, ut purum ſermonem amplectatur, ſed ut clarior præceptio fiat, anguſtius puro ſeiuncto ſermone intelligimus.

Elegantia quibus comparetur.

Arte conſequemur elegantiam & methodo, ſi quod dicturi ſumus, præmonitione quadam oſtendemus, ut pro Deiotaro, Sed antequam de accuſatione ipſa dicam, de accuſatorum ſpe pauca dicam: & in Verrem, Atque adeo antequam de incommodis Siciliæ dicam, pauca mihi uidentur eſſe de prouinciæ dignitate honeſtateq; dicenda. Si enumeratione utemur, ut pro Pom. Ego enim ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quatuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem, felicitatē. Omnis enim diuiſio et diſtributio rei clariorem reddit orationem, quoniam quæ dicere uolumus ſummatim auditoribus aperit. Si

non

non ſubitò de re ad rem tranſgrediemur, ſed tranſitionibus quum opus erit utemur. Vt pro Pom. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine belli pauca dicam. Si ordine utamur, ut quod primum geſtum ſit, aut geri potuiſſet, aut primo polliciti ſumus, primum quoq; explicemus, ut in Verrem, Verum ut totum genus amplectamini iudiciorũ, prius iura Siculorum, deinde iſtius inſtituta cognoſcite, Siculi hoc iure ſunt. Si argumentationum propoſitiones uel ſolutiones prius quàm rationes collocemus, & propoſitiones aſſumptionibus anteponamus, ac ut uno præcidam omnia uerbo, ſi nulla in re ordine ſuperſedeamus. Dictio elegantiæ eadẽ eſt, quæ puri ſermonis eſſe dicebatur. Schemata elegantiæ ſunt, quæ faciunt, ut antequam res dicatur, expectari uideatur, qualia ſunt ordinatio & partitio. Ordinatio eſt quũ ex eo quod dicitur, alterum quoq; ſequi oſtendimus, ſiue totius per certum numerum collectione, ut in Verrem, prius iura Siculorũ, deinde iſtius inſtituta cognoſcite. et pro P. Scylla, Ille ambitus iudiciorum tollere ac diſturbare primum cum Flacco uoluit, gladiatorũ ac fugitiuorum tumultu, deinde id quod uidimus omnes, lapidatione atq; concurſu. Quum enim primum dixerit, illico animus auditoris alterũ quoq; dicendum intellexit. Quod quidem in quantum cõſtituit, ac præparat ad id quod ſequitur, elegantiam: in quãtum uerò plura contrahit, ac ad longius ſuſtentat orationem, circunductionem conficit, de qua paulò pòſt dicemus. Partitio eſt, quum duas aut plures res oratione diſiungimus, ut pro Cornelio Bal. Si ſtudia ab amiciſſimis, & cum beneficijs quum L. Cornelio tum maxima familiaritate coniunctis. Item pro reditu ſuo ad populum, Partim quòd mihi inuiderent, partim quòd ſibi timerent, aut proditores, aut deſertores eſſe ſalutis meæ. Hæc (ut ordinatio) quum paruis inter

Ordinatio.

Partitio.

teruallis concluditur,elegãtiorem:quũ longis ſpatijs efferetur,circunductam magis reddit orationẽ. Reſumptio etiã, ſiue quis eam in ſchematum numero ponat,ſiue methodum putet(nibil enim impedio)elegantiam non paruã, & claritatem addit orationi. Ea eſt uerbi uel rei, ne eius obliuio propter orationis longitudinem auditorem capiat, breuis repetitio. Verbi, ut pro. Pom. Quæ ciuitas antè unquam fuit,non dico Athenienſium, quæ ſatis latè quondam mare tenuiſſe dicitur:non Carthaginienſiũ,qui permultum claſſe, maritimisq; rebus ualuerunt:non Rhodiorum, quorum uſque ad noſtram memoriam diſciplina naualis remanſit: quæ ciuitas anteà unquã tam tenuis? Rei,ut pro Archia,Si quid eſt in me ingenij iudices,quod ſentio quàm ſit exiguũ, aut ſi qua exercitatio dicẽdi,in qua me non inficior mediocriter eſſe uerſatum: aut ſi huius rei ratio aliqua ab optimarum artium ſtudio,ac diſciplina profecta,à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe,rerum earum omnium,uel in primis hic Aulus Licinius fructum à me repetere propè ſuo iure debet. Vt enim in ſuperiori,quæ ciuitas ante unquam,claritatis gratia uerba repetijt, ſic in hoc poſteriore omnia unà retulit,ut & clarior,& uehemẽtior ſibi eſſet toratio. Non enim,omniũ,temere poſuit. Nec enim ſuum eſt quicquam otioſum dicere, ſed multitudinem officiorum oſtendere uoluit: nec eorum omnium dixit, quoniam multò tenuius eſt:ſed hæc quidem grauitatis ſunt,hic uerò interpoſita,non quòd multum ad rem pertinerent,ſed ut oſtenderemus,quàm ſcitè atq; ſubtiliter cum ratione certa omnia oratori, uel quæ tenuiſſima uidẽtur, examinanda ſint. Verum reſumptio non claritatem ſolum,ſed uim etiam quandam addit orationi,eamq; tantò acriorem,quantò breuior eſt,ad reduplicationis enim uim accedit. Nam hoc inter

ter Reduplicationem & Reſumptionem uerbi intereſſe uolumus, quòd hæc longior, illa breuior ſit: & hæc ut clareſcat, illa ut cogat oratio accipi ſoleat. Quare quæ prolixitate modica ſunt, utrunque mihi præſtare uidentur, ut pro Deiotaro, *Per dextram illam te rogo, quam regi* Deiotaro *hoſpes hoſpiti porrexiſti, iſtam inquam dextram, non tam in bellis & in prælijs, quàm in promiſsis, & fide firmiorem.* Ratiocinatio *etiam ſiue quis ſchema, ſiue methodum eam magis putauerit (nam alij ſententia,* Cicero *uerbo eam exornare uult, quorum unum ad methodum, alterum ad ſchemata pertinere diximus) hæc inquam ratiocinatio quid ſit, quàm* apertam & claram diſtinctione orationem efficiat, quis dubitat? Eſt igitur ratiocinatio quum crebrò à nobis ipſis petimus uniuſcuiuſque propoſitionis rationem, ut pro* Milone, *Quibus de ſeruis rogas? de* P. Cl. *quis eos poſtulauit?* Appius: *quis produxit?* Appius: *unde? ab* Appio. *Quòd ſi plurimum uehementiæ ineſt orationi & uelocitatis, nihil mirari debemus. Sæpe enim iam dictum eſt, formas dicendi inter ſe, tanquam multi ad depingendam effigiem colores, ſic ad conſtituendam orationem, concurrere, & conſiderari quidem cuncta rationibus ſuis, genus autem ab efficacioribus nominari: quanquàm multa inueniri negandum non ſit, ita æquatis partibus ponderata, ut non magis huius, quàm illius generis eſſe uideantur. Quare ſi dicta, exempli cauſa, ratiocinatio uelox, & uehemens cuiquàm uidebitur, ut eſt, id non naturæ ſchematis, ſed breuitati membrorum, & crebris interrogationibus attribuat. Membra, collocationes, clauſulas, & numeros, hæc omnia in elegantia non alia quàm in puro ſermone eſſe putamus. Verùm ut puritati circunductionem, quæ laudanda eſt, opponi dicebamus: ita elegantiæ, quæ ut præceptis patuit, ordine maximè nititur, confuſionem contrariam dicimus, quæ ſemper fugienda*

Reduplicatio et reſumptio uerbi quid differant.

* *aptam*

Confuſio.

eſt, niſi quum uehementer commotum animum oſtendere uolumus. Ipſa enim natura in nobis ipſis docet, nonnullos eſſe impetus animi, qui eleganter loqui non ſinunt: quos quum imitamur, confuſione opus eſt, ut Vergilius in ſecundo,

Impetus animi.

–Iuuenes fortiſſima fruſtra
Pectora, ſi uobis audentem extrema cupido
Certa ſequi, quæ ſit rebus fortuna uidetis.
Exceſſere omnes adytis, ariſq; relictis,
Dij quibus imperium hoc ſteterat, ſuccurritis urbi
Incenſæ, moriamur & in media arma ruamus.

In qua confuſione primum cauendum eſt, ne ita confundamus, ut nullo modo intelligamur: deinde, ne facilè confuſio in ordinem redigi poſsit. Nam qui ita confundit, ut quomodo hoc faciat, ab auditoribus comprehendi poſsit, is non impetu animi, ſed impetus ſimulatione confundere uidebitur. Omnis igitur confuſio uel tranſgreſsionibus longis, quibus nihil elegantiæ ineſt, uel coniunctionibus è medio ſublatis, uel quoniam conſequentia ad modum orationis, aut non redduntur, aut non rectè redduntur, uel omnibus his fieri ſolet, quorum duo Vergilius hic occupauit. Ac elegantiæ quidem confuſio oppoſita eſt, puro ſermoni circunductio, toti claritati obſcuritas, quam orator ſemper ut ſcopulum uitabit, niſi quum res cogat figuratè aliquid dicere, quo de genere cauſarum in tertio diximus, aut quum ænigmaticè quicquam ſignificare, uel ſolum tangere, non explicare opus ſit. Sed de prima dicendi forma ſatis dictum eſt. Neque enim alijs quibuſdam modis, qui minimè ad ea, quæ nos accepimus, aut excogitauimus reduci poſſunt, claram orationem confici arbitramur. Nunc quoniam nimia claritas humilem ac contemnendam reddit orationem, qua ratione ei pondus atque ma-

gnitudinem adiungamus, aperiendum eſt. Non *enim clara ſolum, ſed clara ſimul & grandi, pulchra, mobili, morata, uera, ac ut omnia uno concipiam uerbo, graui, &, ut ita dicam, animata, ac uiua oratione ſuis orationibus* Cicero *nobis utendum eſſe perſuadet, quamuis non pari ratione ubique omnibus, ſed magis minuſq́; ut rerum natura efflagitat.*

DE MAGNITVDINE.

GRandem orationem, quæ puri ſermonis conſuetudinem contritam excedit, ſex formulis contineri putamus, dignitate, aſperitate, acrimonia, illuſtri oratione ac ſplendida, uehementia, circunductione. Dignitas eſt, quum de rebus magnis magna & ornata conſtructione habetur oratio. Eius ſententiæ ſunt primum, quæ Deo, ac diuinis rebus non fabuloſe, neque ut hominibus, ſed uerè, & ut dijs quadam cum religione attribuuntur: has apud oratores & poëtas raro inuenies. Nã quas ut hominibus dijs poëtæ accõmodãt, ut amores, complexus, connubia, eæ longè abſunt à dignitate. Fornicationes uerò, ſtupra, & adulteria etiam dignitati oppoſita ſunt, de quibus in iucunditate diſſeretur. Dignitatis igitur has ſententias rariter, ut diximus, in oratoribus & poëtis inuenies: Noſtrorum uerò, hoc eſt, Chriſtianorum libri referti ſunt: huiuſmodi tamen illud eſt apud Vergilium in ſexto, *Grandis oratio quibus conſtet partibus.* *Dignitas.*

Principio cœlum, ac terras, campoſq́; liquentes,
Lucentemq́; globum lunæ, titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit, totamq́; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumq́; genus, uitæq́; uolantum.
Et quæ marmoreo fert.

Cuius ſimile Cicero pro Milone, Et eſt profectò illa uis, & in his corporibus, atq; in hac imbecillitate noſtra ineſt quod-

dam, quod uigeat ac ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturæ tam præclaro motu: niſi forte idcirco non putant, quia non apparet, nec cernitur: perinde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua prouidemus, qua hæc ipſa agimus & dicimus, uidere, aut plane qualis aut ubi ſit, ſentire poßimus. Ea uis eſt igitur, quæ ſemper incredibiles huius urbis felicitates atque opes attulit. De diuinis uerò rebus in Catone maiore, Tuſculanis quæſtionibus, alijſque huiuſmodi illius uiri libellis multa diſſeruntur, ueluti ſunt, quibus immortalem animam in cœlis collocatam, æterna gloria frui continetur, æternas pœnas apud inferos peccatoribus paratas. Has igitur quæ in diuinis tractantur ſententias, quibus uel de ipſo Deo, uel de religione, ac pietate in eum, uel de ſanctorum uirorum futura gloria diſſerimus, dignitatem in primis conficere arbitramur, deinde eas quæ de rerum natura ſolent adhiberi, ut ſi quis pluresne ſint mundi quærat, quæ ſit ſolis magnitudo, qua ratione creſcat decreſcatq; luna, quid tonitrua, quid fulmina faciat, quid uentos inducat, quid procellas, nimbos, tempeſtatesq; inferat, quorum omnium, philoſophorum libri plenißimi ſunt. Oratoris nihil intereſt has rationes occupare, nimborum tamen & fulminum uim, impetum, irruptionemq; omnem cœli, oculis ſubijcere, oratorum eſt. Nam ſi quis ad commeatus diem idcirco dicit non ueniſſe, quòd nimbi & procellæ, tempeſtas atque aquarum uis eum interclusiſſet, earum rerum omnium agmen, quale quantumq; acciderit, curioſius atque amplè explicabit, quod ſententiarum genus in hoc loco dignitatis collocamus. Tertio loco ea ponimus, quibus uitam hominum inſtituimus, bene uiuendi præcepta damus, à uitijs depellimus, qualia omnia ſunt, quæ ad mores pertinent. Item ea, quæ à ſcriptoribus exornationum ſententiæ appellantur: hæc ſententia oratio eſt, qua ea continentur, quæ quum generaliter

*neraliter ita efferantur, ut ad omnes pertineant, aut quid ſit, aut quid fieri debeat, in uita oſtendunt. Quid ſit, ut pro L. Cornelio Balbo, Sed contentio tam diu ſapiens eſt, quandiu aut proficit aliquid, aut ſi non proficit, non obeſt ciuitati. Item pro eodem, Eſt enim hæc ſeculi labes quædam, & macula uirtuti inuidere, uelle ipſum florem dignitatis infringere. Quod fieri debeat, ut pro M. Cælio, Detur aliquid ætati, ſit adoleſcentia liberior, non omnia uoluptatibus denegentur, non ſemper ſuperet uera illa & directa ratio. Vincat aliquando cupiditas, uoluptaſq́; rationem, dummodo illa in hoc genere præſcriptio, moderatioq́; teneatur. Parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne currat in alterius domum atque famam, ne opprobrium caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat, ne quem interimat, ne interſit inſidijs, ſcelere careat. Nam totus iſte locus ſumma cum autoritate quid fieri debeat docet. Sententiarum aliæ ſunt ſimplices & * abſque ratione, ut illa ſuperior: & hæc, Nam in omni certamine qui opulentior eſt, etiam ſi accipit iniuriam, tamen quia plus poteſt, facere uidetur. Nam hæc non eſt, ſubiecta ratione, ut imperiti dicerent, ſed tota ſimplex. Si rationem enim tollas, nec ſententia quidem erit, ut ſubiecta ratione, ut de reſponſis augurum, Parentibus, & dijs immortalibus, & patriæ nos primum natura conciliat. Eodem enim tempore & ſuſcipimur in lucem, & hoc cœleſti ſpiritu augemur, & certam in ſedem ciuitatis, ac libertatis aſcribimur. Aliæ duplices & ſine ratione, ut illa Terentiana, Obſequium amicos, ueritas odium parit. Et hæc pro P. Sextio, Neque enim rerum gerendarum dignitate efferri homines ita conuenit, ut ocio non proſpiciant: neque ullum amplexari otium, quod abhorreat*

[Margin: * haud abſq́; | Sententiæ ſimplices. | Duplices ſententiæ.]

à dignitate. Vel ſubiectis rationibus, ut ad Herennium: Qui adoleſcẽtium peccatis putant ignoſci oportere, falluntur, propterea quòd ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudijs. At hi ſapienter faciunt, qui adoleſcentes quàm maximè caſtigant, ut quibus uirtutibus omnem uitam tueri poſſint, eas in ætate maturiſſima uelint comparare. Sententiæ ab uniuerſis ad ſingula nonnunquàm trahuntur, neque tantum dignitatis amittunt, quantum acquirunt ſuauitatis, ut illud Ciceronis, Nihil habet Cæſar, nec fortuna tua maius quàm ut poſſis, nec tua natura melius quàm ut uelis conſeruare quàm plurimos. Huic modo & uis quædam ineſt, ſicuti & his quæ ex contrarijs connectuntur, qualis Terentiana eſt, & illa Ciceronis, Parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, non ſpoliet alienam. Sententias has nec crebrò, nec longiores in oratione collocabimus. Breuiores enim ac rariores magis interlucent, niſi & locus commorationem quandam petat, & qui dicit non paruæ autoritatis ſit: non enim omnia æqualiter omnibus præcipiuntur. Præterea ueræ ſint, & huiuſmodi ut auditor eis aſſentiat, rebus quoque quibus de dicimus accommodatæ, qua ſola ex re & acrimoniæ ſibi non parum affertur, ut ſi nihil diceres homine ſeditioſo ciuitati pernicioſius. Quarto loco ea ponimus, quæ res geſtas & præclara facinora continent. Methodus dignitatis, eſt abſque dubitatione aliqua ſic aſſerere, aut negare, ut nihil ambigere uidearis. Nam qui dubitat, etiam ſi ſententia dignitatis ſit, non id tamen, ſed moratam conficit orationem. Prioris hic locus exemplo ſit, ex oratione pro P. Sex. ſumptus, Nunquam officio coniunctior dolor unus eſſe poteſt, quàm hic meus ſuſceptus ex hominis de me optime meriti periculo. Poſterioris ex eadem, Siue illa ueſtis mutatio ad luctum ipſorum, ſiue ad deprecandum ualebat. In quibus quid

Methodus dignitatis.

methodus ualeat perſpici poteſt. Res enim huius & moratæ formæ, commutata methodo, immutantur. Allegoricè etiam dicere res magnas dignitatis eſt, quod ferè omnes theologiæ principes non ſolùm uere, ſed fictè quoque ac falsè intellexerunt. Item per ſubiectionem, id eſt, Græcè per emphaſim, dignitatis ſententias efferre huic formæ conuenit, quod dignitatem auget non facit, cuius ſignum eſt, quòd in aliena ſententia aliud quid faciat: Vt, demiſſum lapſi per funem. Et, pars ingentem formidine turpi Scandunt rurſus equum. Item tua ſententia quicquam affirmare, dignitatis eſt, ut pro Plan. Nam qui pro repub. uitam dederunt, licet me deſipere dicatis, nunquàm meherculè mortem eos quàm immortalitatem aſſecutos putaui. Nam hoc quàm elatum ſit hac methodo, quis non uiderit? quamuis interiectio illa, licet me deſipere dicatis, tantum dignitatis detrahat quantum ex ueritate adijciat. Item rarius uti uerbis, ita ut pluribus membris unicum uerbum inſeruiat, dignitati attribuendum mihi uidetur, ut Officiorum primo, Deſerunt enim uitæ ſocietatem, quia nihil conferunt in eam ſtudij, nihil facultatum, nihil operæ. Item in ſecundo in Catilinam, Res eos iampridem, fides nuper deficere cœpit. Hæc methodus etſi celeritatis plurimum habeat, tamen àb hac forma omnino aliena non eſt. Dignitatis dictio quàm ampliſsima eſſe debet, quod tum aurium acri iudicio conſequi poſſumus, ſi exercitati ſumus (nemo enim erit qui quantum latius atque plenius, quicquam ſonet, non uideat, quàm etiam eiuſdem ſignificationis particula) tum ratione. Implet enim magis os ſpiritu, & rotundam emittit, quaſi uocem. Illæ igitur in dignitate nobis deligentur dictiones, quæ ſonantibus atque robuſtioribus conſonantibus componuntur, quæ amplis uocalibus efferuntur, quales ſunt longæ ferè omnes, O, & A, maximè. Pleniſsimo enim ſpiritu & apertis la-

Per emphaſim

Dignitatis dictio.

O, & A, uocales ampla.

bijs proferuntur. Quare omnes quæ in eas exeunt dictiones, clauſulis à Cicerone, cui maxime curæ dignitas eſt, ſæpius obſeruantur. O uerò etiam in penultima magnum quid pollicetur, unde ortus quàm ornatus ſonantius eſt. I, ſola etiam quum producta ſit, exilis eſt. Demittit enim & deprimit uocem, unde & Cicero quum huius generis clauſulam in nonnullis orationibus maxime ſequatur, huiuſmodi membrorum exitus conſilio uitat. Omnis enim quæ ultimam producit dictio, longè amplior eſt, etiam ſi quæ antecedunt in ea ſyllabæ contrahantur, quàm ſi cæteræ longæ, breui ultima ſpiritu proferatur. Præterea translationes frequentiores hic erunt. Dignitatem enim efficiunt: ſi propinquæ, accommodæ ſunt: remotiores, aſperitatem: ſi crebræ collocentur, ſi longius repetantur, tragicam dignitatem, non oratoriam efficiunt. Nam inter alia dura atque abrupta longe repetita translatio, tragœdiæ idonea eſt. Schemata ſunt omnia, quæ puri ſermonis, & præterea ἐπίκρισις, quam Latinè adiudicationem appellare poſſumus. Ea eſt, quum id quod dictum eſt, breui quadam ſubiectione aſſerimus, ut illa Guarini, & rectè ſanè: & adiudicatio quidem clara huiuſmodi eſt, quæ ab exordio ideo alieniſſima, quòd circunductioni oppoſita eſt. Verùm quũ conditioni aut dubitationi inſeritur, quamuis moratam potius orationem efficiat, tamen uis ſua etiam ſubapparet, ut Cicero pro M. Cælio, Etenim ſi attendere diligenter, & æſtimare uerè uolueritis, ſic conſtituetis iudices: neque diſſenſurum quenquàm, &c. Iniectiones & conuerſiones ſicuti claræ orationi, ita dignitati oppoſitæ ſunt. Quare in huiuſmodi dignitatibus rarius collocandæ aut nunquàm ſunt, ſi quis hæc proſequi ita conſtituerit, ut maximam huius, paruam aliorum curam habeat. Membra quantò breuiora, tantò magis dignitatis propria ſunt: cuius rei ſi quis exemplum cupit,

I litera ſonus.

Adiudicatio. ἐπίκρισις.

pit, de Officijs librum legat. Etenim in eo libro quum dignitatem maxime rerum natura expeteret, quum cæteris, tum mẽbris, ſummus horum omnium magiſter Cicero eam conſequitur. Dignitatis collocatio ea ſit, ut non magnam curam habere uidearis, ne conſonantium concurſus uocaliumq; hiatus ſæpius fiant: deinde dactylica omnis cõpoſitio, & antiſpaſtica, & maximè ſpondaica, & epitritica, dignitati dignam ſonoritatem afferre ſolent. Iambum etiam nonnunquam adhibere non alienum eſt: à trocheo uerò & ionico, & maximè anapæſto, tanquã ab hoſte declinandum eſt. Nihil enim magis deponit dignitatem ac deprimit, quàm trochei & ionici crebra locatio. Clauſula ubiq; fermè eoſdem pedes & habebit, & uitabit. Eſt autem epitritus præter tertium, clauſulis conuenientior. Pæone uerò tertio, antiſpaſto ac ditrochæo, neſcio ſi quicquàm amplius in clauſula inueniri poteſt. Verum quoniam nonnulli uix quod præcipitur credũt, niſi exemplis approbetur: & in cunctis generibus id facere, idcirco nõ inducam animum, quoniam uno in genere latius hanc rem tangere ſufficere putaui, hoc in loco potiſſimum nonnullas Ciceronis congeramus clauſulas. Pro M. ergo Marcello, Hodiernus dies attulit, inquit, & totum inquàm eſt tuum, & ad comparationem noui contulit. Alibi nec exitum membrorum ſolum, ſed initia etiam duobus uel tribus dactylis compoſita in carminibus numerum inuenies, ut in eodem loco, At uerò hæc tua iuſtitia: Et in officijs, Principio generi animantium: quod & in ſpondeo facit, Si patres, inquit, conſcripti pro ueſtris immortalibus in me. Quod quoniã exitum heroici uerſus habet, nemo non uiderit, quantũ orationem extollat, quod & T. Liuius imitatus eſt, Facturus ne ſim operæpretium. Quas ob res uehementer ab his diſſentio, qui heroici uerſus exitum in ſoluta oratione uitandum arbitrantur. Nam quum grauis & ſuauis ſimul ſit, rarò

Dignitatis collocatio.

quidem,quoniam præmeditationis aſſert ſuſpicionem, collocandus,uitandus autem omnino cur ſit,nullam unquam rationem inuenient, præſertim quum Cicero pro Pom.his uerbis adhibeat, Ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt. Quòd ſi quem pro,ante uocalem poſita perturbet,illa conſideret, Ad eas,inquit,gentes quibuſcum tum bella gerebamus,& rex,& ſocius populi Romani atque amicus, &* ueſtris ſocijs atque amicis. Trochæus uerò ut ſimplex ab hoc genere alienus, ita duplicatus clauſulis maximè idoneus. Fructum ſum,inquit, ampliſſimum conſecutus, & præſcriberetis, & eſſe arbitratur:& alibi,retinendum in ciuitate. Cui ſi choriambus penthemimeris quaſi modo præcedat,grauius fit:ſi pæon primus,& grauius ſimul & multò ſuauius. Cunctis,inquit,quum gratias populo ageret ſuffragijs iudicauit, & eius orationis difficilius eſt exitum quàm principium inuenire. Verum in exitu hic pæon, ut iucundior, ita minus grauis: interclusum,antequàm iret in exilium, ad ſocios, inquit, præſidium: &, id extitit excidium: &, non ueni ad ſupplicium. Secundus remiſſior multò quàm tertius, nam is ad epitriti grauitatem accedit. Quartus ex clauſulis ita hinc abijciendus, ut epitritus. Tertius nunquàm adhibendus. Nam quàm demittat & deprimat orationem, imo uerò exaſperet,quis non uiderit? Cn.Pomp.diuino,inquit,conſilio, ac ſingulari uirtute depulſum eſt. Ionicus etiam à minore,aut minimè grauis eſſe uoluerunt,ad ſenatum inquit:& alibi,nil facere potuerunt. Moloſſus etiam non inutilis,ut de reſponſis augurum,diſcordiæq; placandæ. Epitrito autem & alibi ſæpe & ad ſenatum his uerbis utitur, Sæpenumero referrent, ſed quos ei commodum fuit compellauit:& ſæpe dixerunt,alibi:& in epiſtola ad Curionem,fideliſſimis atque amantiſſimis conſilijs paruiſſes. Neque enim non inueniuntur Ciceronis epiſtolæ,quæ quoniam

* noſtris

ita

ita res poſtulabat, ſermonis genus non parum excedunt. Sed de his hactenus, de quibus longius progreßi ſumus, quoniam huius generis clauſulis, uel quæ ad hoc magis accedunt, crebrius Cicero uti uidetur, quanquàm & cæterorum ſemper loco utatur, quod ſi quis uidere cupit, primò quod unicuique rei genus ille attribuat, deinde clauſulas & compoſitionem generis eius examinet, neque grauetur qui ſe in dicendo exercet, hæc minuta inquirere. Nam niſi ab initio exercitationum noſtrarum, harum rerum copiam nobis parauerimus, neſcio quomodo ſuſtinendi oratores eſſe poterimus. Præterea ut turpe, idoneum orationi numerum non accommodare, ita ridiculum dixerim, tunc eum quærere quum dicere opus ſit. Quare huic rei in ætate tenera inſudemus, ut poſtea nec petitus quidem, ſed ſponte ſua nobis affluat numerus. Ad hæc illud acriter mihi in dignitate perſpiciatur, ne numerus pendeat, ſed conſtans ac firmus ſit. Nam cum clauſula totum ferè numerum ad naturam ſui rapiat, ſiquidem hæret ac firma eſt, quam conſtantem & Impendulam nominamus, firmũ quoque atque abſolutum, qualem dignitati conuenire putamus, numerum conficit. Sin uerò decliuis eſt & infirma, quam Pendulam uocare libet, eam numero iucunditatem affert, quæ dignitatem de gradu ſuo facile deturbat. Impendula clauſula eſt, quæ quum ſententiam abſoluat, polyſyllabam dictionem & in longam exeuntem continet, ex quo patet epitritum quartum in clauſulis fugiendum, & amplas uocales finali ſyllaba congruas. Pendula eſt cùm ècontrario, nec ſententia concluditur, & uerbum breue eſt. Ea uerò membra, quæ ſententiam quidem abſoluunt, ſed breuiores habent exitus, quamuis quendam medium numerum conficere uideantur, tamen quoniam clauſula maxime numeri ortus habetur, pendulæ clauſulæ adiudicamus. Verùm, quoniam nonnullorum pedum facta eſt mentio

Impendula clauſula.

Pendula.

mentio, ne cui pedum ignorantia impedimento ſit, de his mihi dicendum eſſe uideo, ſed breuiter. Nam *ſi hoc nobis propoſitum eſſet, ut rationes quoque diligenter explicaremus, quare hi quidem pedes in hoc genere, illi in alio adhibeantur: & hi hoc genus deprimant atque diſſoluant, illi illud, latius nobis de pedibus diſſerendum eſſet. Fundamenta enim ſolutionum & rationes, quæ proportionibus muſicis nituntur, aperire neceſſe eſſet, quæ res non omnino ab hoc negotio abhorreret, niſi res ſolas exequi maluiſſemus, quarum notitia multos forſan ad inquirendas rationes impelleet, quas & nos ipſi aliâs, ſi otium dabitur, diligentius rimabimur.* Pedes omnes *octo & uiginti ſunt, horum omnium quot, quæq́; productæ, contractæq́; ſyllabæ ſint, exponemus: quod ut breuius fiat, loco productæ ſyllabæ rectam lineam, loco breuis incuruam ponemus.* Octo *igitur & uiginti pedum, quatuor diſſyllabi ſunt, octo triſſyllabi,* XVI. *quadriſſyllabi.* Nam *qui pluribus ſyllabis pedes cōſtare putat, is inutilem omnino rem atque ſuperuacaneam fingit.*

Pirrhichius. ∪∪
Iambus. ∪–
Trochæus. –∪
Spondeus. ––
Tribrachus. ∪∪∪
Dactylus. –∪∪
Anapæſtus. ∪∪–
Amphibrachus. ∪–∪
Amphimacrus. –∪–
Bacchius. ∪––
Palimbacchius. ––∪
Moloſſus, qui & creticus. –––
Proceleuſmaticus. ∪∪∪∪
Pæon primus. –∪∪∪
Pæon ſecundus. ∪–∪∪
Pæon tertius. ∪∪–∪
Pæon quartus. ∪∪∪–
Ionicus à minore. ∪∪––
Ionicus à maiore. ––∪∪
Dijambus. ∪–∪–
Ditrochæus. –∪–∪
Antiſpaſtus. ∪––∪
Choriambus. –∪∪–
Epitritus primus. ∪–––
Epitritus ſecundus. –∪––
Epitritus tertius. ––∪–
Epitritus quartus. –––∪
Diſpondeus. ––––

Hi

Hi XXVIII.pedes ſunt, neque alij, qui ex his non componantur, inueniri poſſunt, ſed de pedibus hactenus. Nunc ad rem noſtram redeamus. Ac quoniam de dignitate dictum eſt, de aſperitate dicamus, cui pulchritudo & iucunda oratio ſimul cum acrimonia opponi uidentur. Aſperitas eſt oratio qua ſine correctione ſuperiores increpamus, uel orationis cõpoſitio increpationi huiuſmodi conſentanea. Eius ſententiæ ſunt omnes, quibus uel genere, uel fortuna, uel uirtute, uel omnino aliqua exiſtimatione hominum excellentes ab inferioribus increpantur, quas quidem ſine correctione, quum & puram aſperitatem faciunt, difficile inuenies. Leniũt enim ſemper & mitigant oratores correctione quadam, & quaſi licentia ab ipſis auditoribus, aut apertius poſtulata, aut cautius capta. Id fit quum ſtatim poſt aſperitatem aliquid huiuſmodi affertur, Hic ego ueſtram prudentiam requiro, priſcam conſuetudinem expoſtulo, patrum noſtrorum ueſtigia imitanda cenſeo. Vel antequàm aſperè aliquid dicamus, dubitatione utimur, neſcire nos quomodo rem accepturi ſint, ſed tamen amore ac emolumento eorum ipſorum cogi ut apertè dicamus. Vnde patet licentiam correctioni ſubiectam eſſe, & aſperitatis ſententias præcedere, non ſubſequi poſſe. Sine correctione autem tunc commode adhiberi poteſt aſperitas, quum ita obiurgamus, ut ipſi ſe obiurgandos putent, cui rei maximè locus eſt, quum in incommodum quoddam deciderunt, aut quòd noſtris conſilijs non obtemperarunt, aut omnino culpa ſua, & ea non parua, qua euenit, ut ipſi ſe dignos increpatione exiſtiment. Methodus aſperitatis apertè ac clarè abſq; his quæ leniunt & mitigant aſperas efferre ſententias. Nam tantò ab aſperitate diſcedere neceſſe eſt, quantò lenius increpationẽ dixerimus, ut hoc eſt in Philippicis, Placet eodẽ tempore præmia conſtituere his, qui contra Antonium arma ceperunt

Aſperitas

Aſperitatis ſententia.

Methodus aſperitatis.

ceperunt, & legatos ad Antonium mittere, ut iam pudendum ſit honeſtiora eſſe legionum decreta, quàm ſenatus. Item, legatos uerò ad eum mittere, de quo grauiſſimum iudicium nudius tertius decimus feciſtis, nō iam leuitatis eſt, ſed ut quod ſentiam dicam, clementiæ. Neque enim lenit quod interiacet, ſed quum ueritatis ſit, magis exaſperat. Dictio aſpera duriuſculéue translata, quàm uſus translationis communiter patiatur, & quæ per ſeipſam aſpera eſt, uidelicet his literis compoſita eſt, ut prolatione auditum feriat, ut diſcerpſiſſe, extorſiſſe, expers, excors.

Schemata aſperitatis. Schemata aſpera ſunt, quæ imperant, ut illud pro Cælio, *Detur aliquid ætati, ſit adoleſcentia liberior, non omnia uoluptatibus denegentur.* Item quæ cum interrogatione arguunt, ut in quinta Philip. *An poteſt cognatio ulla propior eſſe quàm patriæ?*

Membra inciſionis. Membra breuia & inciſiones, hoc eſt, commata eſſe debent: quo enim breuiora, tantò aſperiora ſunt.

Clauſula. Collocatio & clauſula huiuſmodi debent eſſe, ut nullus certus numerus conficiatur: quod erit, ſi non crebrò eos pedes collocamus, qui uerſum ſimul conficere poſſint, uerum eos qui unà poſiti, duram magis quàm iocundam reddunt compoſitionem. Nam qui dactylos anapæſtis, anapæſtos palimbacchijs, ſpondeum pirrhichio, proceleuſmaticos diſpondeis coniungit, ac huiuſmodi compoſitione abundat, is aſperior erit. Præterea earundem uocalium & conſonantium concurſus, & omnino earum literarum coniunctio, quas una uoce efferre non facile queas, hoc eſt, quarum compoſitio difficilem pronunciationem facit, aſperam reddit orationem, ut in Philippicis, *Hoc qui nō uidet excors: qui cùm uidet decernit, impius*: uerū ut hic literis exaſperauit (nam numerus præter ſpondei cum iambo locationem dignitatis eſt) ita in Verrē ad exprimendā ſententiam, quum poſt ſpondeum bacchium

chium inferat, numero durior eſt, Cuius, inquit, ego cauſa laboro. Et *ubi populo gratias agit, carendo magis intellexi quàm fruendo.* Et *pro* Ligario, Non *tu eum patria priuare, qua caret, ſed uita uis.* Epitritus *etiam tertius tunc adhibendus, quum aſperam rem, duram, indignam, difficilem exprimere uolumus, ut pro* Mil. *Inſidiatori uerò & latroni quæ poteſt inferri indigna nex?* Acrimonia *eſt oratio, qua æquales uel inferiores apertè carpimus, aut his rebus conueniens oratio, cuius ſententiæ ſunt omnes, quibus aut ij quos diximus redarguuntur, reprehenduntur, increpantur, uel denique uituperantur, aut hi quos ita excogitari auditoribus non ingratum eſt, ut in* Verrem *tertio,* Hæc *eſt iſtius præclara tutela.* En *cui tuos liberos committas, en memoria mortui ſodalis, en metus uirorum exiſtimationis. quum tibi ſe tota* Aſia *ſpoliandam ac uexandam tradidiſſet, quum tibi expoſita eſſet ad prædandum omnis* Pamphylia, *contentus his tam opimis rebus eius non fuiſti.* Manus *à tutela, manus à pupillo, manus à ſodalis filio abſtinere non potuiſti.* Iam *non te* Siculi, *non aratores, ut dictitas circunueniant, non hi qui decretis, edictiſq; tuis in te concitati infeſtiq; ſunt: quid expectas, an dum ab inferis ille* Malleolus *exiſtat, atque abs te officia tutelæ, ſodalitatis, familiaritatiſq; efflagitet? ipſum putato adeſſe homo auariſsime & ſpurciſsime: redde bona ſodalis filio, ſi non quæ abſtuliſti atque confeſſus es.* Hæ *igitur ſententiæ, ſi ſic apertè dicuntur, puram acrimoniam faciunt, ſed leniuntur nonnunquàm, ut pro* Cn. Planco, O *uocem duram atq; indignam tua probitate* Laterenſis, *pater ut in iudicio capitis, pater ut in dimicatione fortunarũ, pater ut apud tales uiros obeſſe filio debeat.* Methodus *ut in aſperitate clarè atque apertè ſine his, quæ leniunt omnia proferre, rar*

Acrimonia σφοδρότης.

re, rarò tamen non lenitam aſperitatem inuenies, acrimoniam ſæpius, & iure. Nam quod licentius dicitur, tam apertius, quã ſæpius adhiberi poteſt. Dictio acris, quæ & aſpera, & quæ durior quàm aſpera eſt. Quare & fingere uerba hic & pronunciare licet, uel à uitijs uituperando, uel à probitate deridendo, uel à fortuna, uel quouis pacto. Acrimoniæ ſchemata, conuerſio, interrogatio, demonſtratio. Conuerſio eſt quæ alicuius rei aut hominis interpellatione dolorem uel indignationem conficit, ut pro Milone, Vos ego iam Albani tumuli atque luci. Et prima in Catilinam, O dij immortales ubinam gentium ſumus? Hæc non ſemper acris eſt: idq; mihi ſic hoc in loco dictum eſſe uelim, ut ubique intelligatur, quũ ſchema aliquod generis alicuius eſſe dicitur, non ita dici ut id ſolum, ac ſemper conficiat: multa enim multis conueniunt, quod accidit, uel quia multis modis ſchemata fieri ſolent, uel quia uis eis ineſt. Verùm multò acrior ea conuerſio eſt, quæ in aduerſarium uertitur, quã placet aduerſionẽ appellare, ut pro Plan. Audi atq; attende Laterẽſis. Interrogationẽ hic nõ eam dicimus, quæ ſpiritu quodã interrogãtis profertur, quãuis & ipſa nõ lõgè ab acrimonia remota ſit, ſed eam quæ quũ enumerata ſint quæ obſunt cauſæ aduerſariorũ, id infert, quod à ſuperioribus improbatur. Hæc in acrimonia aduerſioni coniungi debet, ut in Verrem Cicero; Hæc tu omnium mortalium profligatiſſimè ac perditiſſimè, quum ſcires, quum audires quotidie, quum uideres, ſi ſine tuo maximo quæſtu fierent, cum tanto periculo tuo fieri paterere atque concederes? Huius ad aduerſarium conuerſio tum etiam plurimum uehementiæ poßidet, quum uel dilemmato, id eſt, complexioni uel repetitioni continuo interrogantis ſpiritu prolata coniungitur. Demonſtratio eſt quæ hominem uel rem quaſi præſentem oſtendit, Hæc eſt iſtius præclara tutela,

Schemata acrimoniæ. *Conuerſio.* *Interrogatio.* *Διλήμματον.* *Demonſtratio.*

tutela, en cui liberos tuos committas: quod acrius propter deriſionem uidetur. Neque enim abſque acrimonia deriſio eſt. Huiuſmodi eſt illud pro Plan. communiter in omnes dictum, & in Laterenſem intellectum. Ergo hi ferendi ſunt, qui queruntur libertatem equitis Romani ſe ferre non poſſe. Sed iam de membris dicamus, non enim omnia dicere inſtituimus, uerum hæc ita aperire, ut facilè omnes his habitis, ſi formarum eloquentiæ curam habebunt, cætera uidere poßint. Membra breuia, hoc eſt, commata, quæ etiam aſperitati conuenire dicebantur, acrimoniæ accommodanda ſunt. Maximè autem membris hanc formam efficies, ſi ſingula uerba interuallis diſtingues, cæſa oratione: quod genus multi inter exornationes enumerant, & Articulum appellant, ut pro Plan. De eorum deſiderio, luctu, querelis, quotidie aliquid tecum ſimul audiebam. Item pro Corn. Balbo, Talis in rempublicam noſtram labor, aßiduitas, dimicatio, uirtus digna ſummo Imperatore. Collocatio, clauſula, & numerus ſimiliter fieri hic debent atque in aſperitate dicebatur. Nunc quoniam orationi quæ uerè grandis ſit, ſplendor quidam debetur, de illuſtri oratione dicamus. Cui quidem formæ illud dicendi genus opponitur, quod* inciſum, dialecticum, uelox, & uerè forenſe appellari poteſt. Illuſtris oratio dicitur, quæ magna atque clara compoſitione his rebus conuenit, quibus plurimum gloriamur. Sententias igitur ſplendidas & luculentas arbitramur, quibus qui dicit non parum gaudet, uel quoniam gloriæ ſibi ſunt, uel quoniam bene ſibi geſta ſunt quæ dicuntur, uel quoniam his rebus auditores exultant, ut pro P. Sylla, Ego conſul quum exercitus perditorum ciuium clandeſtino ſcelere conflatus, crudelißimum, & luctuoſißimum exitium patriæ comparaſſet, quum ad occaſum interitúmque reipub. Catilina in caſtris, in his autem templis atque tectis Lentulus eſſet con-

Articulus.

* inciſiuum

Illuſtris oratio. λαμπρότης.

ſtitutus, meis conſilijs, meis laboribus, mei capitis periculis, ſine tumultu, ſine delectu, ſine armis, ſine exercitu, quinque hominibus apprehenſis atque confeßis, incenſione urbem, interemptione ciues, uaſtitate Italiam, interitu Rempub. liberaui. Ego uitam omnium ciuium, ſtatum orbis terræ, urbem hanc denique, ſedem omnium noſtrum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperij, quinque hominum amentium ac perditorum pœna redemi. Methodus eſt abſque aliqua dubitatione rem efferre, quod artificium antequàm in ſuperiorem ſententiam incideret, Cicero his uerbis declararat, *Maxima, inquit, uoce ut omnes audire poßint dico, ſemper'que dicam.* Item ſi nulla interiectione ſententiæ inciduntur. Item ſi aliena ab omni conuerſione oratio ſit. Diminuitur enim ut interiectione, ita conuerſione orationis ſplendor, ut illud pro P. Sylla, *O dij immortales, uobis enim tribuam quæ ueſtra ſunt, nec enim poſſum tanto ingenio dare, ut tot res, tantas, tam uarias, tam repentinas in illa turbulentißima tempeſtate reipub. mea ſponte diſpenſauerim, uos profectò animum meum tum conſeruandæ patriæ cupiditate incendiſtis, uos me ab omnibus exteris cogitationibus ad unam ſalutem reipub. contuliſtis, uos denique in tantis tenebris & erroris & inſcitiæ clarißimum lumen prætuliſtis menti meæ.* Dictio ſplendidæ orationis eſt omnis, quæ dignitatem efficere poßit. Schemata uerò quæcunq; pulchra ſunt & ampla, ut ablationes, ſeparationes, & omnino quæcunque per diſſolutionem inducuntur, ſi longis membris compoſita ſunt, ita ſplendidam orationem reddunt, ut etiam uigoris multum facilè poßideant. Nam oratio tunc uigere maximè dicitur, quum ſplendoris ſchemata & membra continent, ſed de uigore pòſt: Splendidæ uerò orationi rectitudo obliquationi commixta uehementer conuenit, ita

ut à

ut à rectitudine eáque breui incipiamus, obliquationi cætera committamus. A puro enim ſermone qui rectitudine conficitur eodem ſchemate prolata, ſplendida oratio in hoc maximè differt, quòd illa rectitudine membra perficit, hæc ſtatim obliquat: quod ideo accidit, quòd ibi res nuda narratur, hic qualitas quoque rei cum amplificatione accipitur. Neque eſt quicquam ex his rebus, quas ſplendoris eſſe diximus, quod hoc genus commodè conficeret, niſi qualitas ſimul comprehenderetur. Membra quantò longiora, tantò ſplendidiora eſſe ſolent. Clauſulam eam accipiemus, quæ dignitati conuenire dicebatur. Collocatio ſimiliter, quæ* & dignitatis & trochaica. Nam trochæus ab orationis ſplendidæ collocatione alienus non eſt, dummodo clauſula dignitatis ſit. Ex his qualiſnam ſplendori numerus attribui debeat, manifeſtum eſt. Vehementia eſt acris uel aſpera oratio ſine ſplendore, huic ex parte ſententiarum & methodi quæ acrimoniæ uel aſperitati, in cæteris ferè omnibus, quæ ſplendori oppoſita ſunt, huic inquàm etiam opponuntur. Sententiæ igitur & methodus, uigoris & uehementiæ ſunt omnes quæ aut acres, aut aſperæ ſunt. Dictio earundem formarum & ſplendoris ſimul, ſchemata ſplendoris & acrimoniæ, cætera omnia ſplendoris ſunt. Quibus ex rebus conſtat, formam hanc ex acrimonia, uel ex aſperitate & ſplendore compoſitam eſſe. Nam ſi ſententijs aſperis, aut etiam ſchematis acrioribus membra & numerum ſplendoris adijcias, quam uehementiam, ac orationis uigorem appellamus, conficies: quam quidem hic quamuis ſimplices formas exequamur, ideo poſuimus, quoniam non eo pacto, quo cætera genera, quæ commixta ſunt, compoſita eſt. Cætera enim ut iam ſæpe dictum eſt, quum concurrant, non tamen ita excedunt naturam ſimplicium, ut aliud

* & dignitas trochaica

Vehementia ἀκμή.

quid reddere uideantur, ſed quod abundat, id eluceſcit, & ſeipſum oſtentat, cæteriſq; ita facilè dominatur, ut orationis genus ab eo nuncupetur. Hic, modo recte mixtura facta ſit, quamuis ſimplicium natura peritum non lateat, tamen illud quod compoſitione redditur, nec minus harum rerum expertus alicui ſimplicium attribuere auderet, & doctus ut ſimplicia ineſſe ſentit, ſic commixtione ipſorum aliam emerſiſſe formam, quæ & naturam eorum ſapiat, & nihil eorum ſit planè intelligat. Vnde fit ut quum in cæteris ex ſimplicibus nominemus, huic diuerſum à componentibus nomen accommodatum ſit. Ad hæc uehementia quaſi una ſimplexq́; forma cæteris plerunque commiſceri ſolet. Verum ut quæ diximus pateant, liberaliter ex Oratore exempla mutuemur, primo in Verrem, Putas'ne te poſſe de maximis acerbiſſimiſq; rebus quum cauſas ſociorum fortunas'que prouinciæ, ius populi Ro. & grauitatem iudicij, legum'que ſuſceperis, tot res, tam graues, tam uarias, uoce, memoria, conſilio, ingenio ſuſtinere? Putas'ne te poſſe quæ C. Verres in quæſtura, quæ in legatione, quæ in prætura, quæ Romæ, quæ in Italia, Achaia, Aſia, Pamphylia'que peccauerit, ea quemadmodum locis temporibus'que diuiſa ſint, ſic criminibus, & oratione diſtinguere? Putas'ne te poſſe, id quod in eiuſmodi reo maximè neceſſarium eſt, facere ut quæ ille libidinosè, quæ nefariè, quæ crudeliter fecerit, ea æquè acerba uideantur eſſe his qui audient, atque illis uiſa ſunt, qui ſenſerunt? Nam hic omnis compoſitio illuſtris eſt, conuerſio acris, repetitióque illuſtriſſima eſt, exornatio per longiora membra confecta, illuſtrior facta eſt, cui ipſi ineſt acrimonia propter conuerſionis interrogationem: & quod mirum eſt, perfectis membris, quæ totam ſententiam abſoluunt, inciſiones quaſdam, & eas per repetitiones & articulos inſerunt, quæ

acrim

acrimoniæ ſunt. Senſus uerò uniuerſus ſplendoris eſt. Valde enim his confidit orator, quare & immoratus eſt, & productionem ſpiritus ter effecit, quæ res quum pleniſsimam orationem reddit, tum auditores uehementer exuſcitare ſolet. Verùm quoniam & productio ſpiritus à uehementia aliena non eſt, maximè ſi acrimoniæ ſchematis ſit, de ea ipſa iam dicamus. Productio ſpiritus eſt membris & commatis adhibitus ſpiritus oratoris in moratione ſchematis compoſita comprehenſio. Hæc quum omni orationis ſchemate fieri & poſsit & ſoleat, duobus ſolum modis explicatur. Aut enim unam eandemq; rem membris & commatis expoliendo dicimus, aut diuerſæ res diuerſis membris & ſchematis efferuntur, aut utrunque. Quare primo poſtremoq; modo expolitio ſemper inerit, quæ eſt quum eandem rem ſæpius dicimus, & tamen aliud atque aliud dicere uidemur. Prioris modi hoc ſit exemplum ex primo in Verrem ſumptum, Quòd ſi hanc cauſam tam idoneam, tam illuſtrem, tam grauem non haberem, ſi aut hoc à me Siculi non petijſſent, aut mihi cum Siculis cauſa tantæ neceſsitudinis non intercederet, & hoc quod facio, reipub. cauſa facere profiterer, ut homo ſingulari cupiditate, audacia, ſcelere præditus, cuius furta atque flagitia non in Sicilia ſolum, ſed in Achaia, Aſia, Cilicia, Pamphylia, Romæ deniq; ante oculos omnium maxima turpiſsimaq; noſſemus, me agẽte, in iudiciũ uocaretur, quis tandem eſſet qui meũ factum aut conſilium poſſet reprehendere? In quocunque ergo ſchemate orationis ita immoraris, ut cùm redditio longior ſit, tum uel maximè commata, inciſionesq; quædam & longiora membra connectuntur, quoniam non conquieſcit ſpiritus, ſed multitudine rerum, & membrorum uarietate properare ad exitum uidetur, productionem ſpiritus, quam Græcè πνεῦμα dicimus, conficies. In qua prout res expoſtulat, cæte-*

* Lycia

Productio ſpiritus duobus modis.

ra quoque ſchemata, quæ illi quod producit ſubijciantur, aſſumere ſolet Cicero: eſt'que ferè hoc productionis proprium, quippe quæ planæ orationi ualde conueniat, ut in ſuperiore exemplo, quoniam & uehementia & uelocitate opus erat, bis articulum poſuit: In eo uerò, ego conſul quum exercitus, ſeptem commatis duas res expoliendo bis repetijt, demum diſſoluto per inciſionem uſus, & illuſtrem non ſolum propter productionem, quæ non nihil ſplendoris ſemper habet, ſed tota compoſitione, & prolixitate primorum membrorum & pulcherrimam repetitionem, quieta, crebra, & uaria ac demum uelocem breuitate, & diſſolutione membrorum reddidit. Illud uerò non prætermiſerim, animaduertiſſe nos Ciceronem ubique ferè in productionibus, ſplendidis in ipſo ingreſſu ſchematis, uel membris acribus uti ſolere, quod ita factitatum ab eo putamus, ut cogi ſpiritus, & * deferri oratio uideatur. Sed hæc ſufficiant. Non enim omnia complecti, ſed radices, quibus cuncta excogitari poßint, tradere inſtituimus. Nunc ad reliqua tranſeamus. Quoniam de cæteris partibus, quas magnitudinem orationi conferre dicebamus, breuiter dictum eſt, nunc tempus eſſe uidetur, ut de circunductione, quæ reliqua eſt, dilucidè dicamus. Hæc enim unica ſola forma eſt, quæ orationem erigit, ac ſupinam, id eſt, ut Græcè dicam, ὑπτίαν non patitur. Hac etiam omnes, qui oratoris nomine digni ſunt, plurimum utuntur, quod quare ita fiat, latius dicemus, ſi prius quid ſit, & quo modo fiat cognouerimus. Circunductio eſt orationis congeries, quæ multitudine rerum in longius compoſitionẽ protrahit. Hæc forma ut ſuperius dictum eſt, puro ſermoni oppoſita eſt. Sententiæ uerò eius maximè ſunt, quæ de foris aliquid aſſumunt, ut genus ad ſpeciem, aut infinitum finito, ut pro Lucio Flacco, Quòd ſi eſſet aliquando futurum, ut aliquis de Lucij pernicie

* deferri uideatur.

Circunductio.

cogit

cogitaret, nunquàm tamen exiſtimaui iudices Decium Lælium, optimi uiri filium, optima ipſum ſpe præditum ſummæ dignitatis, eam ſuſcepturum accuſationem quæ ſceleratorum potius ciuium odio & furori, quàm ipſius uirtuti atque inſtitutæ adoleſcentiæ conueniret. Infinitum igitur ad finitum aſſumere, ut hic in perſona fit, circunductionis eſt, quod per omnes circunſtantias commodiſſimè fit, ut pro eodem, In tempore ſi unquam reſpub. conſilium, grauitatem, prudentiam, ſapientiam, iudicium implorauit, hoc tempore, hoc inquam tempore implorat &c. Aut communius quid & maius, hoc eſt, totum aſſumitur ad eam quæ ſub eo continetur partem: cui modo etiam attribuendum, ſi dignius ad ea quæ ſub eo ſunt, contraheretur, hoc pacto, Nulla dubitatio eſt, ſi patriæ omnia debemus, nos quoque ipſos ei debere: qui autem ſeipſum debet, eum ſua non debere, ueriſimile non eſt. Deinde circunductionis eſt, non nudam & ſimplicem rem ſicut in puro ſermone exponere, ſed cum his quæ eam conſequuntur. Conſequuntur autem rem geſtam, locus, tempus, cauſa, modus, perſona. Perſonam hi loci quos demonſtratiuos appellamus, in quos hæc ipſa circunſtantia nobis in tertio diuiſa eſt, & ut uno uerbo id totum exprimam, ea qualitas, quæ unicuique circunſtantiæ appoſita eſt, conſequens atque annexum hic appellamus, quam etiam qualitatem, ſi pleniorem orationem efficere uolumus, non nudam, ſed cum amplificatione proferemus. Ad hæc ſi quis non ſolum ea quæ facta, uel non facta ſunt dicit, ſed ſimul cum his oſtendit, quod conſecuturum oportuit, uel non oportuit, quid conſecutum ſit, uel utrunque, ut pro L. Flacco, Etenim quibus autoribus & defenſoribus, omnium tum ſalus eſſet non ſolum ciuium, uerum etiam gentium defenſa ac retenta, neminem

unquam putaui per eos ipſos periculum huius fortunis, atque inſidias creaturum. In eodem, Quum in maximis periculis huius urbis atque imperij, grauiſsimo atque acerbiſsimo reip. caſu, ſocio ac adiutore conſiliorum, periculorumq́; meorum L. Flacco cædem à uobis, coniugibus, liberis ueſtris, uaſtitatem à templis, delubris, urbe, Italia depellebam, ſperabam iudices honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum quàm miſeriarum deprecatorem. Huic enim orationi non utrunque ſolum, quod nouiſsimè diximus, ineſt, ſed perſona, res, loca, tempora inſerta, neque tenuiter, uidemus. Poſtremo, ſi quod aduerſatur cui aduerſatur inhæret, ut pro Mil. *Etſi uereor iudices, ne turpe ſit pro fortiſsimo uiro dicere incipientem timere, minimeq́; deceat, quum C. T. Annius ipſe magis de reipub. ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad eius cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe, tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos.*

Circunductionis methodus. Circunductionis methodus poſtpoſitio rerum, quæ fit, quum ea, quæ natura rerum præcedunt, poſtea inferuntur: quæ rerum ordinem conſequi uidentur, prius occupantur. Huius methodi eſt rationes propoſitionibus anteponere, aut alio quodam modo partium argumentationis ordinem artificioſe conturbare. Item ea quæ fidem faciunt rebus confirmandis implicare. Mirum enim in modum ei concreſcit oratio, qui quæ probant rebus exponendis inſerit. Dictionem circunductionis propriam nullam eſſe cenſeo. Nam quum eius uis tota in ſententijs, methodis, & ſchematis conſideretur, non magis hæc quàm illa dictio eam efficiet. Quare nullum inueniri uerbum putamus, quod aut alienum, aut proprium circunductionis ſit. Quod quum ita ſit, illa magis ſumemus, quæ eius formæ ſunt, quam cum circunductione promere uolumus.

Circũductionis ſchemata. Schemata circunductionis eſſe putamus, quæcunque huiuſmodi ſunt, ut non ſimpli

ſimplici quodam contextu orationis animum auditoris quietum reddant, ſed ſuſpendant, atque * de uno aliud expectare cogant, cuiuſmodi ſunt enumeratio, ordinatio, electio, conſecutio, ſubcontinuatio, redditio, partitio, conditio cũ partitione, ablatio inferens, copulatio dirimẽs, iniectio. Enumeratio eſt oratio in qua, quæ breuiter explicaturi ſumus, certo prius numero colligimus. Cicero in Philippicis, Duo modo hæc opto, unum, ut moriens Populum Romanum liberum relinquam: alterum, ut ita unicuique eueniat, ut de republica quiſque mereatur. Verum hæc elegantiæ magis eſt. Nam & ſi omnis enumeratio utrunque faciat, quòd & animum auditoris dociliorem reddat, & rerum expectatione ſuſpendat, breuior tamen ad unum, longior ad alterũ genus propenſior eſt, illa pro P. Qu. circunductionis, Ego hæc duo quæro, primum, qua ratione Neuius ſuſceptum negotium nõ tranſegerit, hoc eſt, cur bona, quæ ex edicto poßidebat, non uendiderit, deinde cur ex tot creditoribus alijs ad iſtam rationem nemo acceſſerit. Hæc omnia cum ordinatione niſi redditio longius remoueatur, elegantiam faciunt, per inciſiones abſolute tenue genus conficiunt: longiores ſi ſunt, etiam * ſi reſumas, circunducunt. Neque enim ut circunductionis uim auferat, ſed ne in obſcurum circunductio decidat (quod ab omni oratione alienum eſſe debet) reſumptio inſeri ſolet, ſed ordinatione multò magis enumeratio circunducit. Nam hic ſimpliciter, dupliciter ibi circunducimus, quorum primum à ſententijs huius generis non abhorret. Electio eſt quum, etſi alicuius gratia maxime quicquam faciendum arbitramur, tamen & propter aliud ſuſcipiendum oſtendimus, ut pro L. Cor. Balbo, Atqui ego ſic ſtatuo iudices, in hac cauſa atque exercitatione dicendi à me locum pietatis potius quàm defenſionis, querelæ potius quã eloquẽtiæ, doloris potius quã ingenij

*denuo

Enumeratio.

Ordinatio.

*res ſummas circũducunt.

Electio.

Conſecutio. partes eſſe ſuſceptas. Conſecutionem eſſe dicimus, quum ab eo incipit oratio caſu, qui ad uerbum non redditur, hoc pacto, Iudicijs corruptis nihil amplius relinquitur in re publica iudices, quod iniquitatis conſilia comprimere poßit. Subcōtinuatio. Subcontinuationem appellamus, quum particula quadam orationis præpoſita, longior uerborum ſeries contexitur. Redditio. Redditionem nominamus, quum oratio his dictionibus circunducitur, quarum una ad alteram refertur, ut tantum, quantum, adeo ut is qui. Partitio. Partitio ſi breuior, uelocitatis eſt, longior circunducit, & ſi duplicatur, decoram quoque facit orationem: plenam etiam, quum uel ſibijpſi, uel alijs inſeritur, uel conſequitur. Verum, quoniam plenæ orationis mentionem fecimus, de ea paulò latius diſſeramus. Plena oratio. μεστότης. Plena oratio eſt, quum circunductio in oratione multiplicatur: hoc fit, quum ea ſchemata, quæ circunductionem faciunt, aut per inſertionem, aut per ſubſecutionem ſibi ipſis, uel alijs aut immiſcentur, aut coniunguntur. Nam huiuſmodi ſchematum multiplicatio adeò plenam, & quodammodo fœcundam facit orationem, ut oratio circunductione circunducta eſſe uideatur. Qua in re non parum curare debet orator, ne quid perturbatè, ne quid obſcurè dicat. Mihi quidem haud paruam orationis copiam is adeptus uideatur, qui cùm uelit (uolet autem quum res poſtulat) ita plena oratione utatur, ut dilucidè ſimul ac clarè omnia diſſerat. Subcontinuationi partitio in hoc exemplo inſeritur. Cicero pro Cluentio, Sed quum cōſidero, quomodo mihi in utraque re ſit elaborandum. altera pars eſt ea, quæ propria eſt iudicij noſtri, ut ultimæ ueneficij quæſtionis, quæ mihi breuis & non magnæ in dicendo contentionis fore uidetur: altera autem quæ procul à iudicijs remota eſt, quæ concionibus ſeditioſè concitatis accommodatior eſt, quàm tranquillis moderatisq; iudicijs, perſpicio quantum in agendo. Hæc oratio etiam

inſert

*inſertione redditionis in utroq; partitionis membro plenior uidetur. Nam & ſi redditio huiuſmodi propter breuitatem nõ circũducit, tamẽ alijs inſerta, quoniã ea longiora reddit, plenã facit orationem. Quare breuiora ſchemata, quæ ſola non circunducerent, idcirco * inſeri putandum eſt, ut ea quibus inſerũtur circunducant, quod in ſuperiore exemplo perſpicere licet.* *miſceri

Redditio ſubcontinuationi, pro A. Cecinna, *Si quãtum in agro lociſq; deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque in iudicijs impudentia ualeret, nõ minus in hac cauſa cederet A. Cecinna Sexti Ebutij impudẽtiæ, quàm in ui faciẽda ceſsit audaciæ. Rationes quoq; ſi inſeruntur, plenam faciunt orationem, minus ſi ſubſequuntur, ut pro eodem, Qua in re ſi mihi eſſet unius A. Cecinnæ cauſa agenda, profiterer ſatis idoneum eſſe me defenſorem, propterea quòd fidem meam diligentiamq; præſtarem, quæ quum ſint in * autore, cauſæ nihil eſt, in re præſertim aperta ac ſimplici, quòd excellens ingenium requiratur, ſed quum de eo iure mihi dicendum ſit, quod pertineat ad omnes, quod conſtitutum ſit à maioribus, conſeruatum uſque ad hoc tempus, quo ſublato non ſolum pars aliqua iuris diminuta, ſed etiam uis ea, quæ maximè iuri eſt aduerſaria, iudicio confirmata eſſe uideatur, uideo ſummi ingenij cauſam eſſe, non uti demonſtraretur, quod ante oculos eſt, ſed ne ſi quis uobis error in tanta re ſit ſubiectus, omnes me potius arbitrarentur cauſæ, quàm uos religioni ueſtræ defuiſſe. Huiuſmodi orationi neſcio ſi quid plenius inueniri poſſit.* *oratione

*Tria enim hæc, maximè amplitudini aptiſsima ſunt, Ablatio inferens, dirimẽs copulatio, & oppoſita oratio, quæ ſi nõ oppoſitum * ad quod fugit, inferre uidetur, ſolam oppoſitionis compoſitionem, non uim poſsidet. Nam quum in omnibus his diuerſi uideantur ſenſus ad unam orationem concurrere*

Tria amplitudini accommoda.

*at quod fingit

Inferens. ἐπιφέρων.

rere, ac in utroque multa inſeri ac ſubſequi poßint, fugere neminem poteſt, quàm in amplum excreſcat oratio, præſertim quum redditionem, & quidem cum immoratione, dirimentemq; copulationem inſeri, inſerentem ablationem ſubſequi in exemplo ſuperiore perſpiciat. Quòd ſi quis hæc ipſa inter ſe, alijsq; compluribus iniungere uoluerit, is ſi obſcuritatem & ſatietatem euitare potuerit, grauißimum dicendi genus & hiſtoriæ maximè idoneum ſolus inueniet. Verùm omnia oſtendere, ſibijpſis & alijs inſeri uel ſubiungi, quum longum, tum non neceſſarium uidetur. Nam ſi quis circunductionem, ac ſchemata eius cognoſcit, tam ſimplicem, quàm in ſeipſam inuolutam comprehendet, neque labor erit exempla uniuſcuiuſque modi reperire. Nam quum nulla ſit forma, qua magis oratores abundent, ſi ubiuis Ciceronem legeris, circunductionis & ſimplicis & plenæ ſuccurrent exempla, cuius rei rationem breuiter reddamus. Nihil unquàm oratoris magis proprium inueniri poterit, quod ad elocutionem pertineat, quàm magna & ornata uti oratione, quæ res facit ut ea dicendi forma utatur, quæ & amplißimam orationem reddat, & omnibus rebus facile conueniat. At cætera dicendi genera, quæ grandem orationem efficiunt, quibuſdam ſibi ſubiectis rebus attribui docuimus. Circunductio ſola tam diuinis, quã humanis, ita ſi in minores inueheris, quemadmodum ſi maiores exagites, tam ſi de te, quàm ſi de alijs loquaris, & ut cuncta paucis complectamur, quibuſcunque rebus, perſonis, locis, cauſis, non minus accommodari poteſt, quàm ſingulæ formarum ſuis ſententijs. Quare fit ut quum grandem orationem ubique ferè conſequi uelit orator, cæteris rarò (Rarius enim id accidit, quod anguſtis includitur finibus) ſæpius circunductione, quæ latè pateat, orationem augeat. Præterea cæteris grandiloquis modis

una

una ſemper orationi redditur amplitudo, hac ſola forma uel ad aſtra, ſi ita uelis, plenitudine tibi concreſcit oratio. Neque *enim ſolum aliæ huic inſertæ mirum in modum exaugent.* (Nam *hoc quidem omnibus uſu contingere ſolet) ſed ipſa etiam ita ſibijpſi conuoluitur, ut quum non minus commode cæteris, quàm ſibijpſi coniungatur, ſingularem, ac penè diuinam orationem efficiat. Quòd ſi non extollere, ſed mediocriter eleuare uelis orationem, aut ſi tantum, ne ſupina ſit efficere coneris, multò facilius hac quàm cæteris id acquires. Quare quum cæteræ non ita latè pateant, ut iſta latiſſimè, & illis quidem plerunque, hac autem ubique, niſi quum puro ſermone opus eſt, ferme utendum eſt.* Nam *& ad infimum extenuatur contractione, & nihil adeò magnum eſt, quod amplitudine non exuperet.* Nullus *penè orationis locus aut breuiſſimus hoc uario uehementer, & latiſſimo dicendi genere omnino priuatus apud bonos quidem oratores inuenitur: nec iniuria, quum pro amplitudine ſua rebus quibuſcunque ſubiectis facile accommodetur.* Sed *unde egreßi ſumus, regrediamur.* Ablatio *inferens eſt oratio, qua quum unum tollitur, aliud infertur, & non circunductionem ſolum, ſed multò magis pulchritudinem facit: uerum illud complicatione orationis, hoc duplici repetitione fieri putamus.* Cicero *in* Catilinam, Non *eſt iſta mea culpa* Quirites, *ſed temporum.* Dirimens *copulatio eſt, quum duobus quibuſdam propoſitis, quorum alterum altero maius uideatur, non hoc ſolum, ſed illud quoque maius conſequi oſtendimus, ut* Cicero *ea in oratione, qua populo* Romano *pro reditu ſuo gratias agit,* Non *ſolum, inquit, mihi calamitatem detraxeritis, ſed etiam dignitatem auxiſſe uideamini.* Conuolutio *eſt oratio ita uerbis compoſita, ut tota in ſe contineri uideatur, neque eius pars aliqua com-*

Ablatio inferens.

Dirimens copulatio.

Conuolutio.

prehen

prehēdi poſsit, niſi totam abſolueris: hæc & rotundam & pulchram facit orationem. Circunducit uerò quatenus omnia inter ſe membra adeo complicantur, ut nullum ſine alijs intelligi poſsit, ut in unius membri corpus conuenire uideantur. Cicero in epiſtola ad Curionem, Te rogo, ut memineris quantæcunq; tibi acceſsiones fient, & fortunæ, & dignitatis, eas te non potuiſſe conſequi, niſi meis puer olim fideliſsimis atque amantiſsimis conſilijs paruiſſes. Item ſi hoc ſtatueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus hæ laudes comparantur, in his eſſe elaborandum. Iniectio eſt quum orationis contextus, alterius orationis interpoſitione inciditur. Hæc quantò breuior, tantò uelocior eſt: quantò longior, tantò circunductior: quamuis neutro utrobique careat, niſi cùm in duritiem propter prolixitatem cadit, ut in P. Clodium, O Quinte Catule (patrem'ne appellem, an filium? Recentior enim memoria eſt, & cum rebus meis geſtis coniunctior) tantum'ne fefellit, quum mihi ſumma & quotidie maiora præmia in republica fore putabas? Item, Quid ſi quis ſimilis iſtius, (neque enim iam deerunt, qui imitari uelint aliquem mei diſsimilem, cui reſpublica non tantum debeat) per uim afflixerit. Nunc ſi de continuatione dixero, quæ ſola ex cōprehenſione reliqua eſt, ad ſequentes formas tranſeam. Neq; enim omnia inquirimus, ſed multa, quum rei naturam intelligi poſſe his quæ dicta ſunt putauerimus, ſponte prætermittimus. Continuatio, eſt orationis membrorum innexione abſque ui aliqua longior compoſitio, ut pro Milone, Etſi uereor iudices, ne turpe ſit pro fortiſsimo uiro dicere incipientem timere, minimeq; deceat, quum T. A. M. ipſe magis de reipublicæ ſalute, quàm de ſua conturbetur, me ad eius cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe, tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos, qui quocunque inciderint,

Iniectio.

Continuatio.

ueterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum minimè uident. Hæc ergo quatuor, circuitus, ambitus, productio ſpiritus, continuatio, in comprehenſione conueniunt, & à circunductione aliena non ſunt. Verùm circuitus ui quadam, tam rem quàm membra colligit, rotundeq́; explicat: neque quatuor membrorum numerum, quæ inter ſe referantur excedere poteſt. Diſſoluitur enim orationis uis exaggeratione membrorum, neque breuiter ſe expedire poteſt, quod circuitus proprium eſt. Reliqua tria tam ipſorum membrorum confuſione, ordine, ac longitudine, quàm totius compoſitionis prolixitate in immēſum creſcere poſſunt, ſed ambitus magis & uerba & ſenſum colligit: fitq́; nonnunquàm, ut ita inter ſe inuicem alijs alia membra reddantur, ut ſola multitudine ac inæqualitate membrorum à ui circuitus decidat, in quo non ſolum penè paria eſſe membra debent, ſed nec nimis longa, ſi quis uelit ui rotundè ac propriè circuitum componere. Continuatio ſenſum quidem continet, ſed nulla compoſitionis ui. Quare & in membris licentior eſt, quæ res facit, ut ambitum inter circuitum & continuationem ponere non dubitem. Productio nobilem membrorum uarietatem deſiderat, & immorationem in ſchemate. Quas ob res quum omnis comprehenſio continuationem quãdam habeat, quæ aut in rebus, aut in membris, aut in utriſq́;, aut in commoratione ſchematis conſideretur, primum circuitum, alterum cõtinuationem, tertium ambitum, quartum productionem ſpiritus nuncupamus: neque enim hæc ad unguem redigimus. Nam & rerum relatio uerba quoque coniungit, & uerborum connexio ſenſum colligit. Verùm id perſpiciendum putamus, quod alterum inducat. Connexione igitur quadam, & immoratione in rebus, uel membris differunt: præterea multitudine uel paucitate, prolixitate, uel con-*

*hoc

tractione, uarietate, atque relatione. Quare fit, ut quum omnia ſemper circunducant, productio uehementiæ maximè accommodata ſit, continuatio circunductioni, ambitus & circuitus ſplendori, quæ tamen mutari mutatione ſchematum cōſueuerunt. Nam ſiue modos quoſdam, ſiue figuras & ſchemata hæc dicere oporteat, tamen cùm ſchemata & membra eorumq́; conſequentia ſuſcipiant, diuerſitatem eorum in diuerſa genera tranſire neceſſe eſt. Sed de circunductione nunc ſatis. Nam membra quæq́; membris coniuncta ſunt, propria ei non inuenies. Neque enim hic magis quàm ille numerus, aut collocatio, aut clauſula, aut membra circunductioni congruunt. Itaque non ut cæteræ formæ certum aliquid in his amplectitur, ſed ſuum eſt æquè cuncta poſſe ſuſcipere.

DE PVLCHRITVDINE.

Pulchritudo, τὸ κάλλος.

ORationi claræ & grandi pulchritudinem quandam ineſſe neceſſe eſt, ſine qua magnitudo nobis & exanguis & arida prorumpet: hæc & in unaquaque forma & in cōpoſitione omnium conſiderari poteſt. Nam quum ſit omnis rei pulchritudo conuenientia decens omnium membrorum inter ſe, hoc tam in ſingulis formis inter ſententiarum, uerborum, ſchematum, numerorum, cæterorumq́; huiuſmodi comparationem inuenitur, quàm in compoſitis, quibus boni autores utuntur. Etenim qui claram, magnificam, ueloceḿq; ſimul orationem ſibi optant fieri, hæc omnia ſibi ipſis ita congruant neceſſe eſt, ut compoſitione ipſorum, quaſi corpus unum, & quidem pulchrum, non ſiccum ſed ſanguinis plenum coloreq́; perfuſum conſtituatur. Quare fit ut & ſi clara, uel magna, uel uelox dicatur oratio, tamen quum & aliarum tantum contineat, quantum oportet, & ut oportet, harum compoſitione decenti, pulchra etiam & uenuſta

ſit,

ſit,qualitatemq́; quandam compoſitionis transfundat,quam pulchritudinem,& χρῶμα* quidam λόγȣ,hoc eſt,colorem orationis uocarunt, quam quidẽ pulchritudinẽ et ad grauitatem pertinere,et præceptis contineri non arbitramur. Alia eſt pulchritudo,quæ uerbis & his quæ ad uerba conſequuntur conſtat:ea eſt orationis ornatus atq; uenuſtas,à magnitudine minime aliena,cuius ſententia atq; methodus nulla eſt. Dictio omnis quæ puritati conuenit,& translata, non aſpera neq; dura,ſed ſuauis & iucunda, & quæ paucis ſyllabis conſtat. Nam polyſyllabæ dictiones, ſi frequenter conſtipantur, pulchritudinem orationis pondere ſuffocant. Schemata pulchra ſunt,repetitiones,conuerſiones, reuerſiones, gradationes, traductiones, membra, diſiunctiones,trãſgreßiones,circuitiones, cõiugatæ partitiones, innouationes,per negationem* affirmatio,conuolutio. Repetitio eſt quum continenter ab uno eodémque uerbo plurium membrorum principia ſumuntur, ut pro Pom. præficiendo, Non auaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam deuocauit, non libido ad uoluptatem, non amœnitas ad delectationem,non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem. Repetitione neſcio ſi quid pulchrius unquam ac ornatius inueniri ſchema poterit, quippe quæ ita pulchra eſt, ut & roboris plurimum habeat. Quare nullam orationis exornationem inuenies, qua crebrius liceat uti, aut quæ tam uarijs dicendi generibus congruat. Nam ſi uno uerbo demum concluditur,uolocitatem facit, ut ſi dicas, Non ad prædam aliquam auaritia, non ad uoluptatẽ libido, non ad delectationem amœnitas, non denique urbis nobilitas ad cognitionem deuocauit. Huic ſi interrogationem addideris,& acer eris,ut pro M. Marcello, Quis enim eſt illo aut nobilitate, aut probitate,

*quoddam

Pulchritudinis ſchemata.

* cõfirmatio

Repetitio.

παρίσωσις.

ἐπαναφορά.

ex collatione conficitur. Conuerſio eſt quum continenter ad unum atque idem uerbum plura membra exeunt. Hæc ſi in longius efferatur, iucunda potius eſt, ut pro M. Marcello, De uobis, quos in republica ſaluos eſſe uoluiſti, quoties cogitabis, toties de tuis maximis beneficijs, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia cogitabis. Nã hic quàm puerili quadam feſtiuitate iucunda eſſet oratio, ſi omnibus membris uerbum redderetur, neminem latere arbitror. Reuerſio eſt quum antecedentis mẽbri exitum, conſequentis initium facimus, ut illud iudicio confirmatum eſſe uideatur, Video ſummi ingenij: hoc et in uno mẽbro fit, ut, toties de incredibili liberalitate cogitabis, et pro Pom. Non mea me uoluntas, et P. Clodij impudicam impudicitiã: uerũ hoc ui rerum etiam uehementer amplũ eſt. Quare minime negauerim omniũ quæ in elocutione dicuntur, duplicẽ eſſe uim, unã quam natura ſui poßident, alterã quam alia alijs imponunt. Gradatio eſt, quum conſequentia membra ab iiſdẽ uerbis caſu mutatis oriuntur, quibus antecedentia clauduntur, hoc pacto, Africano uirtus gloriã, gloria æmulos, æmuli mortẽ præparauerunt. Et pro Arch. Sic eius aduentus celebrabatur, ut famã ingenij expectatio hominis, expectationem ipſius aductus admiratioq; ſuperaret. Traductio eſt quum idem uerbum ſæpius poſitum, non modo non offendit animum, ſed conciniorem orationẽ reddit, hoc modo, Eum tu hominem appellas, qui ſi fuiſſet homo nunquam tam iniquè humanitatis ſtudioſos perſequeretur? Mẽbra ſchema eſt, quum duo uel plura membra inter ſe copulata proferuntur, ſic, Scipionis uirtus & reipub. profuit, & hoſtibus terrori fuit, & ſibi æternum cognomen peperit. Hoc ſi longius eſt, circunducit magis: ſi in uno membro per adiunctionẽ fit, neq; gratia caret, et ampliorẽ reddit oratio-

Conuerſio. ἀντιστροφή.

Reuerſio. ἐπαναστροφή.

Gradatio. κλιμακωτόν

Traductio.

Membra ἰσοκωλία

nem,ut illud in oratione de prouincijs decernendis, Q*uum*
*ciuium — *me & ueſtra dignitas, et frequẽtia** *equitum* R*omanorum.*
Diſiunctiones. — Diſiunctio *eſt quum eorum quæ dicũtur, unumquodq; cer=*
to concluditur uerbo, ut pro Archia, E*rat temporibus illis*
iucũdus Metello illi Numidico,*et eius* Pio *filio.* A*udiebatur*
à M. Aemilio,*uiuebat cum* Qu. Catulo *& patre & filio,à*
Tranſgreſsio ὑπερβατόν. — L. Craſſo *colebatur.* T*rãſgreſsio eſt quæ uerborum pertur-*
bat ordinem peruerſione,aut traiectione : uerùm peruerſio
non huius , ſed fucatæ magis atq; ſimulatæ pulchritudinis
eſt. F*eſtiuitatem enim ac iucunditatẽ orationis concitat non*
quæ — minimã, *quare rarius adhibenda.* T*raiectio eſt quæ ut uer*
Traiectio. — ba in numerum extruat,ea ita diſiungit,ut obſcuritatem fu
giat,pulchritudinem oratio conſequatur,ut in P. Clodium*;*
Id *ſperaſti remp.non diutius,quàm quoad mecum ſimul ex-*
pulſa careret his mœnibus,eſſe laturam? H*æc ut ſi cõmoda*
Circuitio. — *eſt,in numerũ perpolitiſsimè uerba ſtruere uidetur : ſic quũ*
ſit incommoda,duriorem reddit orationẽ. Circuitio *eſt quũ*
ſimplicem rem, et ſi unico uerbo poteſt dici , multis tamen
uerbis circũſcribimus,ut Scipionis *prouidentia,* Aeneæ *pie-*
Partitio coniugata, οἱ κατὰ συζυγίαν μερισμοί. — *tas,pro* Scipione *et* Aenea. Partitio *coniugata eſt , quum in*
unoquoq;,uel ſaltẽ in altero partitionis mẽbro integra ad-
hibetur partitio:feſtiuior illa ſuperior,hæc poſterior nõ in=
iucũda,ut pro Archia, N*actus eſt primũ conſules eos,quo=*
rum alter res ad ſcribendum maximas,alter quũ res geſtas,
κοινοπρεπώς. — *tum etiam ſtudiũ atq; aures adhibere poſſet.* Innouatio *eſt*
Innouatio. — *ut non cõmunis et celebrata,ita decora, et figurata conſtru-*
*ctio uerborum:ut,*P*ars calidos latices , & ahena undantia*
flammis E*xpediunt, diuellimur inde* I*phitus &* P*elias me-*
*cum.*H*orum apud poëtas licentior uſus, apud quos nonnul*
la etiam ita frequentata ſunt,ut nouè dici non uideantur. I*l-*
lud pulcherrimum innouationis genus , in quo diuerſa ſer -

monis

nonis forma coniūgitur, ut Vergilius in tertio, Socijs tunc arma capeſſant Edico, et dira bellum cum gente gerendū. Innouatione niſi rarius utaris, nec innouatio ſchema, nec tu in dicēdo pulcher magis quàm faſtidioſus uideberis. Ex negationibus affirmatio: ut, Nonnulli hominum, ne parum multas pecunias conſequantur, uirtutem negligunt. Verum de ſchematis ſatis: Omnia enim rimari et dicere non magis laborioſū nobis quàm legētibus faſtidioſum putamus, præſertim quum ex his quæ dicta ſunt, hæc forma nobis perpolita reddatur, deinceps de cæteris agendum. Membra pulchra ſunt quæcunq; longiora ſunt, breuiora uerò ab hoc genere aliena ducimus, niſi ſic ſe habeāt, ut unū ab altero dependeat. Hoc enim modo, ſi multis & breuioribus membris continetur oratio, haud pulchra eſſe non poteſt. Collocatio concurſionem uocalium abhorret, ſtipari undiq; conſonantibus deſyderat, neq; crebro in eadem oratione una eadēq; conſonans adhibenda eſt. Nam ut ſatietate nihil faſtidioſius aurium ſenſui, maxime qui delicatiſsimus eſt, ſic uarietate nihil iucundius. Quare qui ita dixit, O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti, nō ſqualidam ſolum, uerum etiam obſcuram orationem reddidit. Eiuſdem etiam uerbi in eadem oratione crebra iteratio, niſi res poſtulat, euitanda eſt. Ad hæc animaduertendum, ne de uerbo ad uerbum durus & aſper ſit tranſitus, quod ratione potius literarum, quàm aurium iudicio initio exercitationis conſequi debemus. Nam omnino auribus confidere, niſi te recte exercueris, ſtultum eſſe illi oſtendunt, qui quum in dicendo ætatem conſumpſerint ſuam, nihil tamen dicunt, quod pulchrè locatum ſit, quamuis in ea re plurimū elaborent. Ad ſummū, in pulchritudine, ſi cui ea res maximæ curæ eſt, uarietas ſumma habeatur: quam et ſi in numero, clauſula, et methodo conſe-

Ex negationibus affirmatio.

Pulchritudinis membra.

qui liceat, membris tamen ac ſchematis maxime uarius eſſe poteris, in uerbis etiam ſumma erit uarietas. Non enim *diuerſa ſolum ex tam infinita uerborum copia licet accipere, ſed eadem quoque immutare.* Variam ergo reddunt orationem uerba, ſi uarijs caſibus, generibus, ſpecie, figura, tempore, coniugationibus, modis, perſonis, numeris: item numero ſyllabarum, productione, exitu, aſpiratione, accentu, & quæ huiuſmodi ſunt, proferuntur: ut ſi polyſyllabæ dictiones, eas quæ paucioribus ſyllabis conſtant, excipiant: & ſi quæ breuiores ſunt, uel tempore, uel ſyllabarum numero longioribus interponātur: ſimiliter ſi ab hoc caſu ad illum, ab illo uerborū modo ad alium tranſuolet oratio, neque modos ſolum & tempora, ſed coniugationes ſimul in diuerſis, quàm uarie fieri poteſt, commutet, clauſula pendula fit. Ea enim pulchritudini conuenit, quamuis & impendula uarietatis ratione nonnunquàm adhiberi poſsit. Numerus his pedibus conſtare debet, qui dignitati conueniunt, quos quidem ita confluere atque abundare in pulchritudine debere arbitramur, ut aduerſus numerum oratio rapi uideatur, non tamen planè uerſum effici uolumus. (Nam hoc uitio datum eſt) ſed magis ad uerſum accedat compoſitio, quàm ſi in alijs dicendi generibus, præterquam in iucundo uerſaretur. Quare licebit ſi natura rerum patitur (ea enim ſemper præponenda eſt) uariè ad numerum eorum uerſuum compoſitionem trahere, qui à pedibus dignitatis nomen accipiunt. Verum de pulchritudine ſatis, nunc ad celeritatem tranſeamus. Nā oratio grādis, pulchra et clara, niſi ſic moueatur, ut ſe expediat, tarda quædam & immobilis uidebitur: quare de celeritate dicendum, cui ſupinum genus quod fugiendum eſt, opponi putamus.

Varia oratio.

DE VELOCITATE.

VElocitas eſt dicendi uis, quæ mobilem orationem redi- dit: ea cæteris omnibus, ſententia ſolum excepta, con- ſici poteſt, niſi quis acutas ſententias, de quibus pòſt dice- tur, huius eſſe generis dicat. Artificium totum ferè inciſio- ne compoſitionis conſtat. Inciſio in ſchematis ac mēbris ma xime, præterea in locatione et numero conſideratur: ſed de inciſione paulo poſt. Nunc eo de artificio dicamus, quod & ſi ab inciſione non abſit, non tamen quia orationē cædit, ideo celeritatis proprium eſt, ſed quia celeritatis eſt, ideo cædit. Id eſt, quū breui obiectioni breuiter reſpondetur, quod ma- xime naturam huius generis aperit, quum continenter oc- cupatur, ut Cicero de prouin. Conſularibus, An reditus in patriam habet aliquam offenſionem, utrum apud populum, à quo miſſus eſt, an apud Senatū, à quo ornatus, an dies au- get eius deſiderium, an magis obliuionem, ac laurea illa magnis periculis parta amittit longo interuallo uiriditatē? Huius methodi eſt interrogantis ſpiritu plura breuiter eſ- ferre membra, quibus ſiue diuerſa, ſiue eadem amplificando contineantur, una ſolutio adduci poteſt, quæ etſi quoniam res clara eſſet prætermitteretur, celeritati tamen impedi- mento non eſt. Cicero pro Clu. Num igitur hoc tēpore cau- ſa mutata eſt, num alia res, alia ratio illius iudicij, alia na- tura illius negocij nunc eſt ac tum fuit? Schematum quæ in hoc genere accipiūtur, alia ſponte ſua uelocia ſunt, alia hu- iuſmodi ſunt, ut per ſe quidem uelocia non ſint, ſed quū tar- ditatem illam ignauæ orationis per exuſcitationem, ac ſubcontinuationem tollant, uelocia dicuntur. Hæc ſunt ad- uerſio, breuis iniectio, ſubcontinuatio, quæ celeritati ſic neceſſaria ſunt, ut puritati elegantia. Nam ibi obſcuritas ele gātia, hic ſupinatio his ſchematis expellitur. Nūc de inci-

Velocitas. σφοδρότης.

ſione, quæ celeritatis propria eſt, breuiter dicatur. Inciſio *eſt oratio crebris interuallis crebraq́; reſpiratione prolata.*

Inciſio. Inciſio *quæ ſchemate fit, uel pro multitudine rerum diuidit orationem, uel quum unum dicit, plura dicere uidetur.* Pri*oris generis ſunt partitio breuis, redditio breuis.* Nam *hæc ut cætera ferè omnia circunductionis ſchemata commatis ædita, uelocitatem magis quàm circunductionem efficiunt.* Etenim *ea eſt membrorum natura, ut diuerſa eiſdē ſchematis accommodata trahāt potius ſchemata, quàm trahantur: quod nos non ideo accidere rati ſumus, quòd maiorem uim membra in dicendo habeant, quamuis in celeritate plurimū omnium poßint, uerum quoniam hæc ſtabiliora atq; durio-*

Schemata. *ra, quæ facile naturam ſuam relinquere non poſſunt.* Sche*mata quum ſint teneriora, quaſi cera huc atq; illuc flectuntur.* At *hæc quidem & incidunt et uidentur, incidunt uero quamuis non uideātur, obliquatio & cōuolutio.* Velox *genus uidetur, et non eſt, quum ita unum dicitur, ut aliud atq; aliud inciſione orationis dici uideatur.* Hoc genere in *au-*

Immoratio. *genda re cōmode utimur.* Immoratio *enim fit, quæ ad efferendam rem ſemper neceſſaria eſt, et re quidem circūducti, ſpecie autem ueloces uidemur: neq; uerebor circunductioni uelocitatē in hoc opponi aſſerere, quod breui cōplecti plu-*

Interpretatio. *ra, huius: in eodem immorari illius proprium ſit.* Interpre*tatio etiam ſchema huius eſt, quæ fit quum per tota cōmata uerba commutamus alijs uerbis, quæ idem ualeant, ut illud,*

Diſſolutio. Remp. *radicitus euertiſti, ciuitatem funditus deieciſti.* Diſ*ſolutio uero commatica, et repetitio et articulus quamuis ſemper incidere uideantur, tamen hoc ſemper non faciunt, ut illud in* Catilinam, Abijt, *exceßit, euaſit, erupit.* Interroga*tio quoq; & exuſcitatio uelocitatem faciunt, & maxime ſi coniunguntur, ut in* P. Clo. Tantum*'ne fefellit, quum mihi*

ſum

ſumma & quotidie maiora præmia in repu. fore putabas? Eſt autẽ exuſcitatio quum & nos cõmoti dicere uidemur, & auditoris animum uehementer commouemus. Membra quanto breuiora, tanto ueIociora ſunt. Locatio concurſum uocalium uitet, aſper enim & tardus hiatus eſt: eas etiam conſonantes non cõiungat, quæ aſperum de uerbo ad uerbum tranſitum faciunt. Pronunciationis enim difficultas tarditatis ſpeciem afferre ſolet. Clauſula quum pendula ſit, in trochæũ exeat. Numerus trochaico uerſui accedat, quod Tragici maxime oſtendunt, qui quum nuncium afferunt celerem, trochæis abundant.

Exuſcitatio. *Membra.* *Clauſula.* *Numerus.*

DE MORATA ORATIONE.

*QVoniam de celeri oratione breuiter dictum eſt, conſequi nunc uidetur, ut de morata dicamus. Non enim minus cæteris, ne magis dicam, oratori utilis eſt, quippe quæ maxime faciat, ut non præmeditatione, ſed ex tempore omnia nobis adhiberi uideantur. Nam quod ita dicitur, ut eius ipſius qui dicit, aut illius, de quo dicit, mores ipſo dicendi genere, atque affectionem animi denudet, ſimul neq; excogitatum uidetur, & in auditoris animũ illabitur. Moratam igitur orationem duplicem eſſe arbitramur: una eſt, quæ ſubiectis perſonis idoneã dicẽdi formam accommodat: ut Tyranno crudeli, oſtentatori, *pecuniarũ auaro, et alijs quorum animi affectionem dicendo exprimendã putamus, qua ex re orationẽ moratam ſiue affectã appellamus, quod genus multi ſermocinationem, notationem, conformationemq;, quas ſententiarum exornationes eſſe uolunt, appellare ſolent. Quæ ita inter ſe differre arbitrantur, ut in notatione alicuius natura certis ſignis, quaſi notis quibuſdam deſcribatur, in ſermocinatione ac conformatione oratio ad dignitatem accommodata, eloquenti uel mutæ rei attribuatur.*

Morata duplex, ἦθος.

*pecuniario.

Conformatio. tur. Nos totum hoc genus Conformationem appellamus, & grauitati attribuimus. Neque enim uno atque ſimplici genere conſtat, neque eiſdem ſemper conficitur, ſed pro natura rerum alijs atque alijs componi ſolet. Altera eſt, qua & ſi eius qui dicit qualisnam animus ſit ferè* perſpicitur, ſimplicioribus tamen conſtat formis, quas quatuor eſſe putamus, Tenuitatem, iucunditatem, acuitatem, & modeſtum ſermonem. Nam iracundæ orationis, ſuperbæ, timidæ, ac huiuſmodi, compoſitionem conſiderare, quũ multis id conficiatur formis, ad grauitatem, ut diximus, pertinet. Tenuitas eſt infimus quidam, ac ita minutus ſermo, ut puerorum potius quàm uirorum eſſe uideatur: eius ſententiæ ſunt puris communiores, & inferiores, & ipſæ puræ, non tamen omnes, ſed humiliores. Nam tenues omnes puras dicere poſſumus, non econtrá. Exceditur enim à puritate tenuitas, quare tenues ſententias eſſe placet, quæ quum ualde puræ ſint, puerorum ferè uidentur & mulierum, item agricolarum, paſtorum, & omnino indoctorum & ruſticorum hominum, quales ſunt omnes ferè, quas in Bucolicis Vergilius occupat: his probi oratores raro, poëtæ nonnunquam, & maxime comici utuntur. Nam quum puellis, adoleſcentibus, alijsq́; huiuſmodi, qui procul ab omni malitia ſemoti ſunt, ſermonem attribuunt, has effugere, ſi bene dicere uolunt, ſententias nequaquam poſſunt: orator autem uitabit, niſi ei perſonæ orationem attribuat, cui tenuitas cõueniret. Sunt etiam ſententiæ, quibus tenuis res huiuſmodi continetur, et in priuatis præſertim cauſis adhiberi poſſũt. Quare etſi rarius quàm cæteræ, tamen adhibendæ nonnunquam. Item quæ quaſi ad conformationem ex arboribus uel brutis accipiuntur. Item ſi quis non ratione, ſed iureiurando quicquam cõfirmet, maxime ſi in enumeratione deorum

*percipitur

Formæ memoratæ orationis.

Tenuitas.

occu

occupatus eſt, uel parua de re iuſiurandum affert. Similiter ſi auditores per deos quippiam ſuſcipere, aut abijcere hortatur. Neminem autem hanc ſententiam de nobis habere uolumus, ut nos putet omnem ſententiam, qua iuſiurandum comprehendatur, tenuem arbitrari, ſed eam quæ quũ nihil aliud niſi iuſiurandum contineat, ſimplicitatem quandã dicentis oſtendit, quòd huic rei potius quàm rationi confidit. Quare huiuſmodi ſententiæ commiſerationibus accõmodari poſſunt: neq; enim aptius ad commiſerationẽ ſimplicitate facile inuenies. Id iuſiurandum, quo non iuramus ſolum, ſed probamus, contentioni etiã conuenit, ut illud Demoſthenicum, Non per eos maiores, qui in Marathonijs campis pro tota Græcia periculũ ſubierunt. Nam quum exẽplo confirmare uellet, quòd non ignauia confici Athenienſiũ ciuitas, ſed libertatem totius Græciæ tutari ſolita eſſet, exemplo, iuramenti quoq; uim methodo addidit: quare non tenuis, ſed ſublimis ac ſplendida ſibi oratio effecta eſt. Sed de ſententijs ſatis. Nam ex his ſi quæ aliæ ſunt, facile intelligentur. Methodus eadem quæ puri ſermonis. Item ſi nemine cogente, neq; interrogante, quum opus eſſe non uideatur, aliquid dicimus. Item ſi quis ad minutiora deſcendat, atque in his ipſis magis commoretur, quàm res deſiderat. Nam qui hoc genus eligit, ei non tantum ſufficit, quantũ ad rem perſpiciendã uſus eſt, ſed orationẽ deprimere quibuſcunq; modis poteſt, neceſſe eſt. Facit autem hoc maxime eorum expoſitio, quæ minutiſſima in re ſunt. Item ſubita rerum explicatio, uel quaſi ex improuiſo ad quicquam reſpondere, quod Comici factitant. Quum ſimplicitatẽ diſſimulet, tenuis methodi eſt: quibus rebus efficitur, ut grauiores etiam ſententiæ, quum non apparato ſermone, ſed dimiſſo ualde ac ſimplici exprimuntur, ad tenuitatem tranſire uideantur uerba

pura

pura & acuta, de quibus paulò pòſt dicetur. Schemata & membra puri ſermonis, ſimiliter collocationes, quarum magis tenues, quæ magis diſſolutæ ſunt. Clauſulam tenuem impendulam dicimus. Nam & ſi grandis eſt, tamen huic generi multo accommodatior eſt, quàm pendula. Nam quum pendula ornatior ſit, præparati ſermonis, qui procul à tenuitate abeſt, propria eſt. Nunc quoniam iucunda oratio, le poſq; dicendi nihil aliud eſt, niſi tenuitatis intenſio aque incrementum, primò de ipſa, deinde de acri & acuto genere dicendum. Iucundæ ſententiæ ſunt fabuloſæ omnes, deinde hiſtoricæ omnes, quæ fabulis coniunctiores ſunt, ut de bello Troiano. Tertio quæ & ſi fabuloſæ non uideantur, tamen non planè quis fidem eis attribuerit, ut multæ Herodoti. Ad hæc quæcunq; ſenſui ſunt iucũda, utputa uiſui, odoratui, guſtui, tactui, ſi minutim oratione explicantur, ſuauitate etiam fabulas excedunt. Verum, quoniã eorum quæ ſenſu percipiuntur nõnulla honeſta, multa turpia ſunt: turpia, ſi aperte dicantur, offendunt magis, niſi quis apud ſcurriles homines, quibus eiuſmodi res non modo dicere aperte, ſed facere pudori non eſt, ſermonem haberet. Quare quæcunq; turpia ſunt, ſi turpitudinem tegunt, non modo non amittũt iucunditatem, dum facile intelligãtur, ſed aliquid etiam inſuper deliciarum, quoniam honeſtius dicuntur, ſibi adducitur. Res autem turpis quatuor modis maxime honeſtius efferri poteſt, aut permutatione, quæ oratio eſt aliud uerbis, aliud ſententia demonſtrans, Vt Vergilius:

Turpia quibus modis honeſte proferantur.

Et ſummo ulularunt uertice nymphæ.

Et in Georgicis,

Hoc faciunt nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes,
Sed rapiat ſitiens Venerem, interiuſq; recondat.

Aut

Aut ſi pro nomine proprio eius rei, quam exponere uolu=mus, aliud quod uel ſimilitudine, uel cognatione aliqua clare transferri poßit, accipimus, quod genus, ut iam uulgo dicitur, coire, coitio & coitus. Nam & *ſi huiuſmodi uerba longa iam conſuetudine ab honeſtate prope recedere uideantur, nō afferunt tamē aliquam huiuſmodi turpitudinem, qualem uerbum illud pro quo ponuntur.* Huic modo motus *omnes, quibus quaſi de propinquo uerba trahuntur, conueniunt.* Nam & Liberi *patris plenum, & res* Venereas *dicimus, et* Venerem *ipſam pro re* Venerea *ponimus, quæ intellectionis ſunt: quod & trāslationibus, abuſionibusq́; fieri poſſe, nemo dubitat. Aut ambiguo, ut* Cicero *de reſponſis aruſpicum,* Quis *minus unquam pepercit hoſtium caſtris, quàm ille omnibus ſui corporis partibus? quis unquā nepos tam liberè eſt cum ſcortis, quàm hic cū ſororibus uolutatus? quæ nauis in publico flumine tam uulgata omnibus, quàm iſtius ætas fuit?* Quartus *modus eſt, quū neq; allegoria, neq; translatione uerbi, nec ambiguo res exprimitur, ſed aut ab antecedentibus, aut à conſequentibus, aut ab utriſque, aut à re, quæ agere aut pati natura ſoleat, uel quæ pacto aliquo ad geſtionē negotij pertineat, colligitur.* Qualia, *ſunt dare operam liberis, celebrare nuptias,* Speluncam Dido *dux &* Troianus *eandem* Deueniunt. Et Cicero, Clodium *mulierem ſæpius inter uiros fuiſſe dicit, & an* ex ſuorum *cubiculo egreſſus pudorem, pudicitiamq́; defendat.* Sed de *his ſatis.* Non *enim ad propoſitum noſtrum omnino nunc pertinet honeſti ſermonis methodum proſequi, ſed iucundi ſententias aperire, quem quoniam ab honeſtate non ſeparamus, hæc interponere non alienum fuit.* Quæ *ergo ſenſibus iucunda ſunt, ea relatu quoque ſuauia, ſed rerum turpitudo ubique oratione tegenda, ita ut res intelligatur, obſcœnitas uerbo*

* *ſeruorū cubiculo iucunditas.*

uerborum uitetur: apertiſsimis etiã et quàm proprijs uerbis illæ explicentur, quæ obſcœnitate carẽt, ut ferè ſunt omnes quæ uiſu, auditu, odoratuq́; percipiuntur, ut ſi quis roſarij pulchritudinem, ortorum complantationem, ſonorum harmoniam deſcribat. His omnibus illas adijcimus, quibus amores continentur, quas ſi ut poëtæ faciunt clarè confingimus, iucunditas duplex acquiretur. Item eas quas & tenues uehementer putamus, quæ aut quum ad homines pertineant, ad expertia rationis animalia, uel inanimas res traducuntur, aut quũ brutorum ſint, inſenſatis attribuũtur.

Vt Et pontem indignatus Araxes.

Et in Georgicis,

Ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.

Et in Aeneide, Queſtuq́; cruentus,

Atq; inploranti ſimilis, tectum omne repleuit.

Poſtremo omnes quibus unuſquiſq; afficitur, ut turpiſsimæ lenonibus, quibus luxurioſi offenduntur, temperatis, et aliæ alijs iucundæ ſunt. Quo in genere in maiores quoque noſtros laudes ponimus, quas et in ciuili oratione ſæpius adhibemus. In nos quoque ipſos niſi adulatoria oratio uideatur, iucunda eſt: quo in genere illud mihi iucundius uideri ſolet, quòd teneræ ætatis honeſtam habet commemorationem. Nam præclariſsimarum quidem & ſecundarum rerum expoſitio non magis delectat, quàm aduerſarum, præſertim ſi magno animo pertulimus, recordatio. Quod poëta his uerbis oſtendit, Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. Quæ omnia non ſua ſponte, ſed affectione quadam hominum iucunda putamus. Methodus pura & tenuis, uerba ſimiliter puri ſermonis & tenuis. Maximè autem ſi quæ poëtis magis conueniunt, niſi pondus afferant, & comica,

cedo,

cedo, dic ſodes, lubet, iucundus, et quæ huiuſmodi ſunt. Qua ratione non ab re facere mihi uidentur, qui quum iucunde dicere uelint, uerſus nõnunquam ex aliquo probo poëta ſumptos interponunt, quamuis liceat etiam compoſitionis noſtræ uerſum inijcere: hoc tamen & raro faciendum cenſeo, & quum fit, ita locandum, ut in unam compoſitionem orationis ſimul cum ſoluta accipiantur. Nam quæ ſeorſum & quaſi per ſe dicuntur, non iucunditatem hanc, ſed aliud quoddam genus efficiunt, propter quod aſciſcuntur. Item epitheta plurima, et benè accommodata, ut in rebus magnis grauitatem, ita in iucunditatis ſententijs haud paruas dicendi ueneres accumulant. Huius ſignum, quòd poëtæ, qui delectare maxime cupiunt, illis abundant. Nam aliud genus uerborum non facile inueniri contenderim, quod grauitate ſimul & ſuauitate iucundius epithetis ſit, & quum neutra re careat, uarietate rerum fit, ut alteram magis efficiat. Schemata pura, tenuia & pulchra omnia, ſi tenuiore compoſitione ſunt. Ad hæc cõparia, ſimiliter cadentia, ſimiliter deſinẽtia, agnominationes, circuli, diſiũctiones, uarietas caſuum, peruerſio. Compar eſt quod habet in ſe membra orationis, quæ conſtant ex pari ferè numero ſyllabarum, ut de prouincijs conſularibus decernendis, A ſententia dicenda amouebo, ad ulciſcendi tempora reſeruabo. Similiter cadẽs dicitur quum in eadem conſtructione uerborũ duo aut plura ſunt uerba, quæ ſimiliter ijſdem caſibus efferuntur, ut in eodem, Amœnitas eum credo locorum, urbiũ pulchritudo, hominum nationumq; illarum humanitas et lepos, uictoriæ cupiditas, finium imperij noſtri propagatio retinet. Similiter cadens ſi in exitu primo, deinde initio cõtinẽter fit, orationem nimia iucunditate demitit. Quare Cicero hoc quoq; ut cætera uel grauioribus immiſcet, uel aliquantulum perturbat.

Schema pulchritudinis.

Compar.

Similiter cadens.

turbat. Quæ res facit ut quũ occultius exornationes auditoris animum illabantur, & gratiam & uim ſuam retineant, & nullo artificio dici uideantur. Hic uerò præter perturbationem, idem ſibijpſi implicitum miram attulit pulchritudinem. Similiter deſinens dicitur, quum tametſi caſus non inſunt, uerbis tamen exitus ſimiles ſunt, ut in ſecundo in Catilinam, Sed quàm multos fuiſſe putatis, qui quæ ego defenderem, non crederent? quàm multos etiam, qui defenderent? quàm multos etiam, qui propter improbitatem fauerent? Peruerſio eſt quæ feſtiuitatis gratia uerborum ordinem perturbat, ut hac in re, qua de dicitur. Agnominatio eſt quum duo uel plura uerba eadem uel ſimillima uoce, diſsimillima poteſtate in eadẽ oratione proferuntur. Amari iucundum eſt, ſi curetur ne quid inſit amari. Veniam ad uos, ſi mihi ſenatus det ueniã. Quæ delicatiora ideo ſunt, quoniam circuli etiam ſpeciẽ præ ſe ferũt. Idem fit quum agnominatio ſimiliter cadentis, aut deſinentis, aut cõuerſionis faciẽ oſtentat, hoc modo, Cur eã rem tam ſtudioſe curas, quæ tibi multas dabit curas? Simile autẽ ſonãt uerba, cum uel commutatio uel additio, aut detractio, aut ſyllabæ, aut literæ uel literarũ inuenitur, hoc modo, Lenones ſicut leones uitandi ſunt. Nauo non uano credendum eſt. Si uincias quos uincis, iniquus es: & in Philippicis, En cur magiſter eius ex aratore orator factus ſit. In eiſdem, niſi uictorem uicturum neminem. Hæc quatuor cõmiſcentur nonnũquam, et maiorem orationi leporem afferunt, ut pro Clu. Non enim noſtri ingenij ueſtri auxilij eſt iudices, huius innocẽtiæ, ſic in hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua pernicioſa flamma, atq; in cõmuni incendio ſubuenire. Circulus eſt quum idem ipſum uerbũ, à quo incœpimus, in exitu collocamus, hoc ſchema et unum et multa mẽbra cõplecti poterit.

Similiter deſinens. *Peruerſio.* *Agnominatio.* *Simile ſonantia.* *Circulus.*

terit. Differt à circulari agnominatione, eadem poteſtate & uoce. Circuli hoc ſit exemplum, Tibi *pater fur eſſet, ſi eſſet ſimilis tibi.* Caſuum *uarietas eſt quum idem nomẽ in diuerſis caſibus ponitur, conuenit cum agnominatione, ſimilitudine uocis, & differt poteſtate.* Hæc *uarietas tum maximè decorum facit ſermonem, quum in principijs membrorum ponitur, & quum diuerſitatem caſuum, tum generũ habet.* Quòd *ſi non per membra, ſed per commata una orationis constructione conficitur, celeritatem magis efficit, quamuis & iucunditate non careat, ut pro* L.Flacco, *Niſi forte quæ res hoc iudicio tenetur, quid agatur, cui cauſæ fundamenta iaciantur iudices non uidetis.* Et *pro* Planc. *Qui enim ſtatus, quod diſcrimen, quæ fuerit in rempub. tempeſtas, illa quis neſcit?* Cui *& acrimoniæ aliquid interrogationis ſpiritu adiectum eſt.* Hæc *in grandiore oratione ita pulchritudini ferè accedunt, ut quæ pulchritudinis ſunt, ſi extenuentur, leporis inueniantur, facilius tamen quæ ſponte ſua grandia ſunt demiſeris, quàm tenuia extuleris.* Locatio *pulchra (neque enim longè à uerſu) dulcis & delicati ſermonis compoſitionem eſſe oportet.* Conueniunt *autem ipſi magis dignitatis pedes, ſimiliter & clauſula impendula.* Hæc *forma in dicendo rarius faſtigij tollendi gratia interſerenda uidetur.* Nam *ut quæ magna & pulchra ſunt, diu placere poſſunt, ſic compta omnia ac perpolita placent quidem ſi rarò interponuntur, faſtidium uerò generant & oratori adimunt fidem, ſi quis eis crebrò utatur.* Quoniam *acutum genus tenui ſermoni opponimus, & moratæ orationi ſubijci putamus, de ipſo nunc dicere tempus eſſe uidetur.* Acutum *igitur appellamus, quod altius quid ac profundius præ ſe ferre uidetur.* Huius *ſententiæ tenuitati ſunt oppoſitæ, ut quæ neque fabuloſæ ſunt, neque feſtiuitatis cauſa, quæ ſenſu iucunda ſunt, deſcribunt, ſed profun-*

Caſuum uarietas.

Acuitas.

diores quædam & uarium ſenſum ſic efferentes, ut aliud ferè uerbis, aliud re complectantur. Methodus eſt qua altiores ſententias planius, & communius proferimus, humiles & abiectas ita pronunciamus, ut altiores uideantur uerbis: hoc in genere contrarium ferè quid atque in cæteris generibus accidit. Nam in alijs ſit à rebus ſemota ſunt, ut omnia omnibus accommodari poßint. Nemo enim ambigit claras, uerbi gratià, ſententias grandibus uerbis, & ècontra explicari poſſe, quod uſu cæteris quoque contingere ſolet. Verùm hic dictio huiuſmodi eſt, ut ſi à ſententia huius generis ſeparatur, acuta remanere non poßit. Quare non facilè confirmare auſim, ſententia'ne an dictio dicendi ſit, neque tamen hæc res plurimum me ſolicitat. Siue enim ſententia ſit ſiue dictio, parum ad dicendum intereſt, dummodo quo pacto ea utendum ſit, pateat.

Modus acuitatis primus. *Primum ergo modum acuti uerbi putamus, quum in aliam ſignificationem quàm conſuetudine uſurpatum ſit, uerbum accipitur, quæ tamen non minus propria, ſi quis uim ac poteſtatem uocabuli penitus inſpiciat, uideri poßit: ut apud Salluſtium deorum ſupplicia. Item ſi quis coitium pro conuentu diceret, & ſufferre pro ſubuehere, cæteriſq; huiuſmodi latius*
II. *quàm conſuetudo ferat, utatur. Alterum modum dicimus, qui abuſione fit, ut ſi quis inexpugnabilem dicat uirtutem, quod genus parum ad acuitatem accedere nobis uidetur. Verùm quoniam Hermogenes uetuſtißimos huiuſmodi artificij præceptores ita exiſtimaſſe aſſerit, uetuſtatis autoritate fra-*
III. *cti non repugnamus. Tertium modum ponimus, quum uerbo aliquo propriè uſi, eodem ipſo in eadẽ oratione per tranſlationem utimur. Hunc modum in eo à translatione ſeparamus, quòd translatio per ſe poſita, duritiem omnem effugere debeat. Hoc ſi quis ſolo abutatur, ænigmaticè penè loqui exiſtimabitur. Ea ergo translatio, quæ nimis aſpera atque dura*

eſſet,niſi prius proprie diceretur acuitatem reddit,hoc modo, Non ego,uiuant'ne an mortuus ſit Philippus, *quærito, ſed uiuat'ne an mortua ſit* Athenienſium *magnanimitas, id maximè curo.* *Quartum modum exiſtimamus quum multis* IIII. *translationibus oratio compoſita eſt. Cuius orationis illa maxima uirtus eſt,quòd multitudine translationum clareſcat, hoc modo, Quum canes fungantur officio luporum, cuinam præſidio pecuaria credemus? Nam hic etſi ænigma quoddam totum uidetur, tamen ſi unum uel alterum accipias,nunquàm quid ſibi uelit intelliges: ſi totum ſimul conſideres, planius fiet. Quod quoniam omni allegoriæ accidere uidetur, eam quoque huius eſſe generis non recuſandum. Quintum mo-* V. *dum arbitramur quum poſt commodam translationem, quæ per ſe incommoda eſſet ac durior, ita infertur,ut priore molliatur,ut illud, Corinthum patres noſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe uoluerunt. Verùm hæc ſufficiant. Nam ex his cætera quoque, ſi quæ ſunt, facilè, ſi quis diligenter quærit, inuenientur. Illud admonendum,non translationem ſolum,ſed omnes motus huic generi ſubminiſtrare uerba poſſe. Quare his modis in cæteris quoque tropis,ſi quid inuenitur,quod ratio fieri poſſe oſtendit, inueſtigandum. Exornationes huius generis ſunt,quæ cum præmeditationem oſtentent, ſubtilioris mentis iudicium faciunt,ut agnominatio:non tamen omnis,ſed quæ quod dicimus efficit, ut ſi quis cito receſſurus debitori diceret,eam pecuniā fac habeam ante quàm abeam:& ex amante amentem eſſe effectum hominem, & lenones uerbis prius ut pollicearis placidos,pollicitus poſtquàm ſis leones inexorabiles eſſe. At hæc quidem ita ſe habent, cætera nobis pura in acuto genere adhibebuntur. Modeſtum dicendi genus eſt* **Modeſtum dicendi genus.** *morata oratio, in qua humanitas eius qui dicit, intantum apparet,ut uel minoris & ſe & ſua quàm oporteat, uel maioris*

aduerſarium & rem eius, quàm ſit, facere uideatur. Eius ſententiæ ſunt, ſi oſtendimus maioris accuſare potuiſſe criminis, ſed noluiſſe: aut ſi defendimus, nos cauſam dicere, quum agere potuiſſemus: ſi unum de multis ſe dicit orator, quum tamen egregius ſit: ſi pluris facimus aduerſarium, quàm ſit: ſi oſtendimus coactos à neceſſarijs ac familiaribus in iudicio adeſſe: aut ſi accuſamus, iniurijs impulſos aduerſariorum, uel inuitos accuſare. Ad hæc ſi quis neminem unquàm læſiſſe, aut accuſaſſe oſtendit, nunc coactum uenire in defenſionem proborum contra improbos, quod Cicero in Verrem ita facit, ut unius Verris accuſationem, iuris, totius'que prouinciæ Siciliæ defenſionem eſſe confirmet. Præterea ſi quis ſe non ita eloquentem, quàm ſit: neque eius in dicendo uſus oſtendit, ut cauſæ ſufficere ualeat: & omnino quandocunque, ut diffiniendo diximus, ſponte ſe aliquis minoris, quàm dignitas ſua poſtulat, facere uidetur. Methodus modeſti ſermonis eſt, humilem de ſe ſententiam abſque dubitatione proferre: quæ ad laudem ſui pertineant, dubitationi immiſcere, uel per diminutionem dicere. Econuerſo fit ſi ad aduerſarios ſententia pertinet, nam ſi quid boni de ipſis dicitur, non ambigendo, augetur: ſin mali aliud oſtenditur, dubitatione deprimitur. Permiſsio etiã quæ fit, quum dicendo oſtendimus nos aliquam rem alterius poteſtati concedere, ab hoc genere aliena non eſt. Verba pura & tenuia, & quæ aut rem ſingularem paruo poteſtatis ambitu, non ſatis exprimere poſſe uidentur, aut rem minorem inſigni appellatione in maius efferunt. Schemata ſunt quæ per occupationem inducuntur, quam tripliciter fieri arbitramur: aut enim uerè, ut diximus, multa ſponte prætermittimus, quam prætermiſsionem nominamus, ut illud, Quorum ego nihil dico nunc patres conſcripti, hominem ipſum relinquo, de prouincia diſputabo: aut quum dicimus

Permiſsio.

ſponte

ſponte præterire quum maxime dicimus, quod ſola præmonitione modeſtiam oſtendit, aut abſque præmonitione in occupationem incidimus, ut pro Planc. *Nullus erit tam immemor meorum, non dicam in bonos meritorum, ſed bonorum in me. Hac ita uti nonnunquàm* Cicero *inuenitur, ut quæ maiorem uim habent, ea omittere diſsimulet: quod quum facit, amplius ferè quod omittit effert, quàm quod dicit. Qui modus aſſentire auditorem uehementer cogit, ut de prouincijs conſularibus, Mitto quòd eas ita partas habent hi qui nunc obtinent, ut non antè attigerint, quàm hunc ordinem condemnarint, quàm autoritatem noſtram ex ciuitate exterminarint, quàm fidem publicam, quàm perpetuam populi* Ro. *ſalutem, quàm me ac meos omnes fœdiſsimè crudeliſsimeq́; uexarint. Omnia illa domeſtica atque urbana mitto, quæ tanta ſunt, ut nunquàm* Hannibal *huic urbi tantum mali optarit, quantum illi effecerint. Ad ipſas uenio prouincias.* Huiuſmodi *occupatio ſub huius generis ſpecie aliud quid conficit, cætera pura ac tenuia debent eſſe.* Inter *alias dicendi formas ac genera ueritatem maximè ad perſuadendum oratori neceſſariam ducimus.* Nam *neſcio ſi quid aliud magis, ut aſſentiat cogat auditorem, quàm ita dicere, ut quod dicis, id ſentire uideare. Neque enim fidem unquàm alteri faciet qui ſibi non credit, neque affectum in auditoris animum inducet, qui ab eo remotus eſt: quod accidit, ſi recta ex animi ſententia dicere non uideris.* Veritas *igitur eſt qua conficitur, ut quod auditori perſuadere coneris, id tibi prius perſuaſum eſſe uideatur: quod etſi pronunciatione maximè conſequimur, tamen & ea dicendi forma plurimum iuuat, cui ueritati nomen eſt, de qua nunc dicamus.* Veritati *quæ compoſitione orationis erumpit, nullam ſententiam attribuimus.* Cunctas

Veritas.

Veritatis ſententia.

enim ita componi debere arbitramur, ut fictæ non uideantur, quamuis modeſtæ ac tenues, ueræ orationi magis, quàm cæteræ conueniunt. Cunctas ergo ei ſupponimus, quibus fides fieri poßit, quæ non elocutionis, ut reliquorum ſententiæ generum, ſed inuentionis præceptione & excogitari & accommodari cauſæ ſolent.

Methodus. *Methodus uerò quamuis infinitis penè modis contineatur (nam ut natura rerum petit, ita orationem flectere oportet, quod grauitatis eſt) tamen unum illud præcipuum, quum affectionem animi nullo præſignificaueris uerbo, ſubitò in monitionem, & quidem* signatis *uerbis incidere. Nihil enim magis ex animo rem dici oſtendit, maximè quum quæ ad affectus pertinent exponuntur, quàm ita repentè nō præparatis auditoribus rem aggredi, ut erumpere potius quàm uenire uideatur oratio. Natura enim ita comparatum eſt, ut ſi dolemus, ſi admiramur, ſi optamus, ſi iuramus, ſi moleſte ferimus, ſi timemus, ſi triſtamur, ſi nos miſeret, ſi gaudemus, ſi iraſcimur, ſi ſperamus, ſi deſperamus, ſi obiurgamus, aut obiurgamur, alijsq́; huiuſmodi prius ex affectione erumpamus, quàm cur afficiamur oſtendamus. Nam uerè motus cur motus ſit, etiam ſi interrogetur, non facilè reſpondet. Præterea ſi quo confidimus, aut diffidimus, ſi in aliam rem iudicem auertimus, ſi hortamur, ſi deprecamur, ſi incitamus, ſi exuſcitamus, ſi interrogamus, ſi refellimus, ſi occurrimus, ſi conſolamur, ſi mitigamus, in omnibus his ea oratio uerior, quæ ab eo ipſo incipit, quod uolumus. Neque nego præparationibus, & de longe molitionibus & diſsimulationibus, nonnunquàm ueritatis ſpeciem apparere ſimul, ſed quod* grauitati *attribuo, id oratoris relinquo iudicio: quod natura huius formæ petit, id doceo: hac huius generis methodo poëta maximus quum ubicunque opus ſit, commodiſsime utatur,*

*insignitis
*ueritati

utitur, in ſecundo etiam docuit, Ille nihil nec me quærentem uana moratur, Sed grauiter gemitus imo de pectore ducens, Heu fuge nate dea, teq́; his, ait, eripe flammis. Hoſtis habet muros, ruit alto à culmine Troia. Et *in quartò diuinitus ab affectione incipit,* Per *ſidera teſtor, per ſuperos, atque hoc cœli ſpirabile lumen* Tollite *me* Teucri. Quid *illud?* Diſsimu*lare etiam ſperaſti perfide tantum* Poſſe *nefas, tacitusq́; mea diſcedere terra?* Non'ne *ita erumpit, ut quum artificioſiſsimè dicatur, natura non arte effluere uideatur?* Sed *ut hæc aliena ab oratoribus non putentur, à* Cicerone *quoque, quod dicimus, factitatum oſtendamus: pro* Milone *ergo quum diceret,* Vtinam P. Clodius *non modo uiueret, ſed etiam pro conſule dictator eſſet, quaſi id* Milo *ſibi negaſſet, admiratione ſubitò exclamat,* O *dij immortales, fortem & à uobis iudices conſeruandum uirum, minime minime, inquit, immo pœnas debitas ille luerit, nos ſubeamus, ſi ita neceſſe eſt non debitas.* Hoc *ſi præparas, aut conuertis, uim quoque ſuam omnino euertis.* Pro *eodem, quàm ſuæ confidit cauſæ, oſtendit,* Negant *intueri lucem fas eſſe ei qui à ſe hominem occiſum fateatur: in qua tandem urbe hæc homines ſtultiſsimi diſputant? nempe in ea &c.* Verum *omni in re & qui ſimus, & quid dicimus, & ubi dicimus, conſiderandum.* Vehemens *affectus quod diximus poſtulat, mitis fortaſſe aliud.* Hæc *etiam rerum pondere uariari poſſunt, ut illud pro eodem,* Vtinam *dij immortales feciſſem (pace tua patria dixerim: metuo enim ne ſcelerate dicam in te quod pro* Milone *dicam pie)* Vtinam P. Clodius *nō modo uiueret, ſed etiā pro conſule dictator eſſet, ante quàm hoc ſpectaculum uiderem.* Nam *& ab affectu incipit, & quod interponit mirabilis grauitatis eſt.* Motione *enim animi impulſus, quod contra patriam putat, id optat: & charitate patriæ timere oſtendit, ne ſcelerate exoptet, & ſimul ex his illud*

erumpit, gaudendum, cum occiſum quem uiuere ſcelus eſſet. Præter hæc ueritatem maximè cõficit obiectionibus ſine præparatione reſpondere, uel prius ſoluere quàm obijcias, uel obiectioni ſic reſpondere, ut à ſolutione quid obiectum ſit, aut obijci poſſet, intelligatur. Pro Milone, *At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriæ, punitor doloris ſui.* Quid *ſi hæc non dico maiora fuerunt in* Clodio *quàm in* Milone, *ſed in illo maxima, nulla in hoc?* Quid *uultis amplius?* Obiectiones *etiam aduerſariorum nudas breuiter ponere cum deriſione, quum infirmæ uidentur, ueritatis eſt.* Vergilius *in quarto,* Nunc *augur* Apollo,

Nunc Lyciæ *ſortes, nunc &* Ioue *miſſus ab ipſo,*
Interpres *diuùm fert horrida iuſſa per auras.*

Hæc etiam celeritatis ſunt, ſed ueolciter & expedite dicere, ueritatis imaginem reddit. Ad *hæc ſi quis orationis cõtextum perturbat, quod maximè, quum ira ſe commotos oſtendere uolunt, factitant.* Magis *enim ira alijs affectibus perturbare animum uidetur.* Sed *quum nos animi perturbationem quæcunque ſit, uehementiorem uideri uolumus, orationem quoque turbabimus, nec id unica ratione faciemus, ſed ex natura rerum aliter atque aliter orationem non recte componemus.* Verum *in omnibus, ne quod uolumus oratione præſignificetur, cauendum.* His *addatur quum nos oblitos ferè rei alicuius oſtendimus, quod multis modis fieri ſolet.* Aut *enim quum aliud iam incœperimus, quaſi ſubitò nobis quod dicendum erat occurrerit, ad illud redimus, ad* Herennium. Nunc *ne nimium longa ſumatur oratio, de re dicere incipiemus:* Sed *ſi te unum illud monuerimus, artem ſine aßiduitate dicendi non multum iuuare.* Hoc *& magnitudinem rei oſtendit, quæ ad ſe nos uel oblitos retrahat, aut quum loci cuiuſdam, in quo nimium commorati ſumus, finem ita facimus, ut nos ſentire aper*

re aper

re aperiamus, impetu dicendi, multitudine uerborum peccaſſe, & ulterius quàm oporteat elapſos eſſe, ut ad pontifices, Intelligo pontifices me plura extra cauſam dixiſſe, quàm aut opinio tulerit, aut uoluntas mea, ſed quum me purgatum uobis eſſe cuperem, tum etiam ueſtra in me attente audiendo benignitas prouexit orationem meam, ſed hæc compenſabo breuitate eius orationis, &c. Aut quum oſtendimus perturbatum nobis dicendi ordinem, ut quod iam dictum eſſe oportuit, nunc demum in mentem ueniat. Sed de methodo ſatis, propter quam à grauitate, niſi & uerba & ſchemata concurrerent, ueritatem non ſeparaſſemus. Nam quum grauitas in methodo tota conſiſtat, quod alijs quoque fieri poſſe uidetur, forma unica putanda eſt, quamuis multò maiorem cum grauitate ueritas, quàm cæteræ ſimilitudinem habeat. Verba non ſimplicia quædam ſunt, ſed pro uarietate rerum diuerſa: in ira, aſperiora & acriora, & quæ à nobis ipſis ficta uideantur in aduerſarium, ſunt: in commiſerationibus pura & tenuis dictio non parum ualet, quare iudicio oratoris relinquendus totus hic locus uidetur. Schemata ſunt, quæ uere ex animo dici uidentur, quæ ut dictio, uarietate rerum commutantur, quod hic dictum per omnes formas intelligendum. Nulla enim forma, niſi res poſtulat, loco dicitur. Ira igitur commoti, aſperitatis & acrimoniæ ſchematis utentur, ut ſunt conuerſiones, & hæ maximè, quæ cum interrogatione proferuntur. Habet enim interrogatio breuis quiddam, quo redarguat & reprehendat, quare uerũ ac quaſi animatum orationis genus conficit. Præterea quæcunque fidentiam oratoris oſtendunt, ut repetitiones, conduplicationes eiuſdem rei, uarijs uerbis repetitio, ut pro Milone, Vos, uos appello fortiſſimi uiri, qui multum pro republica ſanguinem effudiſtis. Vos in uiri & in ciuis inuicti appello

Cicero ad pontifices.

Veritatis uerba.

Schemata.

periculo centuriones,uoſq; milites,uobis non modo inſpectantibus,ſed etiam armatis, & huic iudicio præſidentibus. Hæc *tanta uirtus ex hac urbe expelletur,exterminabitur,proijcietur?* Item demonſtratio, *ut ad pontifices,* Hic *tuis* P. Len*tule, quum tu nihil dies & noctes, niſi de ſalute mea cogitares, conſilijs omnibus interfuit.* Hic *tibi grauißimus autor ad inſtituendum.* Dubitatio *ſubito illata, ut pro Au.* Cecin. *An certius quicquam obijci poteſt, quàm quod is, cui obijcitur, ne nutu quidam infirmare conatur?* Nam *quæ præmonita eſt & quieta, acuta magis & mordax, ut pro eodem, de eo dubito nunc nunc, quomodo aut loquar aut taceam, quum ipſe hoc de ſe iuratus prædicet.* Ad *hæc adiudicatio, præciſio, & correctio.* Fit *autem præciſio, quum quod dicere incepimus, quaſi ſubitò uel pondere uel turpitudine rei commoti reticemus, hoc pacto,* Hunc *tu modeſtum putas, qui nuper alienæ domi.* Correctio *eſt quæ tollit id, quod dictum eſt,& pro eo id quod magis idoneum uidetur reponit, ut pro* P. Sex. Illo *ipſo inquam die, die dico? imo hora, atque etiam puncto temporis eodem.* Et M. Cælio, *Cum iſtius mulieris uiro, fratre uolui dicere.* Quamuis *inter illam & hanc illud interſit, quod ibi ueritas quaſi lapſos nos retrahit, hic primo impetu ad ſe adducit.* Quare *ibi ueritas, hic honeſtas corrigit, ſed hoc ultimum,quum ueritate non careat, etiam acerbum eſt.* Con*uerſiones quoque & * uocationes alienæ non ſunt quæ fiunt, quum ad conſiderandum quicquam aut reſpondendum ad id quenquam prouocamus, quod eum maxime lædat.*

**notationes*

Membra

Membra *ut breuiora in uehementioribus affectibus, ita longiora in nutibus animatæ orationi mihi conuenire uidentur.* Collocatio, *numerus, & clauſula aſperiora ſunt, nimiam iucunditatem non teneant.* Nam *quæ compta nimis*

ſunt,

ſunt, & præmeditata uidentur, & minus habent uirium: quorum alterum fictè dicere, alterum infirmam habere cauſam, ſuſpicionem affert, quare ſi quæ accipienda uidentur ſchemata, nimis exornant, methodo ornatum inde tollemus, uim relinquemus: ita tamen ut neque fœda uideantur, & nimiam expolitionem effugiant. Qua ratione Ciceronem credimus in ſuperiore exemplo poſtremis duobus membris repetitionis pulchritudinem ademiſſe, uim non diminuiſſe. Sed de animato ſermone ſatis: neque enim ferè plura dici poſſunt, niſi quis totam grauitatis methodum aperire uellet.

DE OBIVRGATIONE.

NVnc de obiurgatione, quam ei adiungimus, breuiter dicamus, ne quod huius facultatis elementum nobis prætermittatur: hanc Græcè βαρύτητα uocamus, quare ſi quis Græcos imitari uellet, onerosum ſermonem appellet. Eius ſententiæ ſunt exprobrationes omnes, ut quum ſua quis in aliquem merita oſtentet, nihil omnino uel parum ab eo recepiſſe commemoret, uel etiam ſupplicium pro meritis perpeſſum oſtendat. Cuius ſimile eſt, quum in concionibus malos diligi, cruciari bonos oſtendimus, qui de republica benemeriti ſunt. Præterea ironicæ omnes ſententiæ oneroſi generis ſunt, quãuis ironicam methodũ magis quã ſententiam dixerim, quæ multò oneroſior eſt quum in maiores dicitur. Hic oneroſus ſermo in nõnullis figuratis quæſtionibus ſemper penè cõmodiſſimus eſt. Multa enim plerunq; ironice in figuratis dicuntur, ac maxime quũ de repub. bene meriti uiri, quoniã apertè nõ ſuadẽt, quod bene ſentiũt figuratam cauſam ſuſcipiũt, quod ut planius fiat, exemplo declaretur, Poſt exactum Xerxem, & tam pulcherrima circa Salamina trophea, quidam apud Athenienſes de uendendis nauibus, ut ea pecunia mœnia urbis reſtaurarentur

rarentur,legem ferunt. Themiſtocles contradicit,& uincitur. Poſteà conſultò ſe de inſtruendis nauibus male admonuiſſe apud Areopagitas indicat,eius rei capitalis erat pœna. Multa hic onerosè per ironiam dici poſſunt, Nullam fuiſſe utilitatem nauium,non benè conſilio ſuo,nauali bello rempublicam geſtā: eos qui nunc populo perſuaſerunt naues uendendas,ſolos reipub.ſalutem adduxiſſe,ſolos quod ciuitati confert & ſenſiſſe et ſentire. Idcirco citius atrociusq́; ſuo etiam iudicio puniendum uideri,quòd ipſe ſolus quod inutile fore uidebat, Naues inſtruendas,urbem derelinquendam perſuaſiſſet,quorum utrūq; nequaquam faciendum fuit. Pedeſtri enim exercitu uictum, exactumq́; Xerxem fuiſſe,pedeſtri pugna liberatam Græciam,nunquàm ſibi neque regem auſurum bellum inferre,neque quenquàm Græcorum non obſecuturum,ſi nauibus amiſſis urbem colāt, Naualia bella,mare,huiuſmodi labores cæteris concedant. Has ſententias, ſi quis etiam per ſe conſideret,non dubitabit βαρύτητος eſſe: quod ſi deriſionis ſpiritu profert,clarior grauedo fiat,neceſſe eſt. Methodus,dubitationem interrogationi commiſcere, quod complexionibus cōmodiſſime fit,& de re ſimplici,quæ manifeſta & clara ſit,interrogare:ut, eſt'ne dies? Verba,& quæ ſequuntur,moderatæ orationi,ac ueræ grauedini conueniunt. Verum quoniam ita breuiter de cæteris dicendi formis præceptum eſt, ut ex his multò plura maioraq́; pateant, nunc tempus uidetur de grauitate pauca diſſerere.

DE GRAVITATE.

Grauitas δεινότης. Grauitatis diuiſio.

GRauitatem in duas partes diuidimus, quarum unam re ac uere grauitatem, alteram uerbo ſolum appellamus. Prima eſt,qua oratoris iudicio, perſonis,rebus,cauſis, locis, temporibus oratio accommodatur,quam non ſingularem quā-

dam

dam ideam ſiue dicendi formam eſſe arbitramur,uerum cuncta quæ in hac parte præcipiuntur,ita complecti putamus, ut idem ſit grauem oratorē, & omni laude accumulatum appellare. Verbo grauitatem nominamus, in qua ſententijs,uerbis, cæteriſq; quibus oratio conficitur ſic utimur,ut uulgo graues uideamur. De hac grauitate,quam & dicendi formam arbitramur,prius dicendum eſt,ſed breuiter,deinde ad illam ueram,qua tota eloquentia continetur,reuertemur. Triplicem ergo hanc eſſe cenſemus.Nam quum ſententijs,& uerbis,cæteriſq; conſtet,ita conficitur, ut aut grauis & ſit & uideatur, aut ſit quidem,minime tamen uideatur:aut quãuis grauis non ſit,uideatur tamen:quæ nec grauis eſt,neque uidetur, præceptione noſtra non indiget: quæ ſolum uidetur, uerbis maximè:quæ ſolum eſt, methodo ſolum: tertia omnibus conficitur. Cuius ſententiæ ſunt ſubtiles, mirabiles,altæ,acutæ, ac omnino huiuſmodi, ut non à quouis, ſed à prudentiſſimis tantum excogitari poſſe credantur,ut pro Cluentio,Sed tu Acci conſideres cenſeo diligenter, utrum cenſorium iudicium graue uelis eſſe,an Egnatij:ſi Egnatij,leue eſt quod cenſores de cæteris ſubſcripſerunt:ipſum enim Cn.Egnatium,quem tu grauem eſſe uis,ex ſenatu eiecerunt. Sin autem cenſorium hunc Egnatium,quem pater cenſoria ſubſcriptione exhæredabat,cenſores in ſenatu, quum patrem eiecerunt,retinuerunt. & pro Plan. Quanquàm diſſimilis pecuniæ debitio & gratiæ,& quæ ſequuntur.Hæc enim ſubtiliora ſunt,quàm quiſquàm uulgò excogitare poſſit. Multa huiuſmodi in Cicerone inuenies. Verum non ſolum has, ſed etiam omnis grandis orationis ſententias huic generi conuenire putamus. Methodus ſententijs idonea, ea uidelicet,qua non omnes uulgo utamur,& omnis grandiloqua. Verba noua, grandia, uehementia,aſpera,durius tranſlata,quæ tamen naturam rerum non nimis excedant,minus

uſitata

uſitata,nec omnino inſolita,membra,ſchemata,collatio,clauſula,numerus,maiora,& ampliora,quæ dignitati, ſplendori,uigori,& circũductioni conueniunt. Proprium uerò huius ſchema conuolutio,& maximè interrogationis prolata ſpiritu,ut de prouin.conſularibus, Quæ enim homini in quo aliquid ſi non famæ pudor, at ſupplicij timor eſt,grauior pœna accidere potuit, quàm non credi literis his, quæ rem non bene geſtam in bello nunciarent? Grauitas, quæ ſolum artificio comparatur,fiet,ſi quæ uehementiora ſunt & acriora aut ſubtiliora,& altiora,ita dicuntur,ut tenuia quædam remiſſa,& ſupina eſſe uidentur:ita tamen, ut in huiuſmodi oratione,maior quædam lateat uis, qua id quod orator intendit perficiatur. Quare non parui artificij eſt,neque cuiuſuis oratoris orationis & rerum uim ita demittere, ut communis uideatur, & quod maius ego iudico, communioribus etiam ſententijs.& uulgata orationis compoſitione id efficere,ut altius quiddam & grauius inſit,quod auditorem moueat.Hoc genus non ſimplex eſt,ſed uarium & multiplex.Neceſſe enim eſt ſecundum uariam rerum naturam uarijs modis quod dictum eſt efficere,neque præceptis ita contineri poteſt,quemadmodum ſuperiora. Neque enim à uera grauitate diſtat,ſi loco fit. Nam cum uera grauitas methodo quadam conſtet, qua quid cuiq; conueniat,quærimus,idearum dicendi methodos in hoc maxime ab illa differre arbitramur,quòd formam dicẽdi per ſe ſolam conſiderant.Sed de his aliàs. Grauitate autem,de qua dicimus,adeò multi delectati ſunt,ut ubique eam inſectentur, ut apud nos Lyſias.Demoſthenes uerò,quem M.Cicero ſequitur,ut uere grauis orator,certo iudicio ubi opus ſit,hanc inſerit. Verum ut re quod dicimus pateat, exemplum quoque proponamus. Pro Clu.igitur Cicero quum lege rem ſuam abſoluere uellet, ne uideretur minus rebus confidere, quòd ad le

Grauitas artificialis.

Grauitate qui uſi & qui eandem uiciſſim, inſectati ſint.

ad legem confugiebat, fingit quàm grauiter, Cluentium rebus ſuis ita confidere, ut patrocinium legis non magni exiſtimet, ſed inuito eo ad legem accedere, quæ res tam ſententia, quàm compoſitione communior uidetur. Imprimitur tamen auditori ea uis, ut exiſtimet tam rebus ſolum, quàm lege reum defendi poſſe. Sed uerba ſua ſcribantur, ut uideamus quàm graui utitur artificio, quum tamen communis & tenuis uideatur. Eſt enim quiddam, inquit, in hac cauſa, quod Cluentius ad ſe, aliquid quod ego ad me putẽ pertinere. hic putat ſua intereſſe, ſe re ipſa & geſto negotio, non lege defendi. Ego nunc mea exiſtimo intereſſe me nulla in diſputatione ab Actio uideri ſuperatum eſſe. Tertium huius formæ membrum dicebamus, quum oratio grauis minime ſit, ſed appareat, quo genere probum oratorem uti non licet, neq; id poneremus, niſi diuiſionẽ perfecte complecti uellemus, quod etſi uerbis maxime conſtet, tamen & cætera cuiuſmodi ſint attingamus. Sententijs grauis uideberis, ſed non eris, ſiquidem id conſequi uelis, ſi acerbioribus quàm tempori conueniant uteris, ſi ante quàm rem probes, amplifices. Methodus allegorice ac obſcure per ænigmata dicere, quum res non flagitet. Verba ampla ſemper & magnifica, aſpera, noua, priſca, duriter trãslata, inuſitata & omnino grandiora quàm res patitur. Similiter membra collocationis, & cætera tumida quædã ac inflata, ut oratio turgeat, & ſpecie grauitatis facile fallat, quem dicendi modum nec formã quidem appellamus. Vere enim grauitati, hoc eſt, ipſi eloquentiæ oppoſita eſt. Verum de formis generibusq; dicendi ſimplicibus iam ſatis.

Grauitas apparens.

DE VERA GRAVITATE.

De uera grauitate, cui etiam compoſitas attribuimus formas, nunc aliquid dicamus, non quòd tantam rem tamq;

diuin

diuinam præcipiendo aperire poſſe confidamus, uerum ut quid ſit hæc oratoris grauitas percipiatur, ut ſaltem unuſquiſque quid ſibi quærēdum ſit intelligere poßit. Inter omnes philoſophiæ ſtudioſos clarißimum ſemper fuit, in cæteris liberalium ſtudiorum artibus, innumerabiles penè doctos homines extitiſſe, in hac uerò dicēdi facultate adeò perpaucos eſſe repertos, ut uix tota Græcia uno, itidemq́; Italia gloriari iure poſſe uideatur. Id cur ita acciderit, inter peritos homines cōtro uerſia eſt. Neq; enim eloquētiæ minor opera, remißiusq́; ſtudiū quā cæteris artibus cōferebatur. Nullus philoſophorū hæc ſtudia contēnebat. Non aſpernabatur hæc dialecticus, amplectebātur ſophiſtæ, admirabātur medici, optimates uerò ciuitatum ad principes, in quibus ſumma florebant ingenia, has humanitatis artes tanquàm ſuas colebant. Quare, quum hæc orationis copia apud omnes plurimi fieret, non iniuria cum in cæteris reconditis omnino atque abditis naturæ diſciplinæq; artibus multi eſſent instructi elegantißimè, in his non perpauci, ſed qui infra omnem numerum eſſent, excellentiores fuere, dubitatum eſt: Inuentiq; ſunt, qui id accidere dicerent, quoniam oratoria facultas exercitatione quadam temeraria, naturæq; acumine, nullis præceptis, nulla arte conſiſteret, quos tanquàm fatuos, quoniam rem manifeſtam tam præclarè negare auderent, omnes contempſere. Alij uerò, quorum ſententia pluris facta eſt, commoditatem orationis ac copiam ſine artificio ne conſtare quidem putauerunt. Verum non ita paucis, nec tam anguſtis præceptorum terminis oratoriam rem contineri ut cætera, ſed infinitam fermè huius facultatis & uariam, quam tractet materiam, exiſtimarunt. Nam & hiſtoria omnis tam domeſtica, quàm peregrina, quoniam ſimilitudine præteritorum uentura coniectentur, pernoſcenda eſt, & ex media philoſophia religio, pietas, moderatio, continentia,*

*orationis

Quî factum, ut perpauci eloquentes.

tia, alia'que huiuſmodi, quibus mores hominum exornantur, non tam uerbis repetenda, quàm re comprobanda, & ciuitatis inſtituta, leges, conſuetudines retinendæ. Hæc breuiter dicta ingentem quendam ambitum continent, & non longiore tempore ſolum ut percipiantur indigent, uerum etiam admirabilem induſtriam, acutiſsimum ingenium, ſummam'que diligentiam non poſtulant ſolum, ſed flagitant. Quicquid enim horum neglectum fuerit, oratoriæ facultatis apicem tollit. Quartum his addunt ceu quoddam inſtrumentum, quo certam in formam materiam redigas, facultatis huius exquiſitam præceptionem, quam ſi nos in his libris probe executi ſumus, aliorum iudicium ſit. Hæc quidem illi. Nos autem ad hæc aliud quiddam dicimus cauſæ fuiſſe, cur pauci ad apicem uſque rhetoricæ facultatis ſtudioſi peruenerint. Nam quum cæteri rem ſuam ſolum conſiderent, isq; bonus dialecticus ſit, qui dialecticam nouerit: is probus phyſicus, cui naturæ ſecreta rimari ſubtiliter contigit: diſciplinatus is, qui cœlorum ambitum, ſiderum curſus, magnitudinis quoque omnis conditiones, quæ ſciri poſſunt, certa ratione comprehenderit: Oratori parum erit, ſi quæ acturus eſt ita dicet, ut neque quis ipſe ſit, neque apud quos, quo loco, quo tempore, qua de cauſa, & in quos dicat, per totam orationem conſideret: quæ quam multa & magna ſint quis dubitet? Vna enim atque eadem propoſita cauſa eodemq; modo percepta à plurimis, iiſdem rationibus, exemplis, inſtitutis, atque conſuetudine ab omnibus habitis, aliter tamen à Cicerone, aliter à Cæſare, aliter à Catone peragetur. Eſt enim omni in re quod perſonæ ratio, prout grauis, ſeuera, mitisq; ſit, ſibi flagitat, & id ipſum non ſtabile, neque firmum uideo, ſed perplexa rurſus uarietate diſtinctum. Nam idem ipſe Cicero aliter iuuenis, aliter uir, aliter ſenex, quamuis idem

Diſciplinatus.

Oratoris officium.

* deniq; ſemper cognouerit, apud eoſdem eadē de cauſa dicet.* Idemq́; priuatus aliter, prætor aliter, & aliter conſul. Idipſum de auditoribus conſiderandum, qua dignitate, qua doctrina, quo ingenio, qua fama, æquales'ne nobis, an maiores, minores'ue ſint. Nam ut alio uocis habitu, alia moderatione uultus, alia geſtus uenuſtate natura ipſa quum ad maiores ſermonem habemus induimur, quàm ſi cum minoribus aut æqualibus loquerenur, * ſic nec eodem modo ad diuerſos dicendum eſt. Quid quorum res agitur, ſi ſceleſti, nocentes, infamesq́; ſunt, quanta, quàm grandi, quàm atroci, dij immortales, oratione in eos inuehi licet? Contraq́; ſi modeſti, ſi boni uiri, & ciuis officium exiſtimatione hominum conſeruarunt, quis ignorat quanta cautione opus ſit, quo dicendi genere, ſubtili & acuto, & quaſi figurato uti oporteat, ut antequàm quò uelis mentes auditorum impuleris, ambiguus quidam & dubius ſis, ut neque nimium exiſtimationem lædas, & occultius acriter percutias? Cauſa uerò ipſa quàm uaria & lubrica ſit, nemo omnium inueniri poterit, qui ignoret, cui non modo quod poſtulet accommodare difficile eſt, uerumetiam quid ſibi conueniat intelligere non commune, nec uulgò factitatum, ſed ſingulare quid atque egregium mihi uidetur. Aliud enim publica cauſa, aliud priuata orationis genus requirit. Neque ita de capite, ut de fortunis dicendum eſt, non eodem pacto de nobis, atque de alijs, quodlibetq́; iſtorum in infinitum ferè adhuc ſcinditur. Neq; enim publica cauſa atq; priuata eadem ſemper eſt, ſed eſt & proditionis, eſt peculatus, eſt repetundarum publica cauſa. Quid tempus & locus? non immutant omnia? ut pro Roſcio, quum fermè cauſa ſimplex ac facilis eſſet propter peſtifera Syllæ tempora, quàm perplexa atque difficilis, dij ueſtram fidem, effecta eſt? Idemq́; pro Deiotaro, incommoditate loci ſibiipſi accidiſſe teſtatur orator.

* ſic eodem modo &c.

Tempus et locus omnia immutant.

Quibus

Quibus enim querelis, qua uoce, quibus aſſenſionibus populi in foro cauſam diceret, haud notare non potuit. Magna ſunt hæc, at omnia & multò plura his in unaquaque cauſa conſideranda ſunt: neque ſingulorum, ſed omnium ſimul habenda eſt ratio, ut quid inuenias, ſic diſponas, ea uoce, uultu, geſtu'que pronuncies, ita clara, grandi, pulchra, celeri, morata, animata, & graui oratione utaris, ut ſimul perſonis, rebus, temporibus, locis accommodetur oratio. Quare mirari ac quærere deſinamus, quid cauſæ fuerit, cur cum plures huic arti operam darent uehementer, tamen pauci ſingulis'que uix in ætatibus ſinguli tolerabiles oratores inuenti ſint: hæc nobis uidetur fuiſſe cauſa, hæc ſumma etiam grauitas oratoris eſt, qui ad hoc peruenit, is mihi orator: neq; quoniam omnium difficillimum eſt, tam multas, tam uarias, tam inſtabiles rerum, perſonarum, cauſarum, locorum, & temporum conditiones percipere, & quum quid unicuique conueniat intellexeris, multò magis arduum quod intellexiſti dicendo conſequi, idcirco deſerenda uel contemnenda oratoria facultas eſt. Nam ut quicque nobiliſſimum & egregium eſt, ita quanto altius & diuinius eſt, tanto cæteris difficilius, magis'que arduum eſſe conſueuit. Porrò uerò ea mens, id ingenium omnibus inſitum eſt, ut quod præſtat, quod'que excellit, tantò magis & admiremur, & amemus, quantò maiore conatu & labore acquiritur: atque ut medici tanto diligentiore opera arti exercitationibus'que ſuis incumbunt, quantò res ſua longioris operis eſt, neque magis remouentur quoniam Hippocratis ac Galeni mirabiles curas conſequi non poſſunt, quin inſtent & uigilent, ſic futurum oratorem, (neque enim magis uſui medicina hominibus, quàm rhetorica eſt. Quippe ſingulorum illa, hæc tam ſingulorum, quàm qui reipubl, morbis medetur) difficultate rei deter-

Grauitas ſumma oratoris.

reri non oportet, ſed ab ineunte adoleſcentia artificioſa imitatione, inueniendi, diſponendi, eloquendi aſſequi rationem. Nam ſi exercitationi, aßiduoq; uſui, non ſcribendo ſolum, ſed ueras à iuuentute agendo cauſas inſudabunt, non dubito quin multi diſerti, nonnulli etiam eloquentes citò euadent. Hac uia Cicero, hac uia Demoſthenes multis laboribus uocem, latera, reperiendi facultatem, memoriæ firmitudinem, diſponendi ordinem, eloquendi uſum, & amplificarunt & confirmarunt. Noſtris temporibus pudet erroremńe an amentiam multorum dicam proferre, qui quum bene dicendi in iudicijs, in ſenatúque amore ardeant, atque hunc finem ſibi proponant, aut ad dialecticam, aut ad ius, quod ipſi ciuile nominant, quum tamen nihil ad ciuitatem ſuam pertineat, penitus ſe transferunt, quorum utriuſque parua quædam notitia ad rem noſtram ſufficit, nunc illis omnino dati, ſerò eos pœnitet, quum ad exercitationes huius præceptionis, aut redire non poſſunt, aut ſi poſſunt, pudet. Quare quicunque orator eſſe cupit, non alienis magis, quàm ſuis artibus ſeipſum præbeat, Demoſthenisq; illius ueſtigia ſequatur, qui, ut fertur, ſimili errore deductus, philoſophiæ ſe totum tradidit, deinde quum in concione Lycurgum audiſſet, ad cuius copiam philoſophi aſpirare non audebant, intellexit ſtultißimum eſſe omnium plus temporis in alienis quàm ea in facultate, quam cōſequi uelis, conſumere. Verùm de his multa, grauitatis autem de qua dicebamus, ſi nihil aliud niſi uim & poteſtatem aperire uellemus, quod plurimi fecerunt, uel ea quæ dicta ſunt, multa nobis uiderentur. Nunc præceptionis quoque ordinem quendam, ac inſtitutionem adhibere maluimus, non quòd hæc res certis præceptis ſubiaceat, atque contineatur (Nullus enim mentis non inops innumerabiles cauſas atque caſus arte poſſe explicari putauerit) ſed quoniam

Noſtrorum ſtultitia.

Demoſthenes.

Lycurgus.

niam quod in uniuerſum percipi poteſt, inutile fore non ducimus, minimisq; his à nobis expoſitis maiora cæteros inuenturos arbitramur, non fuit conſilium rem tantam negligere. Quòd ſi confuſior quàm quis optaret expoſita à nobis erit præceptorum traditio, magnitudini rerum id atque uarietati attribuat. Sed ne pluribus commoremur, iam incipiendum eſt.*

* præcipi

Quum allata eſt ei cauſa, quem grauem oratorem nuncupare merito poßimus, primo genus cauſæ, ſtatum, indicationem'que pernoſcendam putabit, quod ſcilicet multò diligentius quàm hi facient, qui (ut unum ex pluribus ſuis dicatur ineptijs, ut in nonnullorum librorum marginibus fertur) orationem pro Archia Ciceronis uel iuridiciali aiunt, uel coniecturali ſtatu contineri. Hoc uerò ſimile eſt, ſi quis diſcipulos ſuos medicus quartana uel tertiana exagitari hominem doceret. Quare ego non magis tantam inueniri poſſe in homine imperitiam admiror, ut quod certa ratione docendo explicare debeat, id diſiungat, quàm quòd magnam huiuſmodi homines rhetorica profeßione & famam & pecuniam depeculati ſunt. Nos ne in eum errorem incidamus, qui omnia in dicendo euertit (Nam qui de ſtatu cauſæ ambigit, is nihil recte agere poßit, neceſſe eſt) primum quæ de conſtitutionibus diximus, optimè tenebimus: deinde, maximè ſi alienam orationem examinarimus, contentionis argumenta conſiderabimus, ex quibus etiam primum emergit. Tertiò quid demum relinquitur excogitabimus: & ſi undique idem erumpit, ut in Archiana, coniecturalis cauſa ſimplex erit: ſi diuerſitas ſubapparet, eodem cribro diuerſitatem excutiemus, & coniunctam cauſam eſſe non dubitabimus, & quibus coniungitur ſciemus, & principaliorem tam origine quàm firmitudine non ignorabimus. Neque unum & idem hoc uel illud eſſe putabimus: & diuerſa, quot & quæ ſint, & quomodo, & cur*

Grauis oratoris munus.

* quæſtionibus

Quæ grauẽ oratorẽ conſiderare oporteat in ſuſceptione cauſæ.

 diuerſa

diuerſa ſint perſpicimus. Quum igitur primum, fine, medio, principio, ac fundamento is, cui res allata eſt, cauſam perceperit, ſimplex'ne, an coniuncta: & ſi coniuncta, quot ex ſtatibus, uel quæſtionibus, quibusq́; * & quomodo, num rationibus, an firmamentis, aut firmamentorum quibuſdam depulſionibus coniuncta ſit, cætera'que huiuſmodi, quæ tam ad inueniendum quàm ad diſponendum ex natura ſui cauſam pertinent: perſonas deinde, locum, tempus cauſæ ſic accommodabit, ut diligenter inquirat, quid ea de re, in eo loco, eo tempore, talibus auditoribus in reum, uel pro reo dicendum, & quomodo dicendum ſit, qua ex re maximè omnium rationum copia, & ſi eiſdem ex locis fluat, propria tamen ita unicuique ſit cauſæ, ut ei tantum conueniat. Vnde etiam fit, ut quum multi loci oratori & dialectico communes uideantur, neuter tamen ab altero eos accipiat. Nam dialecticus quidem à genere, uerbi gratia, aut contrario: Rhetor à re contraria, aut à re, quæ genus uel ſpecies eſt, argumentum trahit. Habet ergo is circunſtantias, quibus omnia quæ inueniet, connexa, & applicata ſunt. Dialecticus circunſtantijs abſolutus, ut in reconditis rebus plura ſubtiliora'que, ita in cauſis pauca uel nulla potius quæ moueant inuenire poterit.

* etiam quæſtionum rationibus &c.

A circunſtantijs uis dicendi.

Omnis enim uis oratoris, dicendi'que copia à circunſtantijs manat, hinc quod in inuidiam, quod in odium, hinc quod in atrocem trahas ſuſpicionem inuenies, hinc auditores uel ad ſpem alliciuntur, uel ad terrorem detruduntur, hinc ad iram rapiuntur, ad miſericordiam flectuntur, ad lachrymas deducuntur. Hac ex re quod credant* dicitur, ut contemnant efficitur, quod ſibi uériſimile uideatur, effluere ſolet. Quamóbrem omnis facultatis rhetoricæ uis in circunſtantijs abſtruſa eſt, quæ ſi accommodatæ & locis fuerint, nihil inde inueniri poterit, quod qui ratione ſe exercuerit, non reperiret,

* elicitur

ret, ſed non inuentio ſolum, uerum cæteræ quoque partes hoc pacto probe contineri poſſunt. Hac *enim circunſtantiarum ad rem applicatione tota illa diſpoſitio profluit, quam ad caſum temporis accommodari dicebamus.* Pronunciatio *etiam huic rei ſummè accommodari debet.* Quis *enim dubitat anguſtijs temporis, perſonarum dignitate, inſolentia loci multa ſæpius aut commutanda tranſponendá que uideri, aut penitus omittenda?* Præterea *pro amplitudine maieſtatéque auditorum maiore minoré ue opus eſſe exclamatione, uel porrectione brachij, uel capitis iactatione, de quibus aliquid dicere non grauaremur, ſi aut hæc inuenturos nos conſideremus, aut omnino poſſe rem explicari uerbis putaremus.* Nunc *quoniam radicem eius quantum ad inuentionem, diſpoſitionem, pronunciationemq; diximus, ſurculos, quod omni in arte fieri ſolet, oratoris iudicio relinquamus, nos ad elocutionis grauitatem tranſeamus.* Vt *ergo cæteras partes ita rebus accommodat orator, ut loco, tempori, perſonis omnia conueniat, ſic elocutionem tam rebus, quàm cæteris circumſtantijs idoneam inueniet.* Non *enim ſolum contentus erit, ſi cui minandum uiderit, ſupplicandum, iraſcendum, ſi quibus hæ res conficiuntur teneat, ſed quo genere orationis unumquodq; horum optime ſit, conſiderabit, & formas ſimplices ita commiſcebit, ut quod uelit adipiſcatur.* Magna *eſt hæc res, ac ideo uerbis exprimi planius nõ patitur.* Sed *ex his paucis uideat qui ſe oratorem profitetur, quo orationis genere ſingula ſibi dicenda ſunt.* Qua *de re ita confuſè ſatis dictum ſit, quoniam ſatis dici non poteſt.* Poſt *hæc cura ſit, ut uideat, quæ iudiciali generi forma dicendi conueniat, qualis in laude uel in uituperatione oratio eſſe debeat, quæ deliberatiui generis forma, de quibus quid ſentimus, breuiter aperiemus.* Neque *enim*

ſilentio præterire tantam rem conſilium fuit, præſertim quum uideamus uel eos qui ſeſe magnos tam rhetores quàm oratores profiteantur, tanta ignorantia inuolui, ut uno ſemper & illo exili & arido dicendi genere utantur, ſiue de minimis rebus, ſiue de clariſſimis imperatoribus, ſiue de re ſecunda, ſiue de aduerſa dicant, quæ res eos totius oratoriæ facultatis imperitos eſſe declarat. Verùm illos inſcitia ſua tabeſcere ſinamus, nos rem altius ſuſcipiamus. Omne genus orationis aut quietum, aut forenſe, Ciceronem ſecuti, putamus. Quietum appellamus, in quo non tanta nobis acrimonia uel ui dicendi opus eſt. Id diuidimus in philoſophicum & hiſtoricum. Philoſophicum dicimus, quo in rebus natura reconditis, aut moribus inſtruendis philoſophus uti debeat. Nam etſi phyſica materies philoſophica eſt compoſitio, tamen ipſa orationis & ornatus oratoris eſt. Id rurſus duplex arbitramur, nam aut purè quietum eſt, quod eſt abſque dialogo, aut aliquid uehemẽtiæ à circunſtantijs aſſumit, cum dialogo effertur. Forenſe nominamus, quod circunſtantijs implicitum eſt. Id in tria partimur, Iudiciale, deliberatiuum, demonſtratiuum. Primum ergo de forenſi communiter, deinde de partibus eius dicamus, poſtremo pari ratione de quieto. Qua ex re, in quo etiam differant, perſpicietur. Forenſe dicendi genus omnes ſeptem formas ſuſcipit; non ita ut unaquæque per ſe ſeiunćta à cæteris inueniatur (Nam hoc quamuis in exercitationibus fieri debere arbitramur, & nos in una eadem'que re, quæ à poëtis de Phaëthonte dicitur, exempli gratia, fecimus, quæ huic uolumini interſerere uiſum non eſt, tamen uix inueniri poſſe in ueris cauſis credimus) non igitur ſimplices, ſed ſic inter ſe commixtas atque compoſitas ſuſcipit, ut ex omnibus una forma, una idea, unum'que dicendi genus, quod forenſe dicimus, conficiatur, quo in genere Ciceronis

Genera orationis duo.

Quietum.

Forenſe.

orationes uerſantur. Sed nobis non de Ciceronis genere nunc dicendum uideo, ſed de perfecto forenſi: quamuis ei accidat, qui de optimo genere tam forenſi quàm quieto aliquid præcipere uult, ut etiam de Ciceroniano genere dicat. Hæc enim meo iudicio idem ferè ſunt. Nam & Ciceronis dicendi genus, ſiue quietum, ſiue forenſe dicas, optimum eſt: & optimum forenſe dicendi genus aut quietum præter Ciceronis, neſcio ſi in Latino ſermone inueniri poteſt. Hoc igitur optimum forenſe genus, quod & Ciceronis eſt, ſi quis conficere uelit, quum omnes formas atque partes earum ita intellexerit, exercitationeq́; confirmauerit, ut facile quò uelit orationem uertere poſsit, in primis claram orationem, moratam, ueram, uelocem, ac circunductam adhibeat. Hæc enim maximè in forenſi genere abundare oportet. Poſt hæc aſperitate & acrimonia utatur, ſed minus quàm illis ſuperioribus. Vehemētia uerò, dignitas & ſplendor adhuc minus inſit. Nam ſplendidæ, luculentæ, honeſtæq́; orationis fulgorē, ſic intercidere plerunque ac comminuere in forenſi genere ſolet Cicero, ut uehementiam iucunditate celare. Cuius rei exemplum attuliſſemus, niſi in ſuperioribus exemplis perſpici potuiſſet. Pulchritudinis etiam aliquid inſit, & iucunditatis, ſed non tantum ut appareat, atque à quouis perſpici poſsit. Sed delectabit quidem ita auditores, ut neque faſtidium pariat, neq; præmeditationis afferat ſuſpicionem. Maximè autem iucundis clauſulis, collocatione, numeriſq́; utemur, quum argumentorum multitudine, rationumq́; acumine conſtipatur oratio. Nam quæ acuta excogitatu ſunt & ſubtilia, ſi crebro inter ſe collocentur, tum aſperam, tum demiſſam & abiectam orationem reddunt: quod ne fiat, pulchritudinis figuris, membris, locatione, clauſuláque utendum eſt. Præterea grauitatis illius,

Ciceronis dicendi genus.

quæ quum ſit & uidetur, parũ (moleſta enim auditoribus eſt) quæ methodo ſola conſtat, eius plurimum inſit. Hæc forenſi generi, ſi communiſſime quis conſiderat, conuenire nobis uidentur, ſed uariari ſolent, ut quæ parcius adhibenda diximus, ea latius pateant, quum in ſpecies deſcendant, & maximè ut iam dictum eſt, quum hanc aut illam cauſam amplectantur, à quibus omnibus quum una forma compoſita fiat, ab ea quæ abundat orationem denominamus, ut his exemplis patuit, quæ ab oratore accepta ſingulis formis ſuperius inſeruimus. Sed de forenſi in uniuerſum ſatis. Nunc de partibus eius dicamus. Quoniam deliberatiuum genus forenſe eſt, oportet ut quæ nobis expoſita ſunt poſſideat, quamuis alio quodam

nanque pacto. Nam quia non parum autoritatis ac ponderis præ ſe ferre debet deliberatiua oratio, grandi oratione multò magis abundat, eamq́; grauitatem, quæ & eſt, & uidetur, haud parcius commiſcebit. Nam eſt hoc ferè deliberationi proprium, ut quod in iudiciali celandum ſit, apertiſſime hic adhibendum uideatur. Itaque præmeditationem ibi, orationis ſubtilitatem, & acumen uerborum, & argumentorum oſtendere plerunque nocuit: hic huiuſmodi omnia etiam oſtentare profuit: id ipſum de grauitate dicendum. Qua ex re palàm eſt pulchritudine quoque abundare oportere. Ad hæc moratæ orationis quod ex ironia acerrimum eſt, mediocriter interponendum. Cætera ut in communi præceptum eſt, in deliberatione habendum. Deinde rem ſuam quiſque noſcat, ad eam orationem accommodet. Sed ad ea quæ hactenus dicta

Iudiciale. ſunt, partium quoque orationis ratio habeatur. Iudiciale genus ex omnibus, quæ forenſem orationem formæ cõſtituunt, ita conficitur, ut his maximè abundet, quas in deliberatiuo minus acceperis: at quas deliberatio ſuſcipit liberalius, eas parcius occupet, niſi publica quædam eſſet quæſtio, & de rebus

mag

magnis, & præſtantiſsimis uiris haberetur. Nemo enim dubitabit iudicialem cauſam ſi publica ſit, ſublimius atque altius, & quod deliberatiuo accedat, genus deſiderare. Id uerò iudiciale, quod priuatum appellare libet, hoc eſt, quod de re propria, quæ ad rempublicam non pertineat, ſuſcipitur, modeſtæ orationis, & tenuis maximam habebit: barytetos, & ſimilium minimam, circunductione ex ſententijs plurimum, parum ex artificio. Acre genus, ſententijs, uerbis, figuris nonnunquàm amplectetur cætera, ut omne forenſe genus poßidebit, ex quibus omnibus quod conficitur iudiciale appellamus. Verum hæc communiter tam de accuſatorio, quàm defenſorio genere dicta ſint. Sed quoniam in iudicio aut accuſamus, aut defendimus, neque idem omnino orationis genus in utraque re nobis adhibendum uidetur, in quo differant, breuiter diſtinguamus. Defenſorium genus moratæ orationis ex modeſtia & tenuitate plus habebit, nihil barytetos & acrimoniæ, niſi manifeſte falſo nos crimine accuſatores criminarentur: celeritatis etiam minorem curam defenſor habebit, at accuſator omnibus his in oppoſitum utetur, ut quanto ſummißius ad ſimplicius defenſorium genus eſt, tanto excitatius, uehementius, atque acutius accuſatorium ſit: hæc communius, cætera ut res poſtulet faciemus. Demonſtratiuum genus iudiciali & deliberatiuo crebrius immiſcetur, ſeorſum etiam nonnunquàm tractari nulli dubium eſt. Quare ſi alijs generibus aduenit ex re, orationem magis minus'ue ad demonſtratiuum attrahemus, ita tamen ut aliquid eius generis, cui permiſcetur retineat: quamuis Ciceronis exemplo, qui quum de Imperatore deligendo diceret, laudes Pompeij in puro ac amplo demonſtrationis egit genere, poſſumus ſi locus datur à principaliore genere commode decedere: quod deliberatiuo magis quã iudiciali idcirco poteſt accidere, quòd non*

*obtinebit

Demõſtratiuũ

parua

parua ſimilitudo generum ſit. Nam *quæ in oratione pro Archia eſt demonſtratio,& præter iudiciorum eam fuiſſe conſuetudinem,ipſemet ſignificat, & ſeparata ferè à cauſa eſt.* Demonſtratiuum *igitur genus,omnia quæ deliberationis eſſe diximus ſuſcipit,præterquàm quòd ſplendor & dignitas,tanto magis hic quàm ibi habebuntur,quanto celeritas & grauedo hic minus.* Nam *ut hic honeſtiorem atque magnificentiorem, ita ibi mobiliorem & oneroſiorem licet adhibere orationem, quam ubique plenam atque rotundam efficiet demonſtratio: quod erit,ſi nõ longe circunducatur, & dignitatem cũ pulchritudine complectatur, & luculentam atque illuſtrem orationem nunquàm & maximè in membris relinquat.* V*erum forenſis quidem generis elementa quædam & quaſi radices traditæ ſunt,quas ſi quis diligentius exercitatione conſequetur, ipſe his nixus, pulcherrimos atque robuſtos ramos emittet, generoſosq; fructus faciet, ac totius eloquentiæ florem conſequetur.* Q*uictum uerò genus & philoſophicum,ſi abſque dialogo eſt,magnitudinis partibus cæteris ferè omnibus,extra quàm aſperitate atque acrimonia,confici debet.* Nam *huiuſmodi orationem neceſſe eſt * propter ipſarum rerum elegantiam ſplendoris ac dignitatis habere plurimum,carebit uehementia, circunductionem parcius deguſtabit.*Etenim *eam orationis clationem hoc in genere petimus,quæ & rebus conueniat,& cum claritati, tum tenuitati propinqua ſit,quibus ferè oppoſita eſt circunductio.* Q*uare rarius adhibenda ut tenuitas, quam non minus ſplendore aſciſcendam monemus, interlucere ſi poßit,ut dignitatem nõ deijciat:iucunditas deinde ac cura, quæ leporem ſermonis faciunt, non contemnendæ.*Hoc *enim pacto pulchritudo quædam mirabilis ac uera, robuſta,non fucata,nec * fictilis inerit orationi.*Præterea *grauitatis illud,quod eſt,neque uidetur,philoſopho congruit:quod*

Quictũ genus. **præter* **futilis*

uidetur

uidetur hinc ferè ſemper exulabit, niſi * quum ſtudioſe philoſophus oſtentet, celeritatis parum aut nihil habebit. Receſſit enim à quieto genere uelox oratio, quod dialogo accidere nonnunquàm neceſſe eſt: cui etiam aſperitas & acrimonia, & nonnihil minutæ ac cæſæ orationis, quæ quaſi punctum efferatur, ineſſe crebrius debet. Quare & celeritas adhibenda, & cætera ferè omnia dicendi genera, tum cæteris pro natura rerum confuſa, ut unum quid conficiant, tum etiam ferè ſeparata. Accidit enim nonnunquàm in dialogo, ut & mores & uerba multorum nobis confingendi ſint. Quare accidit ut tenuitate ferè pura, aut dignitate, aut acrimonia, cæteriſq; utendum ſit. Verum hac de re paulo pòſt dicemus. *eam ſtudioſè philoſ.

Nunc ad Hiſtoriam tranſeamus. Quum hiſtoria ſit rerum geſtarum diligens expoſitio, qui hiſtoriam ſcribit, primum dabit operam, ut rerum, & temporum ordinem ſeruet. Quod erit ſi in rebus magnis memoratu * dignis conſilia primum, deinde acta, pòſt euentus exequatur, hiſq; omnibus addet quod cuique proprium eſt, de conſilijs quid probet, quid improbet, ſignificabit. In rebus geſtis non ſolum quid actum aut dictum ſit, ſed etiam quomodo & cur demonſtrabit. Euentus ita declarabit, ut cauſæ explicentur omnes, uel caſus, uel ſapientiæ, uel temeritatis: hominum quoque ipſorum non tantum res geſtæ, ſed etiam qua fama ac nomine excellant, qua uita atque natura ſint, breuiter oſtendet. Quod non ubique, neque de omnibus faciet, ſed quum de ſingularibus atque illuſtribus uiris ſermo habetur. Nec à totius hiſtoriæ ſerie ſeparabit, aut tanquàm rem alienam à cæteris diuidet, ſed rebus geſtis inſeret. Neque enim propter hæc rerum expoſitio, ſed ut res clarius pateant hæc in hiſtoria explicari ſolent. Præterea ſi multa diuerſáque in eodem facta tempore ſunt, nil artificioſius, quàm ita dicere, Hiſtoria. *digna

*ut altera res alteri inſerta, & aliud alij negotium implicitum ſit. Nam præterquàm quòd ſupinum, & omnino deiectum eſt, nuſquàm egredi, nihil interponere, nec dignitatem orationi addit, nec auditori, quem in longo hiſtoriæ ambitu uarietate mulcendum puto, euentu'que rerum ſemper retinendum, ullam afferre poteſt delectationem: expoſitioni quoque rerum, quæ ordine peragenda eſt, nimium aduerſatur. Quum enim longum temporis ſpatium pleraque negotia conterant, niſi ſi quod incœperis abſolueris, alijs manum inijciendam non putes, reuolui ſæpe, atque uniuerſa confundere tibi neceſſe eſt, ſed modus eſt adhibendus, ne maiores fiant circuli, quàm opus ſit, ne'ue tota hiſtoria ſic * implicetur, ut aut rarius quies habeatur, quàm feſſo lectori congruat: aut rerum oppreſſo multitudine, niſi quæ legerit ſæpius repetat, confuſio iniungatur. Ad hæc paucis uerbis euentum, ut cupiditatem legendi exuſcitet, nonnunquàm præoccupare oportet hiſtoricum. Ea quoque* T. Liuius *ait, uana atque irrita legatio fuit: &* Salluſtius, *Sed ea res forte melius quàm conſilio geſta eſt.* Hanc *præoccupationem longiorem etiam efficere licet, quum non magis ſui, quàm laudis uel uituperationis gratia aſſumitur, quã ex collatione quoque* T. Liuius *edidit.* Verba *eius hæc ſunt,* Sequi*tur aliud in urbe nefas à libidine ortum haud minus fœdo euentu, quàm quod per ſtuprum cædemq́; Lucretiæ, urbe regno'que Tarquinios expulerat: ut non finis ſolum decemuiris, qui regibus, ſed etiam cauſa eadem imperij amittendi eſſet.* Præter *hæc omnia non paruam hiſtorico curam adhibendam iudicamus, ut quid perſtringendum breuius, quid ſibi latius exponendum ſit percipiat. Qua de re quid præcipi poßit, difficile dictu eſt.* Res *tamen alias, narrationis breuitate abſoluendas dixerim: rationes quibus aliquid ſuadetur, ſiquidem*

*multiplicetur,

dem

dem hiſtoriæ miſcentur, hiſtorico quoque ſtylo breui narratione tangendas, ut illud, Legatos Romulus *mittit, qui connubium nouo populo peterent, urbes quoque ut cætera ex infimo naſci, deinde quia uirtus ſua, ac dij iuuarent, magnas opes ſibi magnumq́; nomen facere, ſatis ſcire origini* Romanæ *& deos affuiſſe, & non defuturam uirtutem: proinde ne grauarentur homines cum hominibus ſanguinem ac genus miſcere. Sic igitur quæ hiſtoriæ conglutinentur, quaſi enumeratione locorum dicuntur: ſin ab ea in oratione ſemouentur, diligentius acutiusq́ue, & multò latius, quàm hiſtoricum postulat genus, breuius quàm forenſe, pertractandæ ſunt.* Vnde *fit, ut quum nihil inuentionis prætermittere hiſtorici quoque conentur, paucioribusq́; quàm ſi agerent, cuncta occupare uerbis neceſſe ſit, fœcundiores, atque, ut ita dicam, prægnantes rationibus uideântur: quum uerò prælia dicuntur, & quis mœror, quæ trepidatio, quis timor uictis, uel quæ lætitia uictoribus inceſsit, explicatur, latiſſime omnia deſcribenda ſunt, ut qui legit non audire, ſed uidere uideatur. Quam rem faciet, ſi nullam, quæ ad rem pertineat circunſtantiam relinquet, & quum nihil minutarum etiam rerum prætermittat, modum quoque ad unamquanque rem adijciet.* Neque *tamen in ſingulis, ut oratores faciunt, immorabitur, ſed ſingulorũ expoſitione, non amplificatione cõſequetur, ut & res geri uideatur, & affectus moueatur: ex quo fit, ut in hac quoque minuta deſcriptione rerum ab hiſtorico genere, formaq; narrationis non diſcedat: quam quidem deſcriptionem tunc ſcilicet latiſſime occupabit, cum res magna inciderit.* Non *enim quid facerent ſolum, ſed quid etiam ſinguli dicerent deſcribere licebit: quod ſi quis quale ſit uidere deſiderat,* T. *Liuium de furcis caudinis legat.* His *ita conſideratis reliquum laboris in*

genere

genere orationis conſumetur, quod fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine iudiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſibus aculeis Cicero in Oratore ſuo eſſe cenſet. Nos quoniam latius de hiſtoria dicere placuit, (omiſſo enim iam huic generi multò magis quã cæteris opitulandum duximus. Forſan enim ſi hiſtorici generis radices apparuerint, inuenientur qui hoc quoque genere gloriam ſibi parare cupiant) primùm quibus formis conficitur explanabimus, deinde hiſtoriæ quoſdam dicendi modos tangemus. Demum Salluſtij & T. Liuij, quos his diebus in hiſtoria ſolos imitandos cenſeo, genus dicendi quale ſit enodabimus. Hiſtoria omnes magnitudinis partes occupabit, circunductionem maximè omnium. Nam quum breui multa narrare uelit hiſtoricus, ac orationis pondus quàm mirabile ac ſingulare deſideret, hanc formam, qua utrunque horum maximè ſolet effici, quaſi ſuam uindicabit: ita tamen, ut neque confuſam, neque obſcuram reddat orationem, idq́; per ſe circunductio habeat. Non enim licet hiſtorico, ut cauſas agenti, elegantia ſæpius circunductionis duritiam euitare. Quare claritas ſchematis & methodus ſermonis circunductioni tanquàm color infundatur, neque uſquam ferè orationis lux & dignitas contemnatur, qui propè formas uel ſine circunductione, ne ſatietatem pariant, adhibere debebit, quod non temere, ſed rebus accommodabit. Nam quum res geſtæ ita nobiles atque magnificæ ſunt, ut ſponte ſua earum expoſitio non parum orationem efferat, circunductionem minus occupabit. Tenues res ea circunductione complectetur, ut neque obſcurus ſit, & debitum hiſtoricæ orationi pondus conſequatur, uehementiam, aſperitatem, & acrimoniam omnino reijciet. Non enim æqualiter profluit hæc oratio, ſed aculeis, & quidem nimium duris atque acerbis pleniſſima eſt.

Hiſtoria forma.

Quare

Quare ſi circũductioni, aut alijs etiam formis, quibus utendum hiſtorico cenſemus, harum idearum ſchemata quædam, uel methodus ineſt, omnia hæc prætermittenda ducimus: uerba uerò, quæ numerum faciunt, in duritiem modo non exeat oratio, diligentius conſectetur licet. Præterea pulchritudinis expers non erit, ut neque ualido & robuſto colore careat, & nimium feſtiuam orationem, quæ pondus deijcit recuſet: celeritatis nullam habebit curam, niſi ne dormiens, & ſomniculoſa oratio uideatur. Moratæ orationis plurimum interponendum arbitror. Nam quum reſponſa & dicta quorundam enarret, ſic dicere neceſſe eſt, ut quicquid grauiter, demiſſe, timide, ſapienter, uafre, caute, tememarie dictum aut reſponſum ſit, ipſa compoſitione orationis eniteat, & affectus mites mouere, non incitatos oportet, quod non amplificatione, neque mora in affectus loco, uerum ipſa rerum explicatione, & plerunque nullo affectus loco, ſolo genere orationis conficiet. Itaque appareat oportet, ſi quid moleſte, ſi quid libens, ſi quid admiratione, ſtupore, negligentia, probando, uel uituperando conſcribit. His omnibus formis unum genus conficiet, eaq́; omnium cõpoſitione utetur, ut quum omnes ſimul erudito lectori interluceant, illa tamen uincat, quæ rebus conueniẽtior eſt, neque idcirco à pleniſsima oratione unquam diſcedendum. Adhibitas uerò in ſenatu uel in concione orationes breuius, ut diximus, ac ſubtilius edet, quàm actori neceſſe eſt. Nam & citatiores affectus, quàm hiſtoria deſiderat, & acrius dicendi genus occupabit, & ut breui abſoluam, & hiſtoricam ideam oratio ſapiet, & ad duros forenſis generis aculeos non perueniet, ſed mitiores aliquantulum poſsidebit. Nunc modos quoſdam, qui tamen ad formarum methodos, aut certè ad ſchemata pertinent, *Modi hiſtorici.*

tinēt,ut res tota āte oculos ponatur,ut polliciti ſumus,ſubijciamus. Primum ergo cauſa tum dignitatis, tum breuitatis,quam circunductio facit,danda eſt opera,ut infinita cōplura ex unico pendeāt uerbo,ut illud Ciceronis,Equitibus Romanis literæ afferuntur,qui ad me cauſam reip.periculaq; rerum ſuarum detulerunt, Bithyniæ quæ nunc noſtra prouincia eſt,uicos exuſtos eſſe complures,Regnum Ariobarzanis, quod finitimū eſt ueſtris uectigalibus, totum eſſe in hoſtiū poteſtate, Lucullū magnis rebus geſtis ab eo bello diſcedere.Huic qui ſuccurrerit, ad tantum bellum adminiſtrandum non ſatis eſſe paratum, unum ab omnibus ſocijs & ciuibus ad id bellum imperatorem depoſci, atque expeti,eundem hunc unum ab hoſtibus metui,præterea neminem. Habet hic modus facilitatem quandam et lenitatē,neq; facile orationem inuenies, quæ hac æquabilius fluat:breuitatem uero,et claritatem mirabilem poſsidet.Quare quū ſit modus omnino hiſtoricus,narrationi etiam oratoriæ accommodatur.Eſt enim ei affinis hiſtoria,quòd et clara et breuis eſſe laborat.Veriſimile ſola flagitat fide,quare unà cum affectibus, quum maxime à narratione hiſtorica differat, quū huiuſmodi nacti ſumus narrationem, quæ aut ſponte affectus habeat, aut minus curandum de affectibus ſit, ipſaq; per ſe res ueriſimilis uideatur, hiſtoricæ narrationis modū adhibere non alienum,cui illud ſchema,quo pro præterito imperfecto accipiuntur infinita,proximum eſt.Nam ſi quid ſuppleas,idem fiet,et in utroq; niſi commoratio inſit.Nulla hinc orationis iucunditas eſt, hoc tamen ultimum in oratore difficilius reperies. Quare huius exemplum T. Liuius præbeat, Primo,inquit, deprecari ignominiam, deinde intercedere, negare ſe ante Idus Decemb.ſolennem ineundis magiſtratibus diem habituros eſſe, interea tribuniplis feroces

voces repentè minari tribunis militum. Circunducentia item ſchemata, & inter ſe & rectæ orationi orator rarius ſæpius atque plenius hiſtoricus immiſcebit, Numitor inter primum tumultum hoſtes inuaſiſſe urbem, atque adortos regiam dictitans, quum pubem Albanã in arcem præſidio, armisq; obtinendam euocaſſet, poſtquam iuuenes præparata cæde pergere ad ſe gratulãtes uidit, extẽplo aduocato concilio, ſcelera in ſe fratris, originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti eſſent, cædem deinde tyranni, ſeq; eius autorem oſtendit. Pleniſsimam hoc pacto, & multitudini rerum congruentem, in qua ſingularis inſit breuitas, reddemus orationem. Hanc plenitudinem crebrius in hiſtoriam quum aſciſcas, non cæterarum interpoſitione ſolum, uerum etiam huius ipſius uarietate ſatietatem uitabis. Nam quũ multo latius quàm cætera pateat et ſuis ſchematis nunc his, nunc illis, uel iiſdem alia ſerie acceptis, & cæterorũ apud hanc modorũ* hoſpitio uaria nimis & ſuauiſsima erit: dictiones etiam eæ, quæ quaſi ſubcõtinuationis notæ ſunt* poſtpoſitæ, uerbisq; copulatæ, quòd præter expectationem interueniant, offenſionem exuſcitant, ut in his T. Liuij uerbis, Qui duo populi delectus acerbitate conſternati, retentis conquiſitoribus, metum defectionis quum præbuiſſent, oppreſsi celeritate Hannibalis omiſerunt mota arma. Verborum quoque ac innouationum cum in ſingulis, tum in pluribus multo plus hiſtorico quàm oratori licentiæ datur. Sed ex his paucis facile cætera* percipiuntur, quare ſi quo pacto nunc compoſitione affectus in hiſtoria mouentur, nunc etiam loco, & eius qui dicit mos quidam, aut affectio ſubappareat oſtendemus, de ipſo T. Liuio poſtea loquemur. Quum ergo quod boni omnes debent, immenſum moleſte ſe ferre legum aceruum ſignificare

*poſitio

*præpoſitæ

*perſpicientur

uellet, his orationem uerbis contexit, Decem tabularum leges perlatæ ſunt, quæ nunc quoq; in hoc immenſo aliarum ſuper alias aceruatarum legum cumulo fons omnis publici priuatiq́; eſt iuris. Illud uero quã impatientem Horatij animum oſtendat, quis non uiderit? Abi hinc cum immaturo amore ad ſponſum, inquit, oblita fratrum mortuorum, uiuiq́; oblita patris, ſic eat quicunque Romanum lugebit hoſtem. Verum ut hic membrorum breuitas, repetitio, demonſtratio cum imperio moleſtiam, impatientiam, nimiamq́; animi ferocitatem, uel ipſa cõpoſitione repræſentat, ita ibi breuitas recta, & facilior uerborum curſus iactantem præ oculis ponit, Princeps Horatius ibat tergmina ſpolia præ ſe gerẽs. Quàm bene etiam lachrymas moueat, atq; ex imo pectore ſola uerborũ ſtructura ſingultus euellat, paucis apud eum Icilius Virginiæ ſponſus ad puellæ uades, & quidem terrendo Appium declarat. Verba hæc ſunt, Atq; ille lachrymabũdus, gratum eſt, inquit, ſcilicet craſtino die ueſtra opera utar, ſponſarum nunc ſatis eſt. Ita uindicatur Virginia ſpondentibus propinquis. Loco autem quod erat alterum, ita deguſtandi affectus ſunt, quum oporteat, ut nulla immoratione, ſed ſola ferè locorum enumeratione utamur, niſi quis ita carptim hiſtoriam ſcribat, ut demonſtrationis aliquid etiam immiſcere neceſſe ſit. Tunc enim, commorari magis et amplificare ſingula licebit. Verum quod dicebamus, & ſi ſuperioribus latere non poteſt, tamen hoc etiam in
ſublimatũ exemplo conſideretur, Exangue corpus ſublatum oſtentant populo, ſcelus Appij, puellæ infelicem formam, neceſſita-
T. Liuius. tem patris deplorant. T. Liuius grandis eſt circunductione, ſuprà quàm dici poſſit, cum qua tamen ſumma eſt claritas, fuſus, æqualisq́; adeò, ut lacteo par flumini ui, ſua oratio ſit. Pulchritudinis & iucunditatis tantum adhibet, quantum poſſit

poßit orationem delinire, & ab altitudine non deijcere. Nam adeò uarijs ſchematis ornatus eſt, eoq; ordine ferè naturali apud eum res circunductæ ſunt, ut ultrà quàm dici poßit, dulcis, ſuauiſq; uideretur, niſi aſpera locatione nimium iucunditatis contemperaret. Quare mihi rectè, ut puto, hæc iudicanti non Herodoto ſolum ut multis, ſed & Thucydidi ſimillimus uidetur, grandem ab hoc, ſuauem ab illo mutuatus orationem. Hunc uirum, ſi quis bene orationis ſuæ uim intellexerit, non magis inter hiſtoricos, quàm inter præclaros oratores enumerabit. Mirum enim dictu eſt quum apud eum perſuadere quiſquam cuiquam uelit, qua rationum copia, quibus aculeis, quo affectu utatur. Ita tamen ut & forenſe genus declinet, & ab hiſtorico quum non omnino recedat, ad forenſe tranſiſſe uideatur. Verum ei grande illud hiſtoriæ genus ita compoſitum eſt, ut nunquam humilitate rerum demittatur, nunquam magnitudine ulterius quàm oporteat efferatur, nunquam deniq; multitudine confundatur. Itaq; æqualis ſibi per omnia fluit oratio, neq; quantũ in ſe eſt, aliud atq; aliud eſſe uideri poteſt, niſi forte rerum quis uim unà cum ea conſiderat: ſed nos ea ſeiuncta, ideam qualis nam ſit excogitandũ putamus. Non enim ut in cauſis pro põdere rerum mutanda, ſed eadem ferè ubique oratio affectanda eſt. Quare non mirum, ſi quum rebus orationem orator accommodet, orationi res hiſtoricus coaptare conetur. Quæ res facit, ut quum idem genus ferè ubique ſit, pro diuerſitate tamen rerum uarietas inſit. Varias enim res nõ niſi uarijs eõdẽ modis reducere poſſumus. Quod T. Liuius adeò mirificè conſecutus eſt, ut idem penè ſit de perfecta hiſtoriæ forma dicere, & de ipſius oratione diſceptare. Neq; hoc dico quòd putem ſummum illud eloquentiæ Ciceronis flumen, ſi in hoſtoriam deriuatum Cicero.

 fuiſſet,

fuiſſet, non multo præſtantius, elegantius, iucundiuſq; futurum fuiſſe. Nam quantum excellere potuiſſet, inde maxime intelligi poteſt, quòd quum per multiplices cauſarum actiones in conſentaneum hiſtoriæ genus incidit, et magnitudo ineſt, ibi multo mirabilior, atq; grandior, et facilior orationis curſus quidam atq; deflexus. Singularis etiam pulchritudo et iucũditas non impedimento magis ſublimitati, quàm condimento. Clauſula uerò et locatio, totuſq; numerus ut *auribus *Euris multo ſuauior, ſic ab oratione luculenta non alienior, quem tamen ſi uoluiſſet, facile ad aſperius detraxiſſet. Quare illos inſanire credendum eſt, qui magna uoce audẽt prædicare Ciceronem ſi hiſtoriam conſcribere uoluiſſet, T. Liuium exæquare non potuiſſe. Neq; nos quoniam perfectum hiſtoriæ genus, & Liuianũ idem pene diximus, nihil unquã eo excellentius inueniri poſſe credimus, quippe nullus niſi qui eloquentiæ uim quanta quámq; ampla ſit, percipere unquam potuit, dum mentecaptus non ſit, huiuſmodi monſtrum cogitabat: Verum quoniã omnibus, quos uidere in hiſtoria contigit, T. Liuium anteponimus, nõ dubitamus illum ſummum dicere, qui uerſatos in eo genere uniuerſos maximo poſt ſe ſpatio reliquit. Illum enim ego ſemper au- Demoſthenes. ctorem ſequar, qui quamuis ſummũ Demoſthenem putabat oratorem, minime tamen maius quid atq; amplius inueniri poſſe dubitabat. T. Liuium ergo hiſtorico per omnia imitandum putamus, niſi quis carptim hiſtoriam conſcribit. Nam Salluſtius. tum et ad demõſtrationem declinabit, & ab effuſa Salluſtij copia nonnihil poterit aſſumere: quem ita probamus, ut ſi ex his paucis quæ inueniuntur iudicium facere oporteat, quamuis ei T. Liuiũ longe præferimus, elegantia tamen & faciliore orationis curſu, et electione uerborum, et membrorũ rotunditate, et innouatione, in qua potiſſimum Thucy-

didem imitatus eſt, præponere non dubitamus: ſed horum ultimum eiq́; proximũ & medium ei carptim ſcribenti conueniunt, quæ medium præcedunt à robuſtiori hiſtoria ſubaliena nobis uidentur.

DE FORMIS DICENDI IN ſingulis orationis partibus.

VErum totius noſtri operis iam finẽ imponemus, ſi quoniam non ſecundum cauſas tantum, ſed partes etiam orationis dicendi formæ mutantur, hac etiam de re pauca diſſeramus: quod ita faciemus, ut de alijs quoq; oratoris officijs, ſi quid occurrerit, dicere non recuſemus. Exordio circunductio maxime conuenit, et morata oratio, ex modeſto honeſtoq́; dicendi genere, uehementia omnis et acrimonia longe abſit: claritudo inſit, non omnino inde exterminetur iucũditas, ſed ſponte affluere, nõ accerſita uenire uideatur. Præterea huius generis ſit, ut à totius orationis forma non abhorreat. Nam quemadmodum ita inuenitur exordium, ut ex ipſa cauſa oriatur, totamq́; cauſam aperiat, non expoſitione rerum, neq; locorum propoſitione, ſed ea tangendo, quibus tota res ſuſtinetur, quod Cicero pro Ligario maxime oſtendit, ſic formarum in eo compoſitio, totius orationis modum imitetur. Narrationi quas formas de integro attribuam, non inuenio. Quare mihi ex partibus quod ei genus idoneũ magis ſit deſcribendum uidetur, quod in alijs etiam plerunq; oratori faciendum pro natura rerum non ignoramus. Schematis ergo purum ſermonẽ cõſequatur narratio, membris dignitatẽ exprimat, neq; id quantitate magis efficiat, quàm locatione, clauſula, et numero, quo pro rerũ conditione nunc duro ac aſpero, nunc luculento & ſplendido, rariſsime iucundo utatur: grauitatis, quod uidetur, & non eſt, tam hinc, quàm ab exordio eijciatur, à cæteris quoque (margin: *Exordij forma*; *Narrationis forma.*)

orationis partibus omnino extermínetur, niſi quum cætera duo membra ita res non patitur, ut illò confugere nobis neceſſe ſit. Præterea ueritas, oneroſuſq; ſermo nō omnino abſint: plena oratio non ſchematis, neq; cōpoſitione, ſed immoratione inſit, ut non rem nudam aut ſummatim (neq; enim hiſtoriam exponimus) ſed circunſtantijs implicitam minutius ampliuſq; quod modo fieri ſoleat, ſic efferamus, ut non doceamus ſolū, ſed incitemus. Nihil enim magis auditores ad fidem rapit, quàm ſi quos uelis affectus acriter moueas: porrò affectus non inuentione magis quàm dicendi genere concitantur. Nam inuentio uel nuda, uel non idoneo edita genere, frigida nimium eſt, et ab omni fermè motione remota: quod ita eſſe collocatione ſimilium locorum, quos à Cicerone ac Graccho Gellius excerpſit, breui oſtēdamus, Vxor, inquit Grachus, enunciat uiro parū cito ſibi balneas traditas eſſe, & parum lautas fuiſſe, idcirco palus deſtitutus eſt in foro, eoq; adductus ſuæ ciuitatis nobiliſſimus homo, M. Marius, ueſtimēta detracta ſunt, uirgis cæſus eſt. Hæc quidē oratio longe ab oratoris abeſt facultate. Nā tam uiolentū atq; crudele facinus non iniuriæ pub. conteſtatione, non graui inuidia, non acri indignatione ampliter inſigniterq; aut lachrymoſe, atq; miſeranter proſecutus eſt, ſed in uicē nunciantis nudam rem expoſuit, breuiter quidē ac uenuſtè, ſed nos eam breuitatem narrationis probamus, quæ ita afficit, ut quæ gerantur uidere, non audire auditores uideantur, ut Cicero in Verrem, Ipſe inflammatus ſcelere, & furore, in forum uenit. Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emanabat, expectabant omnes quò tandē progreſſurus, aut quidnam facturus eſſet, quum repēte hominem proripi ac in foro medio nudari, ac deligari, et uirgas expediri iubet. Cædebatur in medio foro Meſſanæ ciuis Romanus, cū interea

nul

nullus gemitus, nulla uox illius miſeri inter dolorem crepitumq́; plagarũ audiebatur, niſi hæc, Ciuis Romanus ſum. *hac cõmemoratione ciuitatis omnia uerbera depulſurũ, cruciatumq́; à corpore deiecturum arbitrabatur.* Procurſu *deinde et comploratione utitur ampliſsima, ut tam acerbæ rei deteſtatione, etiam odiũ in* Verrẽ *apud ciues* Romanos *intenſe, acriter, atq; inflãmanter faciat, quũ hæc addat*, O *nomen dulce libertatis, ò ius eximium noſtræ ciuitatis, ò lex* Porcia, *legesq́;** Sẽproniæ, *ò grauiter deſiderata aliquãdo reddita plebi* Rom. *tribunitia poteſtas, huccine tandem hæc omnia reciderunt, ut ciuis* Romanus *in prouincia populi, in oppido fœderatorum, ab eo qui beneficio populi* Rom. *faſces haberet et ſecures, deligatus uirgis in foro cæderetur?* Quanta *igitur hac ex oratione cõploratio, quæ totius rei ſub oculos ſubiectio, quod et quale inuidiæ atq; acerbitatis fretũ efferueſcat, nullus tam agreſti eſt aure, atq; animo, qui non percipiat.* Gracchus *uerò, quum palũ dicat in foro deſtitutũ eſſe, ueſtimenta detracta, uirgis cæſum eſſe, rẽ nudã ita enunciat, ut ne hiſtoriæ quidem moueat, ſed quaſi exanimis iaceat oratio.* Hæc *latius diximus, quòd uideamus, & quidem eos, qui hãc facultatem lõgo tẽpore doceant à ſicco et exagui ſermonis genere, omnibusq́; denudato carnibus, atq; oſſa paſsim arida offerenti, nunquã diſcedere, qui quoniam id efficere, quod oratori opus eſt, neq; ipſi per ſe poſſunt, nec cæteros docere ualent, deſinant aliquando id profiteri, quod nunquam habuerunt.* Præterea *minutos quoſdã philoſophos his exemplis ſimul, et autoritate* Gellij, *à quo hæc ſumpta ſunt, caſtigandos putauimus.* Nam *his tẽporibus multi ſunt, qui prædicare audeant dialecticã, eámq; philoſophiam quæ de natura rerũ habetur, in deliberationibus, atq; iudicijs, oratoria facultate multo amplius poſſe.* Nam

* Perſenniæ

An philoſophia oratoria plus poßit.

inuentio, aiunt, dialectica ſubtilitate acquiritur, affectus naturali ſcientia quid ſit, et unde commoueatur, certa ratione comprehenditur, quæ duo in dicendo plurimum poſſe quis dubitet? Verum nos etſi nonnihil dialecticas artes iuuare conceſſerimus, idq; parua ſui parte, ac ſolis conficiat iſagogis (Nam ſi quis ulterius procedet, oratoriæ facultatis neruos incidit, non tamen egregiã inde commoditatem oratori præberi, primò ueterũ autoritate, deinde re ipſa rationeq; inducti credimus. Nam circũſtantias, quibus hæc tota copia continetur non inde orator, ſed hinc dialecticus, ſi quando eas attingit mutuatur) Affectus uerò, qui inuẽtione magis, quàm orationis cõpoſitione ampla, magnifica, miſerabili, triſti, querimonia & indignatione plena, præterea tenui, ſupplice, modeſta, iucunda, inflammata, acri, horribili, cæteriſq; huiuſmodi commoueri atq; incitari arbitratur, uel his exẽplis frãgatur, uel fruſtra reclamare relinquatur oportet. Verum hæc accuſatoris, defenſoris autem narratio, aut ſimplicem expoſitionẽ habebit, aut attenuationem ècõtrariò, cui neſcio ſi quid magis quàm in leuius mutatio uerborum congruat. Vt ſi quod ille auaritiã, tu diligentiam appelles: quod ille temeritatem, tu fortitudinem: quod malignitatẽ callidã ille, prudentiã tu atq; prouidentiã. Sed hæc de narratione ſufficiant.

Confirmationis confutationisq; forma.

Confirmationi autem & Cõfutationi uaria pro argumentorum natura genera ſolent attribui, adeò ut nullũ dicẽdi genus, nulla forma inueniri poßit, quæ his partibus & quidem omnibus ſuis partibus idonea non ſit. Quare oratoris eſt quo quando utendum ſit intelligere, neq; ſolũ per integras formas perſequetur, et inſeret, uerumetiã quum quaſi elementa, quæ à nobis dicta ſunt habeat, hinc methodum, inde membra, aliũde ſchemata, uerba, locationes, numerũ diligẽti cum ratione ſibi aſciſcet. Quod ut cum

ut cũctis pateat, quid in omnibus fieri deceat, paucis ſubaperiemus. Circuitione uti oratores uidemus, ſed ea ratione ut rem uel paruã efferant, uel honeſtius turpẽ enuncient: uel ne triſtes, aut moleſti auditoribus eſſe uideantur: quæ iteratione uerbi fiunt, rem extollunt & cõmodiſſima ſunt, quum uel in odium uel in gratiam quicquam adducere conamur. Item quũ rem affirmare magis & uere ac ex animo dicere uideri uolumus. Præciſiones & occupationes tũc locũ habent, quum maiorẽ in animis auditorũ ſuſpicionẽ relinquere & uolumus et debemus, quàm res ipſa ſit. Sed illis etiam in re turpi, his ſemper quũ res dictu utilis. Verũ quoniã uel parua uel nota, uel moleſta ſit, nõ parũ dicta nocet, occupata plurimũ * poteſt. Hoc igitur pacto cætera quoq; omnia nobis examinãda ſunt, quæ nũc dicere, exẽplisq; approbare idcirco ſuperſedemus, quoniã quãto longiora hæc ſunt, tanto nos magis ad finẽ feſtinamus. Si quis uerò hæc rectius intelligere cupiat, is primo dabit operam, ut quot modis quicq; fieri poßit percipiat, deĩde quid eo efficiatur acrius perpendat. Nam ſi hæc uiderit exercitatione adhibita, & facile quod uult, et loco perſequetur. Quare conſiliũ & facultas ſiue copia, quæ totã hanc artẽ complectũtur, his fundamẽtis haberi poſſunt, ut ſi cõmoratione utendũ ſit, quam non ſchema, nec minutionem quãdam, ſed omnis bonæ orationis methodum ducimus, quum uel uerbis hæc uel ſententijs fiat, & illud inhæſione ac multitudine, hoc commentationibus et in uniuerſum collatis rationibus fiat, uerbis quidem rem ampliorẽ, ſententijs fidem efficiamus. Quare illud ut auditores magis moueantur, hoc ut credant, adhibetur. Itaq; ut inhæſio quæ inuentũ extẽdit magnitudine rerum, & oratorem affectum oſtendit, et auditoris animum penetrat, ſic ambo hæc, multitudo, quæ ſingulorũ membrorum

*prodeſt.

uel

uel uerborum eiuſdem poteſtatis numerum habeat multitudine reddere ſolet. Vtrunq; etiã ſimul tum inuenitur quum membra, quibus multitudo conſtat, inhæſione concreſcunt. Commentationes autẽ ad mollienda duriora, uniuerſi ac generales ſermones ad cõprobationem accipiũtur. Præterea ſi uelocitatem iniectio breuis cõficit, qua rationes rebus interponũtur, tunc adhibenda recte uidetur, quum quod diximus, niſi citius ratio ſuccurrat, quam poſtea longioribus diluere nõ ita expediret, dubitationẽ afferre poſſet. Poſtremo idem uerbum crebrius abiberi tum ſolet, quũ alia ita ſignificanter rẽ non exponunt, quũ hæc neceſsitas non cogat, nõ copiam ſolũ atq; delectationem, ſed decorem quoq;, ac magnificentiã uarietas efficiet. Quare ſi nihil temere, nihil nõ loco, nihil abſq; ratione certa rerũ, perſonarũ, locorum, tẽporũ dicere cupimus, hanc per cætera omnia non ſchemata ſolũ, ſed methodos, uerba, mẽbra, locationes, clauſulas, numeros diligenter uiam obſeruabimus. Cæterum quoniam oratoris orationem ita uiuam atq; animatam eſſe uolumus, ut ſpiritu ferè quodã moueri uideatur, quibus hoc aſſequatur orator intelligat. Alius enim eſt modus in exordio, alius in narratione, alius in alijs orationis partibus, quas etiam pro dignitate rerum uarietatem accipere ſæpius iam dictũ eſt. Verũ hæc mobilitas uigorq́; orationis in confirmatione ac confutatione magis deſideratur, ut non ficta & inanis, ſed loquens quodammodo uideatur oratio, quod ut adipiſcamur, celeritatem maxime, aſperitatem, & acrimoniam, uehemẽtiamq́; ſuſcipiamus: neq; deſinamus multis uarijsq́; uijs, quæ tamen rebus conueniant, auditores exuſcitare interrogando, reſpondendo, diuidendo, optionem dando, expoſtulando, criminando, admirando, aliaq́; huiuſcemodi, nunc in deos immortales, modo in iudices, modo in circunfuſam

ſuſam multitudinem,modo in ipſos aduerſarios, interdum etiam in noſmetipſos acriter,uehemẽter,magnifice, uel minute, ſummiſſe,tenuiter conuertendo. Maxime autem exuſcitare illam methodum ego puto,& per totam orationem occupari poſſe,& omnibus partibus conuenire,neq; attentum ſolum retinere auditorẽ,ſed cogere ut in aduerſarium atrox inſurgat,quũ ea quibus fauorẽ acquirere putauit aduerſarius,extorquemus ab eo atq; eripimus,et ad noſtram retrahimus cauſam: ut ſi quis à dijs immortalibus exordium caperet,his uehementer confideret, eorumq́; numina ſupplex enumeraret. Primum eos ipſos uocaret teſtes,aduerſarij deinde crimina ita exponeret, ut quum illi ipſi dij contempti atq; ſpreti à reo uideantur, iratiores futuri auditoribus credantur, niſi eorum ultionem expoſcant. Sed de his ſatis. Perorationis uero genus,ſiquidem per indignationem fit, amplum, luculentum,atq; magnificum ſit: raro ſine circunductione,niſi eluceat commoratio.Præterea aſperum, acre, uehemens, exuſcitatum maxime ac uiuum,& mobile uarijs ſchematis,membris,numero componatur. Abſit inde modeſtum genus,ſi turpia ſunt quæ dicuntur:nihilominus proprijs ac ſignificantibus,uel quæ maiorem turpitudinem ſignificent & uerbis et exornationibus efferantur:& ut breuiſsime dicam,omnis affectus iræ,indignationis,doloris,odij.quicquid acriter,aſpere,uehemẽter per totã orationẽ tactũ eſt,id maxime in peroratione enitescat oportet. Commiſeratio ac conqueſtio,ſermonis membra,ſplendoris numerũ, pulchritudinis ſchemata cõtineat, omni circunductione careat, aſperũ aut acre & uehemens aut uelox genus non adhibeat. Nam quũ perorationi nihil magis quàm uerborũ cõmoratio cõueniat, indignationi uelocitas ſemp adſit,ut etſi in eadẽ re cõuerſemur,tamẽ aliud*

Perorationis forma.

**tractatum*

atq;

atq; aliud dicere putemur. In *conqueſtione commoratio pateat, & tarda non uelox oratio uideatur, & demum uarietate doloris uarietur.* Harum *rerum* idcirco *non attulimus exempla, quòd quiuis orationibus* Ciceronis *habitis facile cuncta inueniet.* V*ltimum illud addatur, quòd non omnia quæ inuenit, neq; cuncta ſimiliter dicenda oratori putamus, ſed quæ dicenda ſunt iudicauerit:nec erit ſibi minor cura, ut quid dicendum ſit uideat, quàm ut quid prætermittendum intelligat:et ut minus robuſta, ampliore atq; longiore dicet oratione, ſic firma breuiter enunciabit:nam & imbecilla niſi oratione ſuſtentantur, cadunt:et quæ per ſe firma ſunt & ſtabilia, uerborum multitudine eneruantur, ac defluunt.* Sed *huius quoq; uoluminis totiuſq; huius præceptionis iam finis ſit.* Cætera *ſi qua ſuperſunt (ſupereſſe autem multa ſcimus) in alijs ſi ocium dabitur, breuius exponentur.* Hæc *uero quæ dicta ſunt, ſi quis utilia iudicabit, generi potius quàm mihi honorem attribuat.* Non *enim me magis quàm totum* Græcorum *genus è tenebris emerſum, lucem conſpicere uellem:* Sin *nihil ad communem putabit utilitatem pertinere, non generi, ſed mihi totum ingerat,* * *qui forſan temeritate impulſus, maiora quàm ferre poßim ſuſceperim onera, quamuis deprecari ueniam liceat, partim quia alijs occupatus hæc longius examinare non potui, ſed ut ſemel & properanter ſcripta ſunt, ita feſtinātius edita:partim quia nihil ab his mihi præceptis alienius uidetur, quàm infantiæ ſtudijs, quibus uitam docendo ſuſtinemus, uehementius detineri.* Illud *maiorem in modum ab omnibus petimus, ne hoc niſi quàm emēdatißimum apud ſe opus eſſe patiantur.*

Epilogus.

**quod*

τέλος.

INDEX CAPITVM AC RErum in Georg. Trapezun. Rhetoricorum Libros.

*

A

A Vocalis ampla 439
Abrogatio 165. 297
Abſoluta iuridicialis 128
Abſoluta ſimplex 135
Abſoluta duplex 136
Abſolutæ diff. loci 128
Abſolutio 97. 132. 414
Abſolutæ cauſæ quatuor modi 135
Abuſus artis 4
Accommodatio 166
Accuſare in priuatis iudicijs 38
Ἄχρωμον 37
Acroamatica 373
Acrimonia σφοδρότης 447
Acrimoniæ ſchemata 448
Acuitas 481
Acuitatis modi quinq; 482
Ad aliquid perſona 53
Adiudicatio ἐπίκρισις 440
Adiunctio 300
Aemulus in bonum 27
Aenigma 382
Aequale 56
Aequum & bonum 149
Affectio 235
Affectio ἦθος 407
Affectus quando mouendi 17
Affirmatio 229
Affirmatio ex negationibus 469
Agnominatio 480
Alanus 3
Alcibiadis inuentum 83
Allegoria 382
Ambigui loci 168
Ambitus 415
Ambitus à circuitu quid differat 416
Amicitia 297
Ampliatio 119. 131. 274
Amplificatio 44
Amplificationis diuiſio 441
Amplificationis pronunciatio 366
Amplificationis exēplū 271
Amplitudo 297

Amp

Amplitudini quot accommoda 459
Ἀνθυποφορά 199
Ἀντίθεσις 120
Ἀντίληψις 145
Ἀντιπαράστασις 98
Antiphraſis 382
Ἀντιπρότασις 199
Antonomaſia 381
Ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους 213
Appoſitum 381
Argumentatio 206
Argumentatio & eius modi 174
Argumentum 31.174
Ariſtotelis laudes 373
Arithmetica 3
Ars 9
Artē celādo, arte niti 427
Articulus 449
Artificium 407
Aſperitas τραχύτης 445
Aſperitatis ſchemata 446
Aſperitatis methodus ibidem
Aſperitatis ſententiæ 445
Aſſumptio 120.133
Aſſumptiua iuridicialis 138
Aſſumptiuæ loci ibidem
Aſſumptionis cōfutatio 248
Aſyſtatorum genera 55
Attentus 12
A uita fides 88
Au. Gellius. 520
A uoluntate fides 88

B

Bellum 297
Beneuolus 12
Bertolinus 3
βίαιος ὅρος 102
βίαιον 185
Bimembris orationis diſſolutio 418
Bonum 149

C

καινοπρεπεῖς 468
Caſus 231
Caſuum uarietas 481
Cauſa 7.218.238
Cauſæ coniecturalis perfectæ partitio 103
Cauſarum genera 7
Cauſa coniecturalis duplex 107
Cauſam legitimam à diffinitione diſtare 117
Cauſa quadruplex 218
Cauſa ſimplex 135.330
Cauſa duplex 331
Cauſæ dupli. partes 331
Cauſæ accidentes ibidem
Cauſæ acceſſoriæ 331
Cauſa incidens 332
Chamæleones orōnis. 375.

Chiaſ

Chiaſmus 420
χ litera ibidem
Chryſogonus 217
Cicero 368.517
Ciceronis artificium 336
Ciceronis dicendi genus 505
Ciceronis uerba de Oratore ſumpta 405
Cicero quinquepartita ratiocinatione utitur 194
Ciceronis exemplum pro Pomp. 309
Cicero ad pontif. 489
Cicero pro L. Flacco 12.20
Cic. pro C. Rabirio 13
Cic. pro Sylla 14
Cic. pro P. Quintio 16
Cic. pro Q. Ligario 21.23
Cic. pro Marcello 27
Cic. pro Milone 21.61
Cic. pro Cluentio 22
Cic. pro Deiotaro 25
Cic. in Vatinium 15
Circuitio 468
Circuitus 414
Circulus 480
Circunductio 454
Circunductionis methodus 456
Circunductionis ſchemata 457
Circunſtantiarum partes 233
Circunſtantiarum ad negotium reductio 241
Claritas σαφήνεια 407
Claritatis partes 407
Clauſula 408.446.473
Collectio 126.275
Collectio, & eius partes 105
Collocatio 408.427
Collocatio rerum ac ſententiarum 360
Color 242
Colores 378
Commoratio 244
Communes loci 103
Communis locus 122
Communiter accidentia 222
Compar 479
Comparatio 69.131.274
Comparatio πρός τι 120
Complexio 175
Compoſitio 174.407
Compoſitionis partes 407
Comprehenſio 211.414
Compreheſio quid, tribus tẽporibus conſtare 95
Comprehenſionis circunſtantiæ 94
Comprobatio 25

Concluſio ſimplex 177
Concluſionis partes 343
Concluſio per comparationem 321
Confirmatio 52
Confirmationis diſpoſitio 335
Confirmationis loci 205
Confirmationis, confutationiſque formæ 522
Confirmationis confutatio 247
Confirmatio 474
Confuſio 433
Confutatio 52.321
Confutatio ut diſponenda 342
Confutationis quindecim modi 252
Coniecturalis duplex 107
Coniecturalis perfectæ partitio 103
Coniectura à re 242
Coniect. à cauſa ibidem
Coniect. à loco ibidem
Coniuncti modi 107
Coniugata 231
Conqueſtionis communes loci nouem 277
Conſcientiæ ſigna 95
Conſecutio 458
Conſequentia 245
Conſilium 235
Conſonantes 386
Conſtitutio 59
Conſtitutio coniecturalis 63
Conſtit. diffinitiua 64
Conſtit. generalis 67
Conſtit. legitima 71.157
Conſtitutionem in genere demonſtratiuo non eſſe 310
Conſtitutionis coniecturalis loci 82
Conſtitutionũ diſpoſitio principalis & ſecundaria 347
Conſuetudo 356
Conſultatio de migratione 39
Conſult. de legislatione 41
Conſult. de bello ibidem
Contentio 46
Contentionis partes 363
Contentionis pronunciatio 364
Continentia 244
Continentiæ locus 161
Continuatio 462
Contraria 230
Contrariæ leges quibus locis abſoluantur 161
Conuerſio 275.448
Conuerſio ἐπαναστροφὴ 467
Conuertibile 56

Conu

Conuolutio 461
Correctio 297
Corruptio 222

D

DEfenſorium genus 93
Δεινότης 492
Deliberatiuum 8.281
Deliberationis finis 282
Deliberatiuorum ſtatus 283
Deliberatiui partes 281
Deliberatiuum quo pacto tractandum 282.287
Demonſtratio 448
Demõſtratiuæ orationis partes 306
Demonſtratiuæ confirmationis tres loci 318
Demonſtratiuũ genus 7.507
Demoſthenes 334.368.500.518
Deprecatio 70.170
Deprecatio quibus locis inueſtigetur 171
Deprecationem ſtatum non eſſe 346
Deprecationis uſus 170
Derogatio 165
Deſcriptio 217
Διαίρεσις 197
Diæreſeos præcepta 197
Dicẽdi formæ in ſingulis orationis partibus 519
Dictio 408
Dignitas 297
Dignitas σεμνότης 435
Dignitatis methodus 438
Dignitatis dictio 439
Dignitatis collocatio 441
Differentia 215
Difficile 298
Diffinitio 130.139.159.216
Diffinitio à perſona 242
Diffinitio oppoſita 113
Diffinitio πλαγία 144
Diffinitio quid 112
Diffinitio uiolenta 160.167
Diffinitionis loci 112.124
Διλήμματον 175.448
Dionyſius Halicarnaſſeus 423
Dirimens copulatio 461
Diſciplinatus 497
Diſiunctiones 468
Diſparata 230
Diſpoſitio 9.329
Diſpoſitionis artificiũ in primis animaduertendum 349
Diſpoſitionis genera 330
Diſpoſitionis tres modi 341
Diſſolutio 472
Diſtributio 49
Diuiſio 46.77.308

Diuiſio duplex 231
Diuiſionis & narrationis diſpoſitio 334
Docilis 12
Duæ diffinitiones 127
Ductus cauſæ 322
Ductus ſimplex, figuratus ib.
Ductus figuratus, contrarius, obliquus, & per ſubiectionem 322.323
Ductus ſimplex, rectus, & ſimulatus 322

E

ELectio 457
Elegantia 429
Elegantia quibus comparetur 430
Elementa 385
Elocutio 9.375
Elocutionis formæ 404
Elocutionis partes 375
Elocutionis præſtantia 371
Eloquentiæ utilitas 5
Eloquẽtes perpauci cur 496
Ἔνστασις 98
Ἐνθύμημα πλαστὸν 209
Enthymemata auditorem mouent 207
Ens.ſo.duræ ſyllabæ 396
Enumeratio 49.176.457
Enumeratio quibus modis fiat 267
Ἐπεμβαλὼν 459
Ἐπενθύμημα 209
Epicheremata 203
Erraticum 58
Errores quorundam confutantur 310
Etymologia 217
Euentus 152.273
Exemplum 226
Exemplum argumẽtationum rationumq́; 259
Exemplum aliud 264
Exercitatio 9
Exordia quomodo tractanda 332
Exordij formæ 519
Exordiorum uitia 29
Exordium 306
Exordium quid 10
Exordium quando ante confirmationẽ, & deinde narratio 353
Exordium à partitione 18
Exordiũ ab exuperatione 19
Exornatio 408
Expetendarũ tria genera 289
Expolitio duplex 207
Expolitio enthymematica ib.
Expolitio fictoria 209
Expolitio quo pacto reprehendat

hendatur 248
Expoſitio 25.49.112.128.
138.162.166.169
Extenuatio 44
Exuſcitatio 473

F

Fabula 31
Facile 298
Facta 235
Facultas 240
Forma ἰδέα 406
Formæ & ſpecies 217
Formarum nomina duriora
406
Formarum loci 408
Fortitudo 291
Fortuna 234

G

Genera tria in una complecti cauſa 305
Generatio 222
Genus 215
Genus dicendi quietum 508
Geometria 3
Γνώμη 123
Gradatio 467
Græci inuentores 316
Græcorum copia 378
Graui oratori quæ tenenda
501
Grauis oratoris munus 501
Grauitas δεινότης 407.
492
Grauitas artificialis 494
Grauitas apparens 495
Grauitas uera 495
Grauitas ſumma oratoris
499
Grauitate qui uſi, & qui eandem uiciſsim inſectati 494
Grauitatis diuiſio 492
Grauitas uerbi triplex 492
Guarinus Veronenſis 423
Guarini exordium ibidem

H

Habitus 229.235
Hermagoræ ſectatores
168
Hermogenes 404
ἱππεῖς 390
Hiſtoria 31.509
Hiſtoriæ formæ 512
Hiſtorici modi 513
Homeri loci 390.391.392.
393
Homerus Mantuanus 393
Homerus naturæ poëta
386
Honeſtas 289
Honeſti partitio 289
Honeſtum 11
ὑποφορὰ 199

I

I Literæ ſonus 440
Iambi & trochæi in membris 427
Immoratio 472
Impendula clauſula 443
Impenſum 57
Impetus animi 434
Impoßibile 56.298
Imprudentia 240
Impulſio 90.238
Incidens 127
Inciſio 472
Inciſionis membra 446
Incolumitas 297
Inconuenientia 275
Indignatio, quæ & amplificatio 268
Indignationis communes loci 273
Indignationis locus ab autoritate ibidem
Inductio 186
Inductio Platoni familiaris 186
Inexplicabile 56
Inficiatio 98
Infinitio 6.134
Iniectio 462
Innouatio 468
Inſcriptio 158
Inſinuatio 10
Inſinuatione quando utendum 21
Intellectio quibus modis fiat 462.379
Intelligentia 290
Intentio 59.123.158.162
Intentio legislatoris 117.158
Interpretatio 472
Interrogatio 448
Inuentio 9
Inuentum 193
Inuerſio 101
Ionica lingua 385
Ironia 24.382
Iucunditas 477
Iudicatio 73.80
Iudicatum 86.223
Iudiciale 8.506
Iuris partes 129
Iuſiurandum 88
Iuſtitia 290

L

LAbor 298
Λαμπρότης, illuſtris oratio 449
Laudabile 151.295
Laus 304
Legislatio 41

Legitima, & eius partes 157
Legitimum 64
Loci duplices 198
Loci principales ibidem
Loci ſecundarij ibidem
Loci circunſtantiarum à perſona 231
Loci interni 244
Loci dialectici 215
Loci quatuor quibus propoſitio ſoluitur 199
Locus 239
Locus à materia 220
Locus à forma ibidem
Locus ab uſibus 222
Locus à pari 225
Locus ab autoritate & exemplum quo differant 227
Locus à proportione 228
Lycurgus 500
Lyſias 494
Λύσις 199

M

Magnitudo μέγεθος ἢ ἀξίωμα 435
Magnitudo 407.435
Maius 225
Membra 473.490
Membra ἰσοκωλία 467
Membrorũ commutatio 417
Membrorum inuerſio 418
Membrum 408
Memoria 9.290.355
Memoria duplex 355
Memoriæ artificialis partes ibidem
Memoriæ loci ibidem
Memoriæ imagines 356
Mendax memor 35
Μετάληψις 153
Minus 225
Modeſtum dicendi genus 483
Modus 240
Mollitudo uocis quibus conſtet 362
Morata oratio 473
Morata duplex, ἦθος ibidem
Moratæ oratiõis formæ 474
Motus corporis 368
Mutæ 386
Μῦ.μῦ.μῦ. 390

N

Narratio 308.366
Narratio breuis 32
Narratio dilucida 33
Narrationis formæ 519
Narratio ueriſimilis 34
Narrationis & diuiſionis diſpoſitio 334
Narrationum genera 30
Natura 333
Neceſſaria 298

Negatio 229.231 449
Negotialis conſtitutio 148
Negotialis conſtitutio quibus locis conſtet 149
Nihil tam arduum, quod non laboribus ſuperetur 403
Nomen 233
Non ingenia, ſed induſtriã hominibus deeſſe 406
Non uériſimile 56
Non ſcripta transl. 154
Non ſcriptæ tranſ. loci ibidẽ
Numerorum notæ 359
Numerus 408.473

O

O Vocalis ampla 439
Obiurgatio 491
Obſiſtentia 98
Occaſio 239
Officiorũ conſideratio 292
Officium à uirtute non ſeparari 291
Oppoſitio 182
Oppoſitio quid à concluſione ſimplici differat 182
Oppoſitio quibus modis negetur 184
Oppoſitorum partes 229
Oratio grandis quibus conſtet partibus 435
Oratio illuſtris, λαμπρότης 449
Oratio uaria 470
Oratio morata 473
Orationis iunctura 426
Orationis partes 9
Orationis genera duo, quietũ & forenſe 504
Orationis figuræ ſeu characteres 375
Orationis ſublimis figura 375
Orationis infimæ figura 376
Orat. mediocris figura ibid.
Oratores priſci 211
Oratori quæ præſtanda 29
Oratoris officium 8.497
Ordinatio 431.457

P

Πανηγυρικὰ 338
Πανταλέων 72
Par 225
Παράλειψις 38
Partes 218
Partitio 231.431.458
Partitio coniugata 468
Pax 297
Pedes metrorum 444
Pendula clauſula 443
Periodus 415
Περίοδος χιαζομένη 420
Permiſſio 484

Perorat

Peroratio 266
Perorationis partes ibidem
Perorationis formæ 525
Perſona 53.130
Perſonarum duplicatio 126
Pertinentia 273
Peruerſio 480
Πηλικότης 119
Philoſophia an oratoria plus poßit 521
Pindari Ode 312
Pindari dictum 387
Platonis de repub. initiū 423
Plena oratio μεςότης 458
Πνεῦμα 183
Poßibile 151.293
Potentia 297
Poteſtas 92
Poteſtatis attributa 92
Ποιότης 122
Præiudicatum 58
Præiudicium 86
Principium 10
Principium à noſtra perſona 306
Principium à perſona eius de quo dicimus 307
Principium à rebus 308
Principio quando abſtinendum 333
Priuatio 229
Προβολὴ 112
Procurſus 45
Productio ſpiritus quot modis 453
Prohibitio 238
Προκατασκευαζόμενος ϛοχασμὸς 108
Pronominans 124
Pronominatio 378
Pronunciatio 361
Pronunciationis diuiſio 362
Propoſitio 77.80
Propoſitio oppoſita 199
Propoſitio uitioſa 245
Proprium 215
Proſaicæ orationis compoſitio 401
Πρότασις 199
Prouidentia 290
Pulchritudo τὸ κάλλος 464
Pulchritudinis ſchemata 465.479
Pulchritudinis membra 469
Purgatio 70
Puri ſermonis membra 414
Puritas καθαρότης 410
Puritas quibus conſtet 410
Puritatis methodus 411
Puritatis dictio 412
Puritatis ſchema ibidem

Q

QVadrimembris oratio nis cõmutatio 419
Quæſtio 6
Quæſtionum refutatio 85
Qualitas communis 102
Qualitas locus 122
Qualitas & uoluntas 160.170
Quintilianus notatus 23
Quomodo ſtatu uſus in Catone uituperando Cæſar 316

R

RAtio 25.89
Ratiocinatio 131. 158 166.238
Ratiocinatio, & eius partes 189
Ratiocinationis ſolutio 115
Ratiocinatio per obſiſtentiam 113
Rationale 64
Rationes unde inueniantur 201
Rationis confutatio 246
Recta diffinitio 144
Rectitudo 412
Rectum, & eius partes 289
Recuſationis loci 82
Redditio 25.458
Reduplicatio & reſumptio uerbi quid differant 433
Refutatio 159
Relatio 69.229
Remotio criminis 70
Remotio locus 122
Repetitio, παρίσωσις, ἐπαναφορὰ 465
Repulſio 97.168
Repulſio altera 160
Res 236
Res duobus ornari 384
Reſumptio 432
Reuerſio, ἐπαναστροφὴ 467
Rhetorice finitio, & partes eius 6
Rhetorica uetus Cic. 194
Rumores 87

S

SLiteræ aſperitas 387
Salluſtius 518
Schemata 472.489
Scriptura 356
Seiunctio 46
Semiuocales 387
Sententia, ἔννοια 407
Sententiæ partitio 157
Sententiæ ſimplices 437
Sententiæ duplices 437
Sermo qua pronunciatione conſtet 361

Ser

Sermonis partes 362
Seueritas 274
Simile 223
Simile ſonantia 480
Similiter cadens 479
Similiter deſinens 480
Sine circunſtantia 57
Solutio 199
Solutio per ſtatus 251
Solutiõis modi quindecim 252
Sophiſticè 178
Spatium 238
Species 215
Status quot 62
Status legitimus 149
Status firmamenta 74
Status narratio ad quos pertineat 352
Status ſingulos interdum peculiares requirere rationes 352
Studium 235
Stultitia noſtrorum 500
Subcontinuatio 438
Subiectio 178
Sublatio 199
Summiſſio 180
Superlatio 383
Superlatio exquiſita ibidem
Συγκατασκευαζόμενος σοχασμὸς 109

T


Tabulæ 87
Tempus & locus omnia immutant 498
Temperantia 291
Tempus, & eius partes 238
Tenuitas 474
Teſtium reiectio 83
Θέσις 134
Thucydides 387
Tit. Liuius 516
Totum 218
Traductio 467
Traiectio 468
Trãſgreſſio ὑπερβατὸν ibid.
Translatio 66.153.356.379
Translationis quadruplex diuiſio 380
Translatio non ſcripta 154
Tranſ. non ſcriptæ loci ibid.
Tranſpoſitio 98
Tranſumptio 231
Trapezuntius unde ſua deſumpſerit 194
Tria in omni oratione 407
Trochæi & iambi in membris 428
Tropus 378
Turpe 11.56
Turpia quibus modis honeſte proferantur 476

Variet

V

VArietas 213
Vehementia ἀκμὴ 451
Velocitas 407.471
Venetiæ 296
Venuſtas σεμνότης 407
Verborum copia 376
Vergilij locus 34.394.395. uſque 401.
Vergilij diuina compoſitio 400
Veritas ἀλήθεια 407.485
Veritatis ſententia 485
Veritatis uerba 489
Veritatis ſchemata ibidem
Veritatis methodus 486
Veritatis membra 490
Victorinus 313
Victus 234
Violatio 184
Violatio quid à pugnantibus differat 186
Violenta diffinitio 143
Virtus 289
Vis dicendi à circunſtantijs 502
Vitæ attributa 88
Vituperatio 304
Vnicum 55
Vocabula contrita, inuſitata 376
Vocabula innouata 377
Vocabula propria 376
Vocalium uſus 385
Vocis differentiæ 368
Vſus & exercitatio quid differant in dicendo 401
Vtilis & honeſti coniunctorum partes 297
Vtilitas 149
Vtilitas eloquentiæ 5
Vtilitatem eiusq; oppoſitum quadripartitò ſpectari 303
Vtilitatis partes 297

FINIS.





535

GEN. 1970

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA

Digitized by Google

Digitized by Google